ANALECTA SACRA:
SIVE
Excursus Philologici breves
Super diversis S. Scripturæ locis
Præcipuè J. Mathero:
Quà, cum Moribus, Ritibus,
Institutísve Priscorum Gentilium
conspirant:
Aut per ea aliquo modo illustrantur.

Authore *Joan. Doughteio*,
Theologo, *Anglo-Britanno*.

Ὥσπερ τὰ ἐγκύκλια γράμματα, φιλοσοφίας, οὕτω καὶ φιλοσοφία δούλη σοφίας. Philo Jud. *in l.* περὶ συνόδου.

Sunt qui literas Exoticas cum Sacris non conjungunt, propterea quia illas ignorant. Jos. Scalig. Ep. 309.

LONDINI,
Typis *Guil. Godbid*, Impensis *Ro. Littlebury*,
apud quem prostant venales in vico *Parvæ Britanniæ*,
ad Insigne *unicornis*. *M. DC. LVIII.*

Præfatio ad Lectorem.



Um per infælicitatem elapſorum non ita dudum temporum, quibus nimiùm quamplures noſtri *Ordinis*, (quo jure, quâve injuriâ,) rejecti penitus excîdimus, ſatis mihi ſuperq; contigiſſet otii: Cepit me impetus repetendi paululùm juvenilia rurſus & deſueta jam olim ſtudia. Partim, ut ita excuterem obrepentem quandoque, quod in literis ſolet, mentis torporem: partim verò ut tam acerbæ conditionis mæſtitiam amæníoribus hujuſmodi ſtudiis recrearem. Hiſce fretus initiis recenſui vetera, adjeci quædam de novo; Et nè fruſtrà viderer, aut nullo cum fructu in humanioris literaturæ ſpatia divertîſſe, id cumprimìs in oculis habui, ſi quo mo-

do ſuſceptos conatus ad uſum denuo aliqualem publicæ commoditatis traducerem.

Turpius nihil eſt, ut ſcitè alicubi Petrarcha, *Grammatico Sene.* Nec itaque aut ego talis ſum, vel ullis modis haberi geſtio. Aliam *Spartam* colo, aliî eíque ſublimioris multùm dignitatis *Profeſsioni*, jampridem nomen dedi. Tantùm nihil indecenter egiſſe judicabor, ſpero, ſi tanquam explorator modò adivi *Criticorum* caſtra, & quaſi pro foribus ſtans cum Papirio illo *Prætextato*, ſubnotavi parumper quid intus & in curiâ tractarent *Cenſorii Patres.* Et ſanè, ut quod res eſt dicam, id mihi ſemper quam maximè placuit, ſi quod *Orator* alicubi monet de *Græca* cum *Latinis* jungendo in ſtudiorum procurſu: ita etiam politiorum aliquid literarum cum ſeverioribus diſciplinis miſcerem. Neque enim ut *Scholaſticè* tantùm (ſi fortè) aliquo modo doctus, ſiccus, quantumvis argutus, rerum diſceptator evaderem, in votis fuit; (cui tamen ſpinoſiori eruditionis parti meus me *Genius* præcipuè addixerat,) ſed nec rurſus ut merus *literator*, aut jejunus duntaxat verborum Artifex audirem.

rem. Bene se habent isthæc conjuncta, quæ divisim, & singula minùs splendescunt.

Adhæc, (quod & priùs insinuabam) erat tunc statim in animo colligere inde, si quà possem, ex profanis nempe *Ethnicorum* scriptis, quæ vel explicandæ, vel illustrandæ saltem, *Sacræ Paginæ* nonnihil conducerent. Hoc est reverà, si quidquam omnino est, compilare rursus Ægyptios, & *Templum Domini* conquisitis *Gentilium* spoliis ditare. Variè varii desudârunt usque homines in illustrandis Sacris Scripturis, & adhuc desudant. Prodeunt indies *Animadversiones*, *Notæ*, *Commentarioli*; vix *plus muscarum uspiam scatet*, ut ait Comicus, *cùm caletur maximè*. Sed qui hanc ingressi sint prorsus, datâ operâ, elucidationis viam, aut certè nulli, aut omnino pauci existunt. Multa quidem in hunc eundem scopum eruditè contulit Drusius: non pauciora Sextinus Amama, & inter cæteros nulli secundus Fullerus noster. Verùm intra *Hebraicam literaturam*, verborum ac phrasium inibi pensiculatius examen, continuerunt se, ut plurimùm, istorum singuli. Nonnulla huc con-

gessit *Clarissimus* Grotius, aliqua Scultetus & Heinsius, aliique; sed ea cum aliis sparsim permixta omnes tradiderunt. Specimen dedi in *Philologico* isto *Commentationis* genere magis adstrictum quasi & intra cancellos suos conclusum: ubi rarissimè quicquam præterea è Textu attigi, quod non respiciat *exoticos Gentilium* mores, aut quod non enitar per eos aliquo modo illustrare. Specimen, inquam, non adeo vulgaris saltem aut protritæ hactenus formulæ, quâque non aliam fortè potiorem temerè quisquam excogitabit, ex quâ si rite modò tractetur, & prout decet, (à *Cyclicè* sc. veréque doctis) plus delectationis simul cum commodo *lectori* accrescat.

Sed erunt fortè qui criminabuntur hanc intempestivam sedulitatem meam circa *Gentilium* ritus, cùm magis debueram, inquient, quantulascunque vires nostras in propugnando lacessitæ undiq; *Orthodoxæ* inter nos veritatis dogmata exerere. Laude omnimodâ dignos censeo qui ita fecerint: Sed nec protinus arcesso eos delicti alicujus, qui non obviàm mox eant ingruentibus cotidiè *Hæresium* catervis, aut statim ad prælium

non

non accingantur. Nimis longè latéque prævaluit malum ; Habet hostis muros : Et serum sit, subvereor, hìc vel illic extructum aggerem opponere, ubi furentis undæ vis subjectam undiquaque planitiem restagnans pervaserit. Reprimant illi potiùs, aut saltem reprimere conentur, quibus *Autoribus* primitus irrupit ; Penès quos tota *fundi nostri calamitas* consistit : qui primi adeo subjecere faces ruenti patriæ, & sive inscitiâ, sive κακοζηλίᾳ quadam *Anti-Episcopali*, seu denique malo aliquo fato impulsi, omnia quæcunque prudens sanxit antiquitas, tum in *Republ.* tum in *Ecclesiâ*, fecerunt pessundari.

Ad illos tandem venio iniquos rerum æstimatores, quorum mos est in insidiis quasi latere, unde aliorum scripta quamprimùm in lucem exierint, statim adoriantur. Nihil suorum proferunt ipsi, quò aliena tutiùs invadant : Sic famam sibi & opinionem acrioris quodammodo judicii aucupantes, dum ea sæpenumerò procaciter vellicant, nigrísque suis conspurcant *Censuris*, quæ tantùm abest ut perficiant aliquando, ut ne tentandi ullatenus vires habeant. Novi ego satis

bene tenuitatem proprii ingenii, nemo magis; Adeóque, quod aiunt, meo memet ſum demenſus modulo: Elegi campum brevis atque exilis argumenti in quo decurrerem: Habebit delicatulus nimis *lector* in unaquâque fere paginâ, ubi ſine ullo ſenſûs diſpendio, ulteriorem, ſi velit, ſiſtat progreſſum, nec ἐγκαταπαύλιον uſquam feſſus deſideret.

Interim, quod ad *Lectorem* attinet eruditum ſimul atque ingenuum, illius quidem cenſuræ hoc quod prodit qualecunque ſit, ſubmitto lubentiſſimè. Exoſculor candorem, revereor judicium. Scripſi (verè loquor) non inanem alicujus *opinionis* aurulam inde captans, quâ nullâ me omnino dignor; propriæve adeo allaborans exiſtimationi, præſertim in tam juvenili *exercitationis* palæſtrâ: quàm ut aliorum potiùs commodo, ſaltem quà poteram, aliquantulùm ſervirem. Sic enim & meliùs fortè rationem reddam non per inertiam penitus conſumpti temporis, ſimúlque *Talenti*, quantumvis exigui, quod Deus mihi utendum concredidit, ubi aliàs promerendi & per ſermonis operam,

nec

nec *libertas* planè, prout res ſe nunc habent, nec rurſus facultas reverà undiquaq; tam dextera omnibus conceſſa eſt. Et qui ſtructuram ipſam olim poſuere *Opifices*, & qui laborantibus intereà in ſubſidiis ſteterunt *armati*, utrique proculdubiò non ingratas operas ad *Templi* ædificationem conferebant.

Quòd ſi placidas & faventes auras pars prior iſta *Excurſuum* invenerit, vela iterum dabo, & alteram quàm citiſſimè, *Novo Teſtamento* debitam, quámque jam nunc ſuper incude poſitam emolior, (Deo annuente) committam pelago. Faxit *Omnipotens* pro ingenti ſuâ bonitate, ut unà cum noſtris hiſce ſtudiis, ſive aliis, qualiacunque ſint, id quod unicum & ſummum eſt, *fidem* in mutuâ *charitate*, ſeriò ac ſedulò ſemper colamus. *Vale.*

An. M. DC. LVIII.
pridiè Nonas Jun.



Index locorum Scripturæ, ad quæ aptatos ſubjunxi inſequentes Excurſus.

Excurſ.

Excurſ.

Excurs.

&

ANALECTA



ANALECTA SACRA.

Excurſ. I.

Gen. 1. v. 28. *Plantaverat autem Dominus Deus hortum in Edene, ubi collocavit hominem quem finxerat.*



Uod bene vortat; prima de Paradiſo ſive Horto Edenico ſe offert diſceptatio, preſsâ & ſtrictâ manu, (quod & in reliquis deinceps fiet) pertractanda. Nec enim, quod meminerit velim Lector, tam *Diſcurſus* hìc aggredior quàm *Excurſus*, quos intra breves limites coarctari, ipſa operis ratio jure ſuo efflagitat.

Optimam quamque mundi partem veteres conſueto loquendi more vocabant παράδεισον; Inde hortos, vivaria, loca quævis peculiaribus ſepoſita deliciis & voluptatibus, eodem nomine inſigniebant, teſte *Gell. l.* 2. *c.* 22. Ἀδέ μοι ὁ πατὴρ καὶ οἰκήματα καλὰ, καὶ παραδείσους

περιεῖσας δένδρων καὶ θηρίων μεστοὺς κατέλιπεν, ἐν οἷς εὐφραινόμην. —*Omnia quæ à patre acceperam, ædificia præclara, hortos arboribus ac feris repletos.* Xenoph. Hist. Græc. l. 4. Talis proculdubiò fuit locus iste Edenis, nullis orbatus bonis, desiderabilibus quibúsque copiosè & verè refertus. Nec enim multùm moror *Phil. Judæum in l. de opific. Mund.* nec post eum *Originem Contra Cels. l.* 4. qui inter alia, historiam de Edenis horto Allegoricis suis interpretamentis præcipuè corruperunt.

Si porro de situ quæras, ubi, quâve in regione mundi efflorescebat hortulus iste; Ad Orientem fuisse docebit Textus: ἐπὶ τὰς ἰσημερίας τῆς ἠοῦς, *ad æquinoctium ipsum orientis*, ut *Philostorgius Hist. Ecclesiast. l.* 3. §. 10. ibique paulò antè §. 4. Adanem Sabæorum regionem in Arabiâ commemorat, nominis adhuc quasi, seu vocabuli ipsius tenacem; Non præteribo hìc glossama lepidum, (sed quod aliunde acceperat, sic enim profitetur) Sancti Athanasii super hâc materiâ, ad *Antioch. qu.* 47. Ὅθεν τούτου χάριν πάντα τὰ εὐώδη —*Quòd hujus gratiâ nempe & propter vicinitatem paradisi, aromata omnia suavissimi odoris circa orientaliora Indiæ loca, quasi inde difflata, proveniant.*

Sed quid ad hæc jam Scriptores Ethnici? Nihílne prorsus? Imò sanè quàm plurima, hìc & aliàs, (licèt fabulosis suis involucris multùm obscurata) hausisse de sacrâ paginâ testatur *Nazianzenus, Orat.* 20. & vel

ideo

ideo κλέπτας καὶ λῃστὰς *fures & latrones* illos vocat *Clem. Alexandrinus, Strom. l.* 1. Nam & hinc apud eos fortassis, ex adulteratâ nimirùm Sanctæ Historiæ veritate, Alcinoi tam celebres horti, Hesperidum pomaria, Adonidis viridaria, nulli non scenæ cognita & invulgata; Adonis autem quasi Edenis, & Edenis ab Hebraicâ voce Heden, parvâ omnino literarum inflexione deduci possit.

Adumbravit quodammodò hunc Hedenis sive Edenis hortum in *Symposiac.* suis Plato, sub Jovis ibidem horti nomine, quod annotavit jampridem Origenes contra *Cels. l.* 4. Sed apertiùs multò depinxit Homerus in Calypsûs speculæ narratione, *Odys. l.* 5.

Κρῆναι δ' ἑξείης πίσυρες ῥέον ὕδατι λευκῷ
Πλησίαι ἀλλήλων, τετραμμέναι ἄλλυδις ἄλλη,
Ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ——

Quatuor verò fontes fluebant aquâ lympidâ
Vicini inter se, versi aliò atque aliò:
Circùm verò mollia prata——.

Eodèm huc spectant μακάρων illæ νῆσοι, sive Elysii campi: *Hesiod Oper. & Dier. l.* 1.

Καὶ τοὶ μὲν ναίουσιν ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες,
Ἐν μακάρων νήσοισι παρ' ὠκεανὸν βαθυδίνην
Ὄλβιοι ἥρωες——.

Et hi quidem habitant, securum animum habentes
In beatorum insulis, juxta oceani profundum,
Fœlices Heroes——

Quod Poetæ nativo quasi & genuino sensu

donans Sibylla Erythræa, prout citatur à *Lactantio, l. 2. c.* 13. *paradisi* vel *horti* nomine easdem designat Insulas;

Οἱ δὲ θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν, ἀενάοντε
ζωὴν κληρονομοῦσι τῶ αἰῶνος χρόνον, αὐτοὶ
Οἰκοῦντες παράδεισον ὁμῶς, ἐριθηλέα κῆπον.

Hi verò colentes Deum verum atq; æternum,
Vitam sortiuntur perpetuæ durationis, ipsi
Habitantes simul paradisum, valde virentem
locum.

A *paradisi* nempe illius, (qualiscunque sit, sive in sensu Allegorico, ut loquuntur, sive etiam in literali, juxta veterum quorundam Patrum opinionem, capiendus: neque enim id jam disquirendum in pensum accepi) â paradisi, inquam, illius toties memoratæ in S. paginâ *Luc.* 23. *v.* 43. 2 *Cor.* 12. *v.* 4, *&c.*& sanctorum hinc emigrantium destinatæ receptaculo, perceptâ quomodocunque tenui aliquâ imagine, figmentum hoc eos traxisse disertè testatur Tertullianus, *Apolog. c.* 47.

Verùm enimverò si quis *paradisi* Edenici qui fuit, accuratum simul & breve specimen desiderat, adeat *Diod. Siculum l.* 3. de Nysâ urbe Lybiæ disserentem in hæc verba, Κεῖσθαι ταύτην ἐν νήσῳ τινὶ—καθ' ἕνα τόπον ἐχούσῃ στενὰς εἰσβολὰς, ἃς ὀνομάζεσθαι πύλας Νυσείας· εἶναι δ' ἐν αὐτῇ χώραν εὐδαίμονα, λειμῶσί τε μαλακοῖς διειλημμένην καὶ κήποις, ὕδασιν ἀρδευομένην δαψιλέσι· δένδρα τε καρποφόρα παντοῖα—. *Jacet illa in Insulâ quadâm, —unoq; duntaxat*

loco

loco ingressus in eam patet per angustas fauces quas Nysæas vocant: Beata illic fertilitate suâ tellus, mollibus pratis & hortis feracissimis, qui latis undiq; rivis humectantur, abundans: Arbores passim omnis generis fructuosæ, vites sponte natæ: —Qui degunt ibi homines multò longiùs quàm alibi ævum producunt. Adjecisset modò perennitatem illic vivendi, vix quidquam ultrà deesse videretur ad perfectam loci ὑποτύπωσιν reddendam, secundùm illud infrà *v.* 8, 9. ubi satìs graphicè horti hujus Edenici descriptio exhibetur.

Utut, ubicunque vel qualiscunque fuerit locus iste paradisi, nil opus est ut disquirendo satagamus ampliùs. Id potiùs incumbit nobis vestigandùm sedulò, (quod & rectè commonet Patrum non nemo) quomodò amissam tantæ felicitatis sedem nullis non tentatis viis modísque, postliminii saltem jure recuperemus.

Excurs. II.

Gen. 3. v. 7. *Et aperti sunt oculi amborum, cúmque cognovissent se nudos, consuêrunt ficulnea, & fecerunt sibi subligacula.* —

Sunt qui narrationem istam de ficulneorum texturâ foliorum in Allegoriam prorsus verterunt: Et sunt porro qui etsi non

diffiteantur planè veritatem facti, tamen aliquo modo addubitant, ut inter cæteros S. Athanasius ad Antiochen. *Qu.* 49. Mihi nequaquam fas sit tam ingeniosum esse in defingendis Scripturæ sensibus: Sed quod Historicè ibi narratum invenero, illud juxta Historiæ fidem velut reverà factum audacter recipiam.

Neque enim est unde cuiquam dubitatio surrepat de ficulneis istis femoralibus, tanquam tam ampla & speciosa folia nulla ficus produceret; Quin potiùs consultum eat Autores vetustos qui aliquid eâ de re memoriæ tradidêre. *Athenæus Deipnosoph. l.* 3. proponit quidem ex Theophrasto quasi aliquid de ficu Indicâ distinctiùs enarraturus, de vastâ nempe & admirabili planè ejusdem magnitudine; ἡ Ἰνδικὴ καλουμένη θαυμαστὴ οὖσα τῷ μεγέθει—. Proponit tantùm, ut dixi, sed non explicat. *Extat locus in l.* 4. *de plantis c.* 5. ἔχει δὲ τὴν ἄνω κόμην πολλὴν, καὶ τὸ ὅλον δένδρον εὐκυκλον καὶ τῷ μεγέθει μέγα σφόδρα· τὸ δέ γε φύλλον οὐκ ἔλαττον ἔχει πέλτης---. *Arbos (fici) comam supernè lascivam gerit, totaq; fornicato ambitu pulchrè orbiculatur, & magnitudine vehementer excellit— Folium peltâ non minus habet—*. Cui Theophrasti narrationi suffragantur Scriptores posterioris ævi; *Plinius Hist. Nat. l.* 12. *c.* 5. *Rami ejus* (inquit ille de Ficu loquens) *in excelsum emicant sylvasâ multitudine, vasta matris corpore, ut 60 plerumq;*

orbe

orbe colligant, umbrâ verò bina stadia operiant; Foliorum latitudo peltæ Amazonicæ effigiem habet, rarusq́ est fructus, sed prædulci sapore. Accedit huic Solinus Polyhist. c. 65. *Pomaria ficus habent, quarum caudices in orbem spatio 60 passuum extuberantur, ramorum umbræ ambitu bina spatia consumunt: foliorum latitudo formæ Amazonicæ peltæ comparatur, pomum eximiæ suavitatis.* Certè si quod uterq; asserit de ficûs Indicæ amplitudine, tanta etiam fuit ejus magnitudo in paradiso, (quod quidem quàm maximè verisimile est, in primo tunc temporis efflorescentium arborum vigore) potuerant inde femoralia seu braccæ satis bellè contexi, quibus primorũ parentum nuditas tegeretur.

Non intempestivum erit fortassis si observatiunculas binas hîc attexam, quamvis præter textum aliquantulùm positas, tamen satis accommodè huc spectantes. Una est *Isid. Pelusiotæ l.* 1. *Ep.* 51. Cur Christus nempe tam crudeli Anathemate *Marc.* 11. *v.* 13. ficum ibi infrugiferam percelluit? Respondet, ὅτι τὸ ξύλον τῆς παραβάσεως τοῦτο,— καθηράσθη παρὰ τοῦ χριστοῦ— Videlicet, *hanc transgressionis arborem fuisse— ac proinde Christus humano ac misericordi animo hoc ei imprecatus est, ut nè posthac fructum peccati causam proferret.* Arbori huic signanter, (quod obiter licet, observes) inter cæteras omnes transgressionis primæ causam alligat: Nec immeritò forsan, cùm, quod testantur utrique, Solinus & Plinius præfati, ita suavi fructûs sapore, præci-

puâ eâ gulæ illecebrâ, præ reliquis excellat.

Altera est, eáque ad rem propior, ex *Irenæo l. 3. c. 37.* cui accedit Cedrenus in *Synopsi* statim à principio, quare sc. Adamus jam tunc nudus deprehensus, ficulneis foliis se imprimis contexit, cùm alia aliûs generis quam plurima, quippe in horto agenti, præstò essent? *Per succinctoria*, inquit ille, *in facto ostendit suam pœnitentiam, tali indutus tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem & pungit corpus.*

Non ita nos infælices illius posteri: Quin potiùs omnifarii generis vestibus mollitiem & luxum spirantibus, passim diffluimus; Byssinis, Bombycinis, sericis, subsericis, tegimus & fovemus corpora; dum interim animæ nostræ aut nudæ jacent, neglectui prorsus habitæ, aut aliàs, quod multò gravius est, vitiorum totæ squalore obsitæ, deformiter horrescunt.

Excurs. III.

Gen. 3. v. 12. *Dixitque Adam, Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comêdi.*

POst absolutam mundi creationem, rerúmque creatarum in mundo, pergit statim Moses ad enarrandum humani generis lapsum, quâ viâ & quali methodo acciderat;

Sic

Sic enim res se habuit, ut non priùs nati penè, quàm essemus damnati, objectu vetiti illius & inauspicati fructus illico subversi. Porro, in hoc tam fatali tunc parentum commisso primarias partes mulieri assignat Θεόπνευστος & divinus scriptor. *Mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi:* Mulier primò lethiferam offam deglutit, & deinde vir. Ita planè Apostolus, 1 *Tim.* 2. *v.* 14. *Adam non fuit seductus, sed mulier seducta causa transgressionis extitit.* Hinc ergo fons & origo miseriarum omnium, quas nos infælices posteri, utríque eorum, sed mulieri imprimìs, usque debemus.

Mulierem istam quam dicimus seminatricem utì causamque nascentium malorum primigeniam, bene satis adumbrat Homerica illa Ate, *Odyss.* 19.

——Διὸς θυγάτηρ Ἄτη ἣ πάντας ἀᾶται
Οὐλομένη

——*Jovis filia Ate quæ omnes offendit*
Perniciosa——

Sed rem ipsam acu planè tangit Hesiodus in Pandorâ suâ, *Op. & Dier l.* 1. quam in humani generis perniciem elaborasse fingit Deos Deásque omnes.

Πρὶν μὲν γὰρ ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
Νόσφιν ἄτερ τε κακῶν καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο.
Ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμα ἀφελοῦσα
Ἐσκέδασ', ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά.

Prius

Prius namq; in terrâ vivebant familiæ hominũ
Omnino absq; malis, & sine difficili labore:
Sed mulier manibus à vase magnum operculum removens,
Dispersit, hominibus autem machinata est graves curas.

Non longè abeunt ex hac parte ab Historiâ humani lapsus, quatenus sc. Eva & Serpens in eâ principes egerunt partes, verba illa Demosthenis in *Orat. pro Coron.* ubi acriter perstringens Æschinem, ut Bacchi sacris olim ministrantem; Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις (inquit) τοὺς καλοὺς θιάσους ἄγων διὰ τῶν ὁδῶν—τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων, καὶ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρῶν καὶ βοῶν, Εὐοῖ σαβοῖ— *Interdiu præclaros illos cœtus per viam ducens— Serpentes quas Parias vocant, allidens, & suprà caput efferens, & clamitans Evœ Sabœ— mercedem pro istis muneribus capiebas.*

Evoe bacchantes, Evoe capita inflectentes,
Pars sese tortis Serpentibus incingebant.
Pars obscura cavis—. Catull.

Illa chorum simulans Evantes Orgia circùm
Ducebat Phrygias— (Helena) Æn.6.

Locum illum Demosthenis (cum similibus) suprà allatum quasi explicans Clem. Alexandrinus in Adhortat. ad Gentil. Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι βάκχοι—ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν ἐπολύζοντες Εὐάν· Εὐὰν ἐκείνην δι' ἣν— *Dionysium*

nysium Mænolem (ait) *orgiis Bacchi celebrant, coronati serpentibus, ululantes Euam——. Euam illam per quam error & omnigena indè mala in mundo sunt consecuta.* Evam simul cum serpente haud incommodè in Orgiis suis bacchantes jungebant: Quippe, (ut docet sacræ historiæ veritas) ambo simul, Eva & serpens, inito quasi fœdere exitium tum statim nascenti humano generi intulerunt.

Atquì verò nè nimis iniqui tandem censores muliebris sexus habeamur, illud in honorem earundem addendum erit, quòd sicut Apostolus dicit comparatione habitâ inter primum Adamum & secundum, 1 *Cor.* 15. *v.* 21. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum:* ita etiam habitâ collatione Evæ cum Mariâ, *Quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit,* inquit *Tertul. de carne c.* 17. Per fæminam operatus est Satan perniciem humani generis, & rursus per fæminam, ex eáque solâ sine viri adjutorio progenitum exhibuit nobis Sanctus Spiritus mundi Salvatorem.

Excurs.

Excurs. IV.

Gen. 4. v. 14. *Ecce ejicis me hodie à facie terra, & à facie tuâ abscondar, & ero vagus & profugus in terrâ; omnis igitur qui invenerit me, occîdet me.*

PRimus mortalium Homicida extitit Cain, primus exulavit ejectus atque exturbatus à facie Dei: Dignum sanè supplicium tali facinore, ut qui imaginem Dei in homine sculptam tam nefariè violasset, à conspectu atq; præsentiâ ipsius factoris ablegaretur. Utrùm verò sic ablegatus, *corpore*, an *mente* (prorsus turbatâ) erravit vagabundus, nondum intelligo; utrùm denuo signum illud, Σημεῖον, quod ei postea Deus impressit *v.* 15. stigma aliquod reverà fuit, quale captivis & servis malè meritis, infamiæ majoris gratiâ, antiquitus solebant inurere: An potiùs proprior quædam advigilantis Dei custodia nè periret à percussoribus, tantundem scio; Nihil horum *Joseph. in Relatione de Caino Antiq. l.* 1. *c.* 4. qui tamen optimè potuit, & debuit si poterat, nobis suggessit. Interim quàm misericors sit Deus noster, vel inde constat, quòd nunquam ità punit ut non & parcat, in medio iræ suæ non omnino exuens lenitatem, quin ut guttulas clementiæ quasdam judiciis suis semper admisceat.

Quod autem ad Cainum attinet, videor mihi videre in illo sic ejecto, expressam quandam

dam

dam illorum similitudinem, quos pœnæ damnatos, atq; exinde profugos, *sacros* olim dicebant: Erat enim in more positum apud Antiquos, ut cùm sævior numinis ira alicubi impenderet, diris devoverent profligatissimum è turbâ quempiam, uti in eum, quod sperabant, acrior Deorum sævitia defervesceret quasi, & consumeretur; περοσρόπαιον inde, sive *piacularem* talem vocabant,

—'Εντεῦθεν δ' χρὴ
Τον περοσρόπαιον, τόν τε γενναῖον καλεῖν.

Eurip. in Heraclid. Act. 5.

Aliàs ἐναγέα, sive *sacrum*, quod dixi, *Herodot. l.* 5. *c.* 70, 71. hoc est, *scelestum & detestabilem*, ut verbum exponit Nonius. Ἤλασαν μὲν ὦν οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς ἐναγεῖς— *Athenienses igitur execratos hos*, (de maleficis quibusdam sermo est, cædis cujusdam notabilioris piaculò obstrictis) *in exilium pepulerunt. Thucydid. l.* 1. Quomodò non sine atrocis etiam maledicti censurâ extrusit hic Deus homicidam Cainum, *v.* 11. *Dixit verò Deus, Nunc itaque maledictus tu esto, exul ab istâ terrâ quæ excepit sanguinem fratris tui de manu tuâ.*

Sed pressiùs multò, etiámque ad rem accommodatiùs Servius in *Æneid.* 2. ubi originem quoque hujus consuetudinis ostendit, à Gallis nimirum oriundæ. Nam Massilienses, ut ille rem narrat, *quoties pestilentiâ laborabant, unus se ex pauperibus offerebat, alendus*

anno

anno integro publicis & purioribus cibis. Hic postea ornatus verbenis & vestibus sacris, circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus ut in ipsum reciderent mala totius civitatis; & sic projiciebatur; *Projiciebatur* inquit, non *occidebatur*; & rectè: Sed interim tamen occurrentem eum (si fortè) perimere, cuiquam fas erat, ut docet *Macrobius Saturnal. l.3. c.7.* Cui accinit Festus in verb. *Homo sacer est*, inquit ille, *quem populus judicavit ob maleficium, neq; fas est eum immolari, sed qui occidit parricidii non damnatur.* Atque hujusmodi planè miseranda conditio fuit hìc errantis Caini.

Ne quid itaque tale erga eum molirentur homines, sigillo ei indito, ut dixi, communivit Deus. Quod quidem illi forsan satis erat ad propulsandas injurias aliunde illatas, non tamen ab internis animi ictibus ullatenus defendebat; quin mæstus & tremulus vagaretur undique: Sibi onus, aliis sibilus & execratio. Hæc sc. parricidarum semper certa simul & condigna sors fuit: Tuti esse possunt, securi esse non possunt; ut lateant fugiendo hominum conspectum, Dei tamen & conscientiæ suæ usque flagellantis fugere, quod hìc conatus est Cain, *v.16.* nunquam valebant.

Quò fugis (Infælix) quascunq; accesseris oras
Sub Jove semper eris——.

Excurs.

Excurs. V.

Gen. 6. v. 4. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis.*

PHilo *Judæus in l. Joseph.* Allegoricè hunc locum, sicuti mos ejus est, omnino interpretatur. μῦθον μὲν οὐδένα περὶ γιγάντων εἰσηγεῖται παράπαν, βούλεται δὲ ἐκεῖνό σοι παραστῆσαι ὅτι---. *Nullam* (inquit ille) *de gigantibus hic affert Scriptura fabulam, sed illud te docere vult, alios esse terræ, alios Cœli, alios Dei homines.* Sed frivolam istam opinionem facilè revincit historia gigantum in terrâ Canaan, memorata *Num.* 13. *v.* 34. quorum in comparatione se ut locustas æstimabant speculatores illuc missi, *i. e.* nanos & pumiliones. Et præterea illa de spondâ Og regis Bashan *Deut.* 3. v. 11. ubi dimensiones ipsæ lecti qantumcunque enormes, corpori ejus congruè respondentes, historicè & exactè recensentur : Nisi si quis fortè (quod Alexander militibns suis mandasse legitur, cùm ab Indis discederet, *Diod. Sicul. l.* 17. *Q. Curt. l.* 9.) consultò illum cubilis sui mensuram, in ostentum posteris futurum, dilatasse perperam credat.

Sunt dein qui historiam non evacuant penitus, sed tamen gigantes dictos esse velint, non tam ratione molis, quàm potentiæ & roboris ; quomodo S. *Augustinus de civ.*

Dei,

Dei l. 16. *c.* 14. magnitudinem illam Nimrodis, *Gen.* 10. bis ibi prædicatam, *v.* 8, 9. de tyrannicâ ejus super cæteros potestate interpretatur. Sed hæc sententia eâdem infirmitate laborat quâ prior. Nec enim de eximiæ tantùm potentiæ magnitudine, qualem habuit Nimrod, fit mentio *Num.* 13. sed planè de enormi staturâ populi, qui terram Canaan tunc incolebant. *Populus quem aspeximus proceræ staturæ est: Ibi vidimus monstra quædam filiorum Anak de genere gigantêo, quibus comparati videbamur quasi locustæ.*

Sunt denique qui genuinam Historiæ veritatem agnoscentes, tamen gigantes hìc commemoratos ab angelis satos fuisse vanè imaginantur. Ita tam Gentilium, quàm Christianorum etiam scriptores quamplurimi, quos tamen in Hæreticorum catalogo abinde reponit Philastrius, *Hæres.* 106. Atque huc spectat admodum appositè commentum illud Orphei, poetæ antiquissimi,

οὓς καλέουσι γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσι,
Οὕνεκα γῆς ἐγένοντο, καὶ αἵματος οὐρανίοιο.

Hos ideo superi cuncti dixere gigantes,
E terrâ quòd erant nati, & de sanguine cœli.

Utrósq; in errorem induxit vana & præpostera quædam imaginatio: Illos, dum jactanter & more suo, quicquid eximium aut illustre crevisset ubivis, consecrare studebant ejus originem, & statim ad Deos referebant: quod solerter observavit Livius in Historiæ

suæ

suæ *Prooemio*, & *Plutarchus* alicubi in *Symposiac.*

Hos, dum loco *filiorum Dei* suprà *v.*2. (*Et videntes filii Dei filias hominum*——) Angelos Dei in nonnullis antiquis versionibus suppositos reperissent. Quasi non quandoque *Angeli* idem in Scripturâ sonent, quod magnates vel primores populi; *Dominus meus Rex est sicut angelus Dei*, 2 *Sam.*19. *v.*28. & *Rev.* 2. pastores Ecclesiæ *Angeli* ubique indigitantur. Aut rursus quasi *Filios Dei* non in consimili, atque eodem planè sensu accipi constet, *Psal.* 62, *v.* 6. *Dixi, Dii estis & filii excelsi vos omnes*, inquit Psalmista, de principibus ducibúsque populi sermonem pertexens. Videntes itaque Filii Dei filias hominum, potentes scil. & primarii inter populares suos, (sive de stirpe Sem, quod aliqui volunt, sive aliunde) videntes Alienigenas fæminas pulchriore prorsus aspectu, conjunctionem cum eis flagranter appetierunt, appetitamque sunt consecuti. Sic *Augustinus de Civ. Dei l.*15.*c.*22,23. Atque inde statim monstrosa illa Gigantum progenies, de quâ inquirimus hic, initium occepit.

Multi multa & mira de immensâ olim quorundam talium proceritate literis prodidere. *Philostratus in l. Heroicor*: splendidis hujusmodi affaniis sanè abundat. Orestis Corpus 7. cubitorum longitudinem æquasse narrat *Herodotus l.* 1. Orionis, sexdecim, *Plinius l.* 7. *c.* 16. Antæi, sexaginta, *Strabo*

l. 17. Ori. & Ephialti, novem. *Hom. Odyſ.* 11.

Ἐννέωροι γὰρ τοί γε καὶ ἐννεαπήχεες ἦσαν
Εὖρος, ἀτὰρ μῆκός γε γενέσθην ἐννεόργυιοι.

Novennes enim cùm eſſent, novem cubitorum erant
Latitudine, cæterùm longitudo erat novem ulnarum.

Et ſic etiam (omiſſis veterum fabulamentis) novem cubitorum longitudine erat lectus præfati regis Og, ut docet S. Hiſtoria *Deut.* 3. cui certò credamus licet, quæque unà luxuriantis tunc temporum naturæ vim ſatis manifeſtat.

Oſtendit reverà vegetior tunc natura enormi iſtiuſmodi hominum fætu, potiùs quid quantúmque potuerit, quàm quid expediret: cùm non ita multò poſt, nimiùm hi confiſi ſuis viribus, & *Pelion*, quod aiunt, *Oſſæ* impotentes, vaſtæ illius Babylonicæ molis extructione, cælum ipſum ſacrilegè auſi ſint laceſſere. Tulit nos deniquè, licèt ſerior ætas, omnino ſimilem talium parentum prolem; certamus vitiis cum illis, & quantùm concedimus fortè immani corporis mole, tantùm in improbitate & omni nequitiæ genere ſuperare conamur.

Excurſ.

Excurs. VI.

Gen. 7. v. 11. *Anno sexcentesimo vitæ Noæ, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes Abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt.*

OCcurrit passim inter legendum, cùm Historicos, tum Poetas veteres, frequens illata mentio de Cataclysmis: Cataclysmos seu diluvia intelligas oportet, huic aut illi regioni peculiariter infesta. Ejuscemodi fuerunt Niliacum in Ægypto, Atticum in Græciâ, Deucaloneûm in Thessaliâ, Pharonicum circa Alexandriæ loca. *Xenoph. in l. de Æquivoc. & Isidor. Orig. l.* 35. *c.* 2.

Sed de his non multùm laboratur, quippè quæ longè post florentibus jam inter Græcos literis, & omnifariâ artium disciplinâ, facilè in notitiam posterorum devenêre. Quæstio est de primævâ illâ & circa Noæ tempora inundatione, quâ totus mundus propter flagrantem hominum impietatem, justâ Dei vindictâ, sub aquis mersus delituit. Licet hanc cum illis ita conturbant miscentque narrando profani Autores, ut difficile sit colligere, utrùm de hâc vel illâ, aut de quânam prorsus loquantur.

Josephus *Antiq. l.* 1. *c.* 4. rotundo ore asserit atque affirmat Barbaricæ Historiæ Scriptores omnes hujus diluvii meminisse. τ8 δὲ

κατακλυσμοῦ τούτου καὶ τῆς λάρνακος, μέμνηται πάντες οἱ τὰς βαρβάρους ἱστορίας ἀναγράφοντες. An meminerint omnes, vel plurimi, illud paulùm addubito: Sed quòd multi ità fecerunt, hoc pro cognito & comperto habeo; ídque proculdubiò ab Assyriis vel Phœnicibus edocti: unde enim aliàs quàm ab his? qui propter viciniam commerciúmque cùm Noæ posteris, ipsi noscere potuerunt.

Atque inde etiam est quòd Historicas Scriptiones suas pleríque eorum à diluvio auspicentur, nec ultrà ascendant; inter ἄδηλα sivè abscondita ponentes quæcunque suprà, vel facta, vel tempora, quasi nullis adeunda prorsus historiæ conatibus, ut docet Censorinus ex *Varr. l. de Die Natal. c.* 21. Sola sacra Mosis pagina eluctata quodammodo objectum repagulum, usque ad primordia nascentis mundi legentes manuduxit. Cìs citráve consistunt reliqui: ubi tamen, quod & suprà monuimus, quicquid hìc effutiunt turbido & confuso ore, aut illinc, aut, quod pejus est, ab incertâ vulgi famâ, (natâ decipere) mutuantur.

Quædam *Plato in Crit.* de initiis & causis tàm insolitæ exundationis profert: Aliqua Cato in *Origin.* de tempore districtim, & quando erupit: Nonnulla *Berosus hist. l.* 2. de bituminosi navigii structurâ, cujus & adhuc reliquias aliquas suo seculo extitisse confirmat: *Lucianus in opere de Syriâ Deâ*, postquam narrationem diluvii hujus fideliter satis & ingenuè

genuè pertexuit, addit insuper de templo & Aris ab incolis ibidem extructis, ad certiorem rei maximæ memoriam conservandam.

Satis hæc ad gustum, quò constet saltem, œcumenicam & primam illam inundationem, purgati *baptisma mundi*, ut acutè *Hieronymus*, non omnino latuisse etiam exteros scriptores; Cæterùm illa præteriit dudum, jámque penè in oblivionem desivit: Altera, eáque multò peior semper permanet, incubátque mundo, de quâ *Merc. Trismegistus* scitè admodum in *Pimandr. c.* 7. Ἡ γὰρ τῆς ἀγνωσίας κακία ἐπικλύζει πᾶσαν τὴν γῆν, καὶ συμφθείρει--- *Ignorantiæ namque pravitas*, inquit ille, *universam terram nunc alluit, & profligat deploratam in corpore animam, non patiens eam salutis portubus applicare.*

Excurs. VII.

Gen. II. v. I. *Erat autem terra labii unius, & sermonum eorundem.*

ANte extructionem Babylonicæ turris, non ita multùm diu postea inchoari cœptam, unius linguæ fuit universus terrarum orbis, attestante Textu; Quanquam *Philastrius Heres.* 106. in aliam planè eamque contrariam dilapsus est opinionem, penè in Hæresium Catalogo meritò locandam, quam ipse contexuit,

texuit. Malè sc. intellexit locum illum, *Gen.* 10. *v.* 32. (*Isti sunt filii Sem secundùm cognationes & linguas, & regiones, in gentibus suis*) ac si Historicæ narrationis more prolatum, quem tamen, ut dictum per Anticipationem Scripturæ usitatissimam, accipere debuisset.

Cujusmodi verò fuerat illa lingua œcumenica & sola tunc in mundo, aliud est, idq; non omnino scitu indignum. Augustinus *de Civ. Dei l.* 16. *c.* 11. Hebræam illam fuisse censet, ab Heber uno è posteris Sem sic vocatam, in cujus sanctâ progenie communis antea lingua usque permansit; Rectè quidem, ut cum divisio talis pòst contigerat ob insolescentem cæterorum impietatem, illis quasi in peculium cederet vetus loquendi idiôma. Divisio porro ista, ut docet idem Augustinus, cui etiam accedit *Epiphanius Hæres.* 39. accidebat juxta numerum principalium tunc ædificatorum, qui cùm septuaginta essent, totidem multiplicatæ sunt per orbem linguæ, & inde gentes pari & æquali numero ubique distribuebantur.

Ita se res habuit reverà in primâ linguarum divisione, aut saltem, quod verisimillimum est, posuerunt prædicti Patres? Sed quid ad hæc nunc Ethnici? Sybillæ sanè rescivirunt aliquid de eâ, quod testatur *Josephus Antiq. l.* 1. *c.* 5. & verba earum ibidem huc spectantia quædam recenset. Cæteri quotquot in vanum abiere, sectantes suamet ipsorum conjectamenta;

jectamenta; Nimirùm, aut naturæ, aut casui, aut propriæ diversi cujusque populi institutioni factum adscripserunt: Quidvis potiùs, quàm quod verum esset, suspicati; quippe nescientes Scripturæ fontem, unde veritas petenda erat.

Ad hunc modum non erubuit cum cæteris, licèt aliàs satis consultus rerum scriptor, delirare *Strabo l.* 1. Αἱ γὰρ τοιαῦται διατάξεις οὐκ ἐκ προνοίας γίνονται, καθάπερ οὐδ' αἱ κατὰ ἔθνη διαφοραὶ, οὐδὲ διάλεκτοι, ἀλλὰ κατ' ἐπίπτωσιν καὶ συντυχίαν--. *Hujusmodi*, ait ille, *dispositiones, non à providentiâ institutæ, ut neque gentium differentiæ & linguæ, sed casu quodam & fortunâ.* Συστημάτων γινομένων (ἀνθρωπίνων) καθ' ἅπασαν οἰκουμένην, οὐκ ὁμόφωνον πάντας ἔχειν τὴν διάλεκτον, ἑκάστων ὡς ἔτυχε συνταξάντων τὰς λέξεις; Διὸ καὶ παντοίους--. *Cùm per totum orbem cœtus (hominum) coïrent, & quique, ut sors dabat, verba connecteret, non eâdem omnes loquelâ utebantur. Ideoq; variæ omnisq; generis linguarum formæ extiterunt. Diod. Sicul. l.* 1.

At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere, & utilitas expressit nomina rerum.

Lucret. l. 5. & paulò post.

Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
Rebus, & inde homines didicisse vocabula prima,
Desipere est———.

Sic inaniter & frustra, ut dixi antè, luserunt veteres in primâ linguarum origine tradendâ;

 piget

Piget illorum putida insomnia ulterius persequi. Jam porro in istâ linguarum divisione, prout Scriptura nos verè edocuit, quæ primariæ inter eas sive *matrices* (sic dictæ) habendæ sint; quæ deinceps, multiplicis & diversimodæ ratione mixturæ, inde proseminatæ, non est hujus loci nec instituti mei disquirere; Id dudum accuratè satis alicubi perfecit *Illustrissius Scaliger*: Sed interim optandum erat, ut quantacunque sit linguarum varietas per totum terrarum orbem, & qualitercunque divisæ inter se & invicem discrepantes, tamen unâ quasi voce Dominum autorem suum omnes laudarent. Hoc summum, hoc unicum illius partis officium est.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Omnis spiritus laudet Dominum. Psalm. 117. & 150.

Excurs. VIII.

Gen. 19. v. 20. *Et dedit ei Decimas ex omnibus.*

PRimus hominum, quos Scriptura ullibi commemorat, Patriarcha Abrahamus decimas Deo religiosè obtulit. Fecit autem hoc proculdubiò divino permotus instinctu, aut aliunde receptâ inductus consuetudine. Sed nec Abrahamo solùm, aut Abrahami soboli, peculiaris

culiaris erat istiusmodi decimarum oblatio. Ultrà vagata est, & nullâ non in gente reperiri potest. Frustra negotiosus essem si per omnes mundi partes vellem discurrere; vel insuper de Diis omnibus scrutinium instituere, quibus decimæ constituto olim ritu persolvebantur.

Decimas solutas legimus Jovi, *Herodot. l.* 1. *c.* 84. *Pindar. Olymp. Od.* 2. Decimas datas Apollini, *Euripid. Rhes. Act.* 3. *Pausan. in Phocic. Liv. l.* 2. *c.* 21, 23, *&c.* Decimas partorum in bello devotas Marti, *Lucian. in l. de Saltat.* Decimas tributas Herculi, *Diodor. Sicul. l.* 2. Unde, *Herculana portio*, pro decimâ in proverbium exivit. Decimas donatas Minervæ, *Xenoph. Hist. Græc. l.* 1. Decimas sacratas Dianæ, *Xenoph. de Exped. Cyr. l.* 5.

Nec tantùm Diis singulis hoc modo decimas solvebant, sed etiã singulis de rebus. De agris, Ἱερὸς ὁ χῶρος Ἀρτέμιδος. τὸν δ' ἔχοντα καὶ καρπούμενον τὴν δεκάτην καταθύειν ἑκάστου ἔτους. *Ager Dianæ (Ephesiæ) sacer est. Eum qui possideat, & fructus ex eo percipiat, quotannis decumam consecrare. Xenoph. ubi supra l.* 5. Ἀπάγει δ' ἕκαστος Ἀθηναίων τοῦ αὐτοῦ κλήρου δεκάτην.——— *Atheniensium quisque decimas frugum suarum separant* sacrificiis publicis commodisque communibus deputandas. *Diog. Laert. in Solon. l.* 1. De rebus in foro venditis: οἱ (Ἰνδοὶ) δεκάτας ἐκλέγουσι τῶν πωλουμένων---. *Venditarum rerum decimas exigunt Indi.* De rebus venditis ac; immolatis, *Aristophan. in Equit. Act.* 1. *sc.* 3.

καί

Καί σε φανῶ πρυτάνεσιν
Ἀδεκατεύτους τῶν θεῶν ἱε-
ρῶν ἔχοντα κοιλίας---.
At referam ego prytanibus
Non decimatos te Deûm sacros
possidere ventriculos.

Super quod Scholiastes ibid. Ἔθος γὰρ εἶχον τὰς δεκάτας τῶν θυομένων τοῖς πρυτάνεσιν οἱ μάγειροι διδόναι. *Mos erat*, inquit, *coquis* (*Atheniensibus*) *ut rerum sacrificatarum decimas supremis urbis Rectoribus offerrent.*

De spoliis in bello captis, cujus generis erat Abrahami ista oblatio, δεκάτη τῆς λείας, *Joseph. Antiq. Jud. l.* 1. *c.* 11. Ἀκροθίνια eas solenniter vocabant. Ἀκροθίνια λαφύρων, *Decimæ spoliorum. Dion. Halicarnass. l.* 1. Πρῶτα μὲν νῦν τοῖσι θεοῖσι ἐξεῖλον ἀκροθίνια· *Ibi ante omnia Diis primitias* (*seu prædæ decimas*) *selegerunt. Herodot. l.* 8. *c.* 131.

Ὅπα τὰν πολέμου θέ-
δόσιν
Ἀκρόθινα διελὼν ἔθυε.

Ubi belli munus spolia partitus immolasset (Hercules). *Pindar. Olymp. Od.* 10. Breviter de rebus quibuscunque; Verbo negotium totum expedit Festus, nec erit quod ultra adjiciam. *Decima quæque*, inquit ille, *veteres Diis suis offerebant.*

Hæc illi, Gentiles sc. talia ac tam rectè divinum cultum decentia præstabant, solo naturæ impetu acti, insitæque rationis suadelâ.

Et quis nobis ergo Christianis aut rationis aut pietatis sensus superesse videatur, quos lex & Scriptura simul obligant ad tam justum devotionis munus præstandum, & tamen aspernamur? Nec, quod retorquent aliqui in excusationem sui neglectus, temporale fuit istud mandatum, aut ad Levitici tantum ordinis homines spectans: Ipse textus reclamat, de Abrahamo hìc loquens, qui multis longè antea annis Levitas & Leviticas institutiones præcessit. Certè, alia mens, alius animus in hâc re fuit primoris ævi Christianis, ut percensenti cuivis Ecclesiastica veterum monumenta facilè constabit.

Excurs. IX.

Gen. 14. v. 22. *Dixítque Abraham Sodomorum regi, juravi elatâ manu ad Jehovam, Deum fortem, excelsum, possessorem cœli & terræ.*

IN juramenris sanciendis duplici modo manum adhibuisse veteres compertum habeo. Unus erat, quando sibi mutuò quid promitterent, manum sc. sub femore ponendi, sicut Eliezerem custodem domus Abrahamo hero suo jurasse legimus, *Gen.* 24. *v.* 2. *Pone manum tuam*, inquit Abrahamus, *sub femore meo, ut jurejurando obstringam te per Jehovam Deum cœli & terræ.* Ità Jacob postea jam morti vicinus

vicinus ad Josephum filium suum, *c.* 42. *v.*29. *Pone, quaso, manum tuam sub femore meo nè quaso sepelito me in Ægypto.*

Domesticum quendam morem uterque insinuat locus, quo solebat pater familiæ cæteros è domo sua minores & famulos, si occasio daretur, adjurare, adhuc etiam apud Indos atque Æthiopas, ut nonnulli tradunt, usitatum. Super priore è quibus scitum est glossema *Isidor. Pelusiotæ*, *l.* 1. *Ep.* 43. cum quo conspirat *Augustinus de Civ. Dei l.* 16. *c.* 33. Ἐνετείλατο τοῦτο ὁ Ἀβραάμ--- τὸν ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ μέλλοντα σαρκοῦσθαι Χριστὸν-- καθαρότητι διανοίας ὁρῶν--- *Jussit hoc Abrahamus, Christum nimirum qui ex ipsius femore carnem assumpturus erat, pro animi sui puritate jam tum è longinquo prospiciens.*

Alter modus adhibendi manum fuit, levatione ejusdem ad cœlos, quum Deum super re aliquâ, sublatis manibus testarentur; sic de seipso loquens Deus, *Deut.* 32. *v.* 4. *Attollo ad cœlos manum meam, & dico, vivo ego in æternum.* Rursus, *sic ait Dominus Jehova, quo die eligens Israelem, sublatâ manu meâ semini domûs Jacobi, juravi, Ezech.* 20. *v.* 5, 6. Nec enim in precationibus solùm cœlum versùs manus levabant,

--(κ᾽ εὔχετο χεῖρας ἀνασχών, ut Homerus sæpiusculè:) sed etiam jurantes idem solenniter faciebant: τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν κατ᾽ ἔθος μαρτυροῦντες, *Cœlum & terram pro more attestantes,*

attestantes, ut rectè observavit *Nazianzenus Orat.* 27. & crebò occurrit in S. paginâ; *Testes invoco hodiè cœlum & terram*———. *Deut.* 4. *v.* 26, *&c.* Sed ad rem.

Latinum primò, & deinde Æneam sublatis hoc modo manibus invicem jurantes inducit *Virgilius*, *Æn.* 12.

Sic prior Æneas: sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cœlum, tenditque ad sydera dextram;
Hæc eadem Æneas, terram, mare, sydera juro.

Simile quid affert *Aristoteles Pol. l.* 3.*c.* 10. de priscorum Heroum gubernatione ibi differens, & quomodò regna sua administrabant, aliàs jurati, aliàs injurati: ὁ δ᾽ ὅρκος ἦν τοῦ σκήπτρου ἐπανάτασις; *Jusjurandum autem erat sceptri elevatio.*

Atque hinc breviter mos effluxit inter homines (quod adhuc etiam perdurat) tollendi manum, quoties testatum aliquid facere, aut assensum rei propositæ præbere velint; ὅτῳ δοκεῖ, Ἱππεῖς, Ἀδείμαντον ἱππαρχεῖν, ἀνατεινάτω τὴν χεῖρα---. (*ui igitur placet, Equites, Adimantum præfectum esse, manum attollat. Lucian. in Navig. & Xenophon* in re consimili. *De Exped. Cyr. l.* 1.

—His cuncta simul assensere cohortes,
Elatasq; altè quæcunq; ad bella vocaret,
Promisere manus————. Lucan.

Mos iste, inquam, publicitùs rata habendi solenniora interdum *fœdera* seu pacta qualiacunque protensarum ita manuum sublatione,

latione, etiam inter nos perdurat usque, & exercuimus nuper adeo, tunc cùm rectiùs multò (forsan) intra sinum constrictas tenuissemus.

Excurs. X.

Gen. 15. v. 10. *Abrâm itaque sumpta offerens ei omnia hæc, quum dissecuisset ea per medium, posuit dimidiatam cujusque partem è regione suæ alterius*——.

NEmini nisi Amuso penitus & literarum profano incognitum esse potest, quomodò in pactis fœderibúsque sanciendis, sive in Dei populo, sive apud alienos, multus ubique sacrificiorum usus invaluit. Σπονδὰς adeo, quo nomine sc. Induciæ in bello usitatæ significantur, ἀπὸ τοῦ σπένδειν, quod est *libare*, deducunt Grammaticastri.— *Cæsâ jungebant fædera porcâ.Æn.* 8.*Fœdera*, ait Servius, in locum, *dicta sunt à porcâ fœdè & crudeliter occisâ*. Sed utcunque, ut creber fuit sacrificiorum usus in hujusmodi solennitatibus peragendis, tamen non ita omnino creber modus iste, quo hostia in duas partes utrinsecus ex adverso positas dissecabatur.

Homericum illud Odyss: 5.

Ἀλλ' ἄγε τάμνετε μὲν γλώσσας, κεράασθε δ' οἶνον·

Ὄφρα ποσειδάωνι καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι,

Σπέν-

Σπείσαντες——.

Quin agite, dividite quidem linguas, miscete vinum,
Ut Neptuno, & aliis Diis immortalibus
Ubi libaverimus——.

Facit hoc Homeri, in quam, nonnihil ad rem sub manu, sed non attingit planè. Plutarchus *in Qu. Græcis* consuetudinis cujuspiam talis disertè commeminit vigentis inter Bœotos: Βοιωτοῖς δὲ δημοσίᾳ καθαρμός ἐστι κυνὸς διχοτομηθέντος τῶν μερῶν διεξελθεῖν-. *Apud Bœotos est sacrificiū*, ait ille, *quo cane in duas partes disciſſo, per earum medium tranſibant*; Simili prorsus modo Macedonum reges lustrare solebant suos milites, narrante *Curtio l.* 10. *ut disciſſa canis viſcera ultimo in campo in quem deduceretur exercitus, ab utrâq; parte abjicerentur.*

Tunc piceæ mactantur oves, proſectaq; partim
Pectora, per medios partim gerit obvius Idmon.
(*Val. Flacc. Arg. l.*2.

Ultra omnes creber est in hoc argumento *Dictys Cretensis.* In *l.* 1. recensens unanimem Græcorum principum conspirationem ad bellum Trojanum suscipiendum; *Tum deinde communi conſilio*, inquit, *ſuper conditione belli juſurandum interponi hoc modo placuit: Calchas filius Neſtoris præſcius futurorum, porcam majorem in medium afferri jubet, quam in duas partes exectam orienti occidentiq; dividit, atq; ita ſingulos nudatis gladiis per medium ire jubet.* Sic rursus *l.* 2. ubi Agamemnonis atque Achillis inter se conciliationem enarrat: Et

denuò

denuò *l.* 4. fædus pacis ictum referens cum Trojanis, Diomede & Ulysse sequestris.

Non plura mihi ad præsens suppetunt istiusmodi ritus specimina: vel si suppeterent, possent forsan inter supervacanea, adeóque *rejicula*, meritò locari. Offert se tandem loco clausulæ illud scitu non indignum, si modò sciri possit, quâ ratione aut quo fine Abrahamus ita divisit sacrificium suum, partésque deinceps è regione separatim oppositas constituit: Oedipo hìc opus sit potiùs quàm interprete. Sed ut, quod aiunt, in tenebris ad metam collimem. Fecit id forsan (divisiones quæ in Eccles. tandem evenirent significans, ait Prosper, *Præd. & prom. l.* 1. *c.* 12. sed) divisiones, inquam, consecuturas posteà in propriâ ipsius familiâ præmonstrans, quum cætera Israelitarum multitudo abscinderetur à domo Dividis, & duæ Tribus cum reliquis decem confligantes, perpetuâ ferè in acie contra se mutuò consisterent.

Excurs. XI.

Gen. 17. v. 13. *Hoc est fœdus meum inter me & semen tuum post te quod servabitur, ut circumcidatur omnis mas.*

INter multiplices Circumcisionis usus, non sine peculiari aliquo Israelitarum beneficio à Deo gratiosè institutos (quos Scholasticis utique

utique Doctoribus curiosiùs exquirendos relinquo. Unus fuit, nec minimus ille, ut sic distingueret eos à circumjacentium undique Nationum Colluvie. *Ut sit in signum fœderis inter me & vos*, v. 11. *Distinctivum* sc. *populi sui ab aliis*, ut notat *Comestor in loc.* Ideóque, quod subdit Cedrenus, durante illâ annorum quadraginta peregrinatione suâ per desertum, circumcidi desierunt; ὅτι παντὸς ἀλλογενοῦς κεχωρισμένοι,--quippe *quòd loco tunc satis ab Alienigenarum communione discreti fuerant.*

Sed quorsum hæc distinctio, aut quomodò reverà omnino distinctio habenda erit, si quod certum est, Allophyli quoque à Judæis multùm diversi, eundem circumcidendi morem usurparunt? Fatetur hoc *Cyprianus l. de Circumcis.* §. 1 Non repugnat *Epiphanius, Hæres.* 30. Eò quidem usque ut *Herodotus l.* 2. *c.* 104. audacter atque elatâ manu pronunciet Phœnices & Syrios in Palæstinâ, h. e. Judæos, (ὁμολογέοντας, uti asserit) circumcisionis ritum ab Ægyptiis traxisse. Id ipsum Celsus postea Christianis graviter impingit, teste *Origine Contra Cels. l.* 1. Herodoti illum locum perpendens *Joseph. Antiq. l.* 8. *c.* 4. uti non assentitur planè, ita nec apertè refellit. Aut si negasset, vel ille, vel alius quicunque sui ordinis, contravenisset plerúnque Gentilium Scriptorum Autoritas.

Quæri itaque rectè potest, ubi aut quâ in re constabit hic discrimen Judæos inter atque

D

que Exoticos. Utrique, palam eſt, Circumciſionem nôrunt: utilibet æquè ſolenniter obſervârunt. *Origines l. 5. Contra Celſ.* cum quo pulchrè conſpirat *Epiphanius in loco ſuprà citato*, non inſcitè, ut mihi videtur, nodum explicuit; τὸ δὲ αἴτιον τῆς Ἰουδαίων περιτομῆς, οὐ ταὐτὸν ἐστὶ τῷ αἰτίᾳ τῆς Αἰγυπτίων περιτομῆς, ἢ Χόλκων, διὸ οὐχ αὐτὴ νομισθείη ἂν περιτομή---. *Cauſa*, inquit ille, *circumciſionis non eadem erat Judæis quæ Cholcis & Ægyptiis—— ac proinde nec eadem Circumciſio.* Et deinde, ἡ δὲ πρόθεσις καὶ ὁ νόμος καὶ βούλημα τοῦ περιτεμόντος ἀλλοῖον ποιεῖ τὸ πρᾶγμα. *Propoſitum autem & lex atque voluntas circumciſi faciunt certè ut alia res ſit, aliud negotium, Circumciſio.*

Illi itaque (Ethnici) temerè & inconſultè hoc agebant, aut ſaltem putidis quibuſdam, ſicut moris eorum erat, adacti perſuaſionibus: Hi, (Judæi) non ſine expreſſo divini Numinis juſſu, à quo circumciſionem in ſingularis erga ſe benevolentiæ teſſeram accepiſſent. Inconſultæ illorum hâc ex parte tractationis duo mihi ſuppetunt indicia, quæ quamvis aliter forſan ſupervacanea aut tenuis ſaltem momenti, libet proferre. Unum eſt quòd maribus pariter ac fæminis præputium abſcindebant, quod de Æthiopibus tradit *Strabo l. 16.* quo quid abſonum magis vel pudendum excogitari poteſt, non facilè reperio. Alterum eſt, perverſa (nempe Arabum) conſuetudo; quâ non niſi poſt trigeſimum annum

reſe-

resecabant circumcidendorum carnes, ut refert *Zonaras Tom.* 1. tunc cùm siccitas & exoleti corporis durities minùs aptæ sanationis operi judicentur, Sic divinæ institutionis imitatores stulti, corrumpebant eam turpiter, dum æmulabantur, nec quidquam inde retulerunt commodi, sed tantùm profanam suam inscitiam prodidêre.

Atque hoc itaque, (quod breviter & ex abundanti adjiciam) inter cætera in causâ erat præcipuè, (ut rectè annotârunt, *Josephus Antiq. l.* 12. *c.* 2. & post eum *Eusebius Præpar. Evangel. l.* 8. *c.* 5.) Cur Deus verbum divinæ suæ legis tam arctè & sub sigillo quasi Hæbræi idiomatis occlusum & invulgatum olim servabat, (quo factum est ut pauci Gentilium Scriptorum, vix aut nè vix ullibi, illius in Scriptis suis, quippe ignoti, meminerint): ne sc. pari planè modo cum ritu circumcisionis universas sanctæ Scripturæ doctrinas putidis suis commentis conspurcarent.

Excurs. XII.

Gen. 21. v. 8. ***Crevit igitur puer & ablactatus est, fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis suæ.***

ISaâcus Hebraicè sumptus *risus* seu lætitiæ filium sonat: utpote à Deo parentibus ejus gratiosè datus tunc cùm prolifica generandi

randi vis, in utroque, (saltem in matre, *Gen.* 18. *v.* 11.) jam per ætatis defectum emarcuisset. Nec itaque incongruè factum est, ut qui parentibus suis nascendo gaudia fecisset, lactaretur statim à gaudentibus, nec absque Festo, communi lætitiæ tesserâ, demum ablactaretur.

Vix aut nè vix perlegenti Sacram paginam occurret alibi præterea conviviũ hujusmodi, super tali nimirũ occasione specialiter indictum. Apud prophanos Authores sæpiusculè; Ut enim conventus alios festivos complures transiliam puerperis tunc in usu, Ἀμφιδρόμια sc. de quibus *Plato in Theæteto* suo, Ἀνακαλυπτήρια sive ὀπτήρια, notata à *Synesio in Encom. Calvitii*, & *Nonn. in Dionysiac. l.* 5. Ὀνομαστηρίας, *Lucian. Dial. in Charon.* seu, *Nominalia*, ut loquitur *Tertullianus l. de Idol. c.* 16. —λεχώνια δῶρα, *Antholog. l.*3.*c.*12. (quæ, si cui animo est pleniùs cognoscere, Autores ipsos cum Scholiis eorundem consulat): Afer Comœdus, ut mihi videtur, succinctè simul omnes, & inter cæteros, præfatum ritum perstrinxit.

—porro autem Geta,
Ferietur alio munere ubi hera peperit,
Porro alio autem ubi erit puero natalis dies:
Ubi initiabunt——— *Phorm. Act.*1.*sc.*1.

Initiabant nempe *Educæ* & *Potinæ* Divis, esus atque potus præsidibus; sic enim in more positum erat, ut alicubi docet Varro, statuere

re de infantulis, quamprimùm ſuccreſcentes à lactandis maternis uberibus depulſi fuiſſent: ſicut poſtea jam validos & greſſui pares, *Statilio* vel *Statino Deo* dicare.

Idem porro feſtum, aut aliud non multùm diſpar τιθηνίδια illa deſignant, Spartanis olim uſitata, de quibus *Athenæus l.* 4. κοπίζει δὲ καὶ τῶν ἄλλων παρ᾽ αὐτῶν ὁ βουλόμενος· ἐν δὲ τῇ πόλει κοπίδας ἄγουσι, καὶ τοῖς τιθηνιδίοις καλουμένοις ὑπὲρ τῶν παιδῶν· h. e. *Copidem parare licet (extra civitatem) Spartiatarum, cuicunque collibitum eſt: In civitate vero, Tithenidiorum feſtis diebus, quos pro infantium Salute celebrant*——. τιθήνη enim nutrix eſt, lactatrix Alumna propriè, docente Suidâ, ſive mater ſit, qualis hìc Sara fuit, ſive aliunde conducta: Τιθηνίδια igitur, ſi locus conjecturæ detur, *Feſta* quædam erant, quæ ob lactationis tempora fæliciter elapſa, ab infantum parentibus vel cognatis, ritu ſolito obſervabantur.

Paucas habemus inter nos iſtjuſmodi Saras, quæ ipſæ lactent liberos ſuos: ideóque non ſperandum eſt, ut denuo de ablactatione eorundem multùm exultent. Parcunt ſuis ipſarum moleſtiis delicatulæ mulieres, adeóque nil mirum, ſi ſumptui quoque tam honeſto poſtea parcant. Deſcivit illud ſolenne feſtum in luſus, & choreâs, & vanas commeſſationes: Abjecerunt veteres & laudabiles convivandi ritus, quò novos, eóſq; parùm modeſtos amplexentur.

Excurſ

Excurſ. XIII.

Gen. 21. v. 33. *Plantavit verò Abraham nemus in Beerſheba, & invocavit ibi nomen Dei æterni.*

COnlucatione hìc inprimis opus eſt, ne dum de lucis diſſerimus, inter lucos, quod aiunt, ſine omni luce devii oberremus. Lucorum ergo nomine in Scripturâ non tantùm lucos reverâ tales, ſed lucos pictos vel fictos quandoque intelligas: E quo genere fuerunt illi memorati, 1 *Reg.* 14. *v.* 23. *Extraxerunt* (Iſraelitæ) *ſibi excelſa, & ſtatuas, & lucos, ſuper omnem collem altum, & ſub omni arbore virente.* Iterum 2 *Reg.* 23. *v.* 6. *Exportavit* (Joſias) *lucum è domo Jehovæ extra Jeruſalem, ad torrentem Cedronis, quem comburens ad torrentem, comminuit in pulverem.*

Sed lucum verè ſic dictum plantavit hìc Abrahamus. Quanquam quo jure hoc fecerit, & quàm bene hoc factum cum illo Dei poſtea effato congruat, *Deut.* 16. *v.* 21. (*Nè conſerito tibi lucum ullis arboribus, ſecundùm altare Jehovæ Dei tui, quod feceris tibi*) ulterioris diſquiſitionis negotium eſt. Forſitan hoc fecit, idque meritò, ut, quia nullibi adhuc aut templum aut altare aliquod fixum extabat, haberet ſaltem ubi debitum divinæ Majeſtati cultum præſtaret.

Certè,

Certè, cùm vix, aut nondum omnino, templa essent in usu, Naturæ quasi ductu, religionem suam in lucis exercuerunt veteres Ethnici. *Hæc fuere Numinum templa*, inquit *Plinius Hist. l.* 12. *c.* 1. *priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant.* καὶ πρῶτον μὲν ὕλας ἀπενέμοντο, καὶ ὄρη ἀνέθεσαν, Καὶ--. *Primùm lucos Diis attribuerunt, tum & montes dicarunt —deinde suam cuique arborem assignarunt. Lucian. de sacrif.* Ideóque meritò inter loca Diis consecrata, nemora & lucos præcipuè enumerat *Pollux Onomastic. l.* 1. Οἱ ἀνειμένοι θεοῖς τόποι, ἄλση τε, καὶ τεμένη, καὶ ἕρκη. *Diis verò consecrati loci sunt, nemora, luci, & sacra septa.*

Quinetiam & postquam templa haberi cœpta sunt, nequaquam tamen rejecerunt lucorum venerationem, sed unà tenuêre. *Constructa à patribus templa habento, lucos in agris habento*, una fuit è sanctionibus 12 Tabul. citante *Cicer. de leg. l.* 2. Immo lucos istjusmodi in more erat circa templa præcipuè sitos colere, (quod ideo tam sollicitè & signatis verbis populo suo Israelitico interdixit Deus ubi supra *Deut.* 16.) ut facile cuivis sit inter legendum Autores veteres observare, Poetas maximè. Ἄλση καλοῦντες τὰ ἱερὰ πάντα, κἂν ᾖ ψιλὰ, οἱ ποιηταὶ κοσμοῦσιν· *Poetæ propter consitarum arborum juxta templa perpetuam consuetudinem, ornandi gratiâ, omnia templa lucos appellant, etiam arboribus carentia. Strab. l.* 9.

—*Templum nemorale Dianæ. Ovid.*

Atque hinc adeo verbum Τέμενος, quod propriè agri portionem quandam à cæteris resectam significat, *templum* vel *delubrum*, licèt non absque aliquo fortassis discrimine, (frustra hìc excutiendo) ubique ferè recepto locutionis more denotat.

Tale igitur aliquod nemus ceu *Lucum* hìc plantavit Abrahamus : Sed porro utrum id divini cultus gratiâ, quod dixi, sive ad alium usum quemcunque, non nostri est pensi sollicitiùs inquirere ; nec si inquirerem, possem fortean certò invenire.

Excurs. XIV.

Gen. 23. v. 20. *Et confirmatus est ager, & antrum quod in eo erat Abrahamo in possessionem monumenti à filiis Heth.*

DE agro Macpelæ ex adverso Mamræ sito loquitur textus, ut videre est, *v. 9. &* 17. quem agrum unà cum speluncâ ibidem, post sedulam & exactam stipulationem habitam cu n Ephronis filiis, emit tandem Abraham possessionem sibi suísque futuræ sepulturæ. Ibi sepultus est ipse, ibíque posteri ejus, longo postea succedentes ordine. *Isaac*, *Gen.* 35. *v.* 27, 28, 29. *Jacob*, *c.* 47. *v.* 30. *Joseph* *c.* 50. *v.* 25.

Accepit hunc sepelitionis morem Abrahamus,

mus, aut ſaltem accipere potuit ab Hethitarum allophylo populo *ſupra v. 6.* inter quos diverſatus eſt aliquantiſper, qui & ipſi ſepulchralia hujuſmodi antra in uſu habuere. Nec illi tantùm, ſed & aliæ præterea Gentes. Notum eſt de Ægyptiis, *Herodot. l. 2. c. 86. Hypogæa* ſeu *conditoria* vocat Petronius. *In conditorium, jam defunctum proſecuta eſt, poſitúmque in hypogæo flere totis noctibus diebuſq; cœpit. c. 71. Conditorium, & corpus magni Alexandri cùm prolatum è penetrali ſubjeciſſet oculis* (Auguſtus) *veneratus eſt. Suet. in Auguſt.* §. 17. Meminit hujuſmodi camerarum ſive fornicum ſepulchalium Plato *de Leg. l.* 12. Et breviter, ne longiùs aberrem ;

Omnino tale fuit conditorium illud quod exciſum è petrâ ſibi paravit Joſeph Arimatheæ, *Matth.* 27. *v.* 60. & interim defunctum Salvatorem Chriſtum ibi locari juſſit, advoluto inſuper (pro more) quàm immani ſaxo ad oſtium monumenti,

Αἶψα δ᾽ εἰς κοίλην κάπετον θέσαν, αὐτὰρ ὕπερθε
πυκνοῖσιν λάεσσι κατεστόρεσαν μεγάλοισι.

Mox autem in concavam foſſam poſuerunt (Hectora) & deſuper
Crebris lapidibus obfirmarunt magnis. Il. 24.

Sed hoc non illud eſt quod hìc præcipuè velim ; Res præcipuæ obſervationis eſt, conſuetudo illa, quâ veteres, locupletioris ſaltem fortunæ, ſolebant ipſi hoc modo peculiaria

ſibi

sibi struere monumenta, tùm posteri illorum in eodem ea honore ad sepulturam usque habere. Abrahami posteri, quod & antea notavi, curabant sedulò ut in ejus sepulchro apud Mamre conderentur; Sic reges Judæ & Israelis passim, ut in regum Antecessorum suorum sepulchris tumularentur. Et hìnc dilucescit obiter genuina phraseos illiûs ratio, quâ tàm crebrò in Scripturâ dicuntur mortui, *cum patribus suis obdormivisse.*

Magnum est, ut ait Cicero, *eadem habere monumenta majorum, iisdem uti sacris, sepulchra habere communia*, *De offic. l.* 1.

Ut cinis in tumulo positus jacuisset avito,
Tactaque nascenti corpus haberet humus;

Ovid. Trist. l. 4. *Eleg.* 3. *Sepulchra majorum*, hæc ipsa vocat Cicero, ubi suprâ; nec aliter Quintilianus *Declam.* 11. *Miser ego nec ad cadaver accessi, nec in sepulchra majorum intuli.* Rursus *familiaria sepulchra*, aliàs, *hæreditaria*, nuncupata fuere. *Familiaria sepulchra dicuntur, quæ quis sibi familiaque suæ constituit; hæreditaria, quæ sibi hæredibusque suis. Novell. Constit.* 11.

Neutra licebat possessoribus suis, aut venditione, aut mutatione, aut alio quovis modo, alienare; *Extra sacra & gentem inferri fas non est*; *ex LL.*12. *Tabul.* Fuit ejusmodi planè hæreditarius sepulturæ locus is quem Claudia gens peculiari jure possedit, referente *Suetonio in Tiber.* §. 1. *Agrum insuper trans Anienem clientibus, locumq; sibi ad sepulturam sub Capitolio publicè accepit.*

Facit

Facit locus ad institutum negotium aptissimè: nec opus est igitur ut plures ejusdem vel consimilis farinæ in subsidium advocem. Quàm velim interea, ut quantum operæ & impensæ, qnod faciunt magnatum complures, præparandis exornandísque sepulchralibus corporum conditoriis insumunt, tantum curæ de æterno posthac animarum receptaculo haberent.

Excurs. XV.

Gen. 24. v. 65. *At illa tollens citò pallium operuit se.*

PErmodestè quidem hìc se gerit Rebecca, quòd occursura novo sponso, velamen sibi priùs induxit. Fecit autem hoc non ritu aliquo Judæis peculiari, sed qui aliis præterea gentibus, & populis quam plurimis insederat. Ita enim ferè (quod ubique docent Scriptores classici) velatæ sive operimento aliquo contectæ solebant virgines nuptui locandæ ad viros perduci.

——Dudum sedet illa parato
Flammeolo, Tyriusq; palam Genialis in horto
Sternitur. Juven. *Sat.* 10.
Præluxere faces, velarunt flammea vultus.
Mart. l. 12. *Ep.* 42.

Ἐγὼ δέ λεπτῶν ὄμμα διὰ καλυμμάτων
Ἔχουσ'---.

Ego

Ego verò tum tenui è velamine
Prospiciens——— *Eurip. Iphigen. in Taur. Act.* 2. habitum ejus commemorans, quum ad simulatas cum Achille nuptias duceretur.

Hinc ἀνακαλυπτήρια, ἐπαύλια, θεώρητρα apud antiquos, certa quædam munera novis nuptis dari solita, tunc cùm primùm retectâ facie in publicum visendæ prodirent. Ἀνακαλυπτήρια, δῶρα διδόμενα ταῖς νύμφαις ὅταν τὸ πρῶτον ἀνακαλύπτωνται, ὥστε ὁρᾶσθῆναι τοῖς ἀνδράσι. *Harpocrat. in verb.* Siciliam fabulantur Poetæ in Plutonis & Proserpinæ nuptiis *pro Anacalyptris* novæ nuptæ datam fuisse. *Diod. Sicul. l.* 5. Tam vetus fuit mos iste Gentiles inter, vel à Diis suis, uti videtur, oriundus, nec adhuc, quod aiunt, apud nos aliquibus in locis omnino desitus.

Sed nihil opus est testimoniorum multitudine, ubi vox ipsa per se satis manifesta rem declarat. *Nuptiæ* quippe *à nubendo*, docente Festo, & nubere idem sonabat antiquitus, quod obvolvere seu velare; Restat potiùs inquirendum quare aut quâ de causâ inducebatur hoc modo nupturis operculum.

Una forsan erat ad testandam subjectionem viro debitam, juxta illud Apostoli 1 *Cor.* 11. *v.* 10. Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς; *Propter hoc debet mulier habere potestatem in capite.* Ἐξουσίαν hinc ausi sunt substituere nonnulli, *operimentum* sive velamen denotante

denotante vocabulo. Ad quem etiam modum *Marc.* 11.*v.* 13. ubi Christus infrugiferæ ficui malè ominatur, pro οὐ, *non*, subjiciunt οὗ, *ubi* vel *quando*, (contrario prorsus verborum significatu): *Et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia.* οὗ γὰρ ἦν, *erat enim tunc tempus ficuum.* Scitè quidem in his & similibus, sed quam rectè, viderint ipsi Interpolatores; certè non est tutum ludere cum apicibus Sacræ paginæ, aut in rebus religionis subtile nimis ingenium ostentare.

Altera ratio, eáque verisimilior est, ut ita sc. pudorem & virginalem modestiam testarentur.

—*Timidum nuptæ leviter tectura pudorem*
Lutea demisso, velarunt lutea vultus. *Luc.l.*1.

Contra morem istum tegendi nupturas virgines, consuetudinem prorsus dissimilem profert Alexander ab *Alex. l.* 2.*c.* 5. Spartanis, ut ait, solenniter usitatam, quâ virgines non nuptæ facie invelatâ & apertâ, nuptæ verò nonnisi contectâ parte oris publicitus videndæ prodirent: Non vacat morem hìc cum more componere, curiosulè rem ventilando, uter utri præstat, nec sanè multúm refert, uter.

Satis sit instituto nostro, alterum illum apud Judæos pro certo valuisse; utinámque vel inde, quod & supra obiter perstrinxi, nostri sæculi nuptæ, pudorem atque verecundiam vitæ suæ, unáque subjectionem, qualis deceat, erga maritos, seriò addiscerent.

Excurs.

Excurs. XVI.

Gen. 26. v. 8. *Cúmque pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur (Isaac) prospiciens Abimilech rex Philistinorum per fenestram, vidit eum colludentem cum Rebecca.*

SUnt qui Textum hunc in scæviorem partem interpretantes, de lusu ἀφροδισιακῷ sive Venereo accipiant: Ac si Abimilech prospectans per fenestram, Isaacum fortè cum uxore suâ conjugii jure mixtum vidisset. Vix adduci possum, ut quamvis castè satis, tamen parum cautè egisse sic opiner Patriarcham. Eat hinc procul talis mos ad spurcos & inverecundos Cynicos ablegandus, quibus

οὐδ' εὐνῆς αἰδὼς ἐπιδήμιος, ἀλλὰ σύες ὣς
μίσγονται χαμάδις---. *Ut Apoll. Rhodius.*

At rursus si quis verbum quo utitur hìc Moses, tum crebum verbi apud exteros usum recognoscat, non adeo abhorrebit à prædictâ opinione, aut saltem non tam insulsam èam esse penitus judicabit.

Nam primò ἐμπαίζειν, quæ cognatæ vox est significationis, & ab eâdem radice progerminans, in parili omnino sensu occurrit postea, c. 39. v. 14. *En introduxit virum Hebræum uti illuderet nobis (ὡς ἐμπαίζειν,) & ingressus est ad me ut coïret mecum.* Sed pressiùs & ad verbum ipsum

ipsum in textu positum, Εἶδεν (ὁ Ἀβιμέλεχ) Ἰσαὰκ παίζοντα μετὰ Ῥεβέκκας----. Arrianus *in Exped. Alexandri l.* 2. Vetus illud Sardanapali dictum pertractans, in sepulchro ejus inscriptum, sc. Ἔσθιε, πῖνε, παῖζε, h. e. *Ede, Bibe, Lude:* καὶ τὸ παῖζε, inquit ille, ῥαδιουργότερον ἐγγεγράφθαι ἔφασαν τῷ Ἀσσυρίῳ ὀνόματι; *Illud verò, Lude, molliore quodam lasciviorēque Assyrio vocabulo expressum ajebant.* Quod proprio & genuino quasi sensu donans Chærilus poeta apud *Athenæum l.* 11. Ἔπιον, ἔφαγον, ἠφροδισίασα reddit ille, verbum παίζειν per aliud, licèt inurbanius, τοῦ ἀφροδισιάζειν explicando: Et *Homerus.*

Τῶν δ' ἔφαγόν τε, ἔπιόν τε, καὶ ἀιδοίοισι ἔδωκα.

Quæ habui, aliqua edi, alia bibi, reliqua absumpsi in venerem.

Ad hunc modum Æsopus cavillo excipiens delicatum Dominæ suæ fastidium erga se deformem, σὺ ὦ Δέσποινα ἐβούλου ὠνήσασθαί σοι δοῦλον τὸν εὐσωματοῦντα, σφριγῶντα, ὃν ἔδει σοι προσπαίσειν τὰ εἰς αἰσχύνην τοῦ φιλοσόφου---. *Tu ô Domina, velles potiùs emisse tibi servum juvenem, bono habitu, vegetum, qui tecum luderet, in dedecus (heri) Philosophi. Planud. in vit. c.* 8.

Ludite ut lubet, & brevi
Liberos date, non decet
Tam vetus sine liberis nomen esse.
(Catul. Ep. 53.

Lude

Lude, ſed occultè, major non maxima vobis
Eſt data libertas dum Menelaus abeſt.
(*Ovid. Ep.* 16.

Luſiſtis, ſatis eſt, laſcivi nubite———
(*Mart. l.* 6. *Ep.* 45.

Nec itaq; quod antea ſignificavi, certus ſum omnino, (nec eſſe quis poteſt) num quod caſu aliquo factum fortè animadvertiſſet Abimilech in congreſſu Iſaaci cum uxore ſuâ, obtexit Scriptura necne verecundiore quâdam verborum tralatione. Certè ἐυσχημόνως ἔιρηκε subjungit in locum Scholiaſtes, h. e. *condecenter*, rem hìc Moſen protuliſſe. Simili ſermonis ἐυσχημοσύνῃ etiam & alibi, quod obſervare eſt, utitur pro ocaſione ſæpiuſcule S. pagina; Et quidem omnino ſic fieri oportere in ejuſmodi materiâ, rectè contendit Cicero adverſùs diſſentientes *Stoicos*, *de Offic. l.* 1. Et porro ſic feciſſe ubivis, non ſine magnâ modeſtiæ laude, poetarum Coriphæos duos, Homerum & Virgilium, ſolerter annotavit *Gellius*, *l.* 9. *c.* 10.

Sed *Amplio* igitur, quod aiunt, de re propoſitâ; nec herclè tanti eſt, ut decretoriam aliquam ſuper eâ ſententiam neceſſariò interponam. Utut, diſcamus hinc licet, caſto & pudico ſermonis idiomate ubicunque & in re quâvis uti. Quid refert enim, ut olim ille, *quâ parte ſis cinœdus?* —Deus quitam ſeveriter pronunciavit contra *otioſi* cujuſlibet *verbi* uſuram, *Matth.* 12, *v.* 36. quomodo non obſcœna

fcœna & turpia noſtra cotidiè dicta, lupanari prorſus digna, tandem damnabit.

Excurſ. XVII.

Gen. 28. v. 18. *Surgens ergo* (Jacob) *manè tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in ſtatuam, fundens oleum in ſummitatem ejus.*

DIverſimodas Aras reperire eſt in ſacrâ Scripturâ, & quæ divini cultus gratiâ, & quæ memoriæ publicæ cauſâ inſtituebantur. De priore hìc agimus, taliſque illa fuit à Patriarchâ Jacobo erecta, non ſuperſtitioſo aliquo aut Idololatrico ſenſu, quod rectè notat S. *Auguſtinus de Civ. Dei, l.* 16. *c.* 38. ſed myſtico & Chriſti à Deo uncti adventû in carne futurum jam longè antea præmonſtrante. Itáque teſtandi obſequii & ſummæ ſuæ obſervantiæ ergô oleo eum perfudit.

Sic enim apud veteres etiam paganos magno in honore ſemper habebatur oleum; adeo ut ſimulachra, Saxa, ſtipites, & quodvis demum adorabile, eo delibuerent, aut delibutum venerarentur; Πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες· *quodvis lignum, & quemcunque lapidem, modò unctum, quod aiunt, adorantes. Clem. Alexand. Strom. l.* 7. Teſtes hujus veritatis licet mul-

tos producere: Sed supersedebo à tam innecessario conatu, cùm duo vel tres abunde rem confectam dabunt.

Arnobius adversus Gentes, l. 1. pristinæ ibi conditionis suæ miseriã obiter deplorans; *Venerabar* (inquit) *ô cæcitas, nuper simulachra—picturas, veternosas in arboribus tanias: si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam. Lucianus in Dialog.* Θεῶν Ἐκκλησ. dicto; πᾶς λίθος, (ait ille) καὶ βωμὸς χρησμωδεῖ, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ, καὶ στεφάνους ἔχῃ *Lapis omnis & quævis Ara responsũ dat oraculũ petentibus, dummodò oleo perfusa fuerit, & coronata.* Supra omnes videri posset Apuleius rem totam graphicè delineasse; *Neq; enim justiùs viatori morã objecerit, aut Ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus. Florid. l.* Quid afferri amplius potest exprimendæ insanæ tunc hominum Idololatriæ, quâ cæcutientes, ut Cæcilius ille Minucianus, *luculento die* in lapides impingebant, nil relinquentes incultum, aut religione cassum, quod unguine & sertis modò sacratum invenissent.

Fas sit auctarii vice illud Tibulli adjicere, *l.* 1. *Eleg.* 1. suam ipsius (quod optimè poterat) ibidem enarrantis stupiditatem.

Nam

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.

Vel illud etiam Prudentii *contra Symmach.* l. 1.

——Puerorum infantia prima
Errorem cum lacte bibit, gustaverit inter
Vagitus de farre molæ, saxa inclyta sertis
Viderat, unguentoque lares humescere nigros.

Denique, (quod mirandum est) extant & adhuc reperiendi nonnullibi Christianæ hominis professionis, qui quamvis non coronent imagines, aut oleo eas perlinant, venerantur tamen coluntque nimis abjectè: Quid aliud ita agentes reverà, quàm ut cum præfato illo Cæcilio, jam clara in luce Evangelii, in ligna & perpolitos stipites offendere meritô dicantur?

Excurs. XVIII.

Gen. 29. v. 24. *Dederat autem illi Laban Zilpan ancillam suam, ut esset Leæ filiæ suæ ancilla.*

MOs erat mulierum enubentium apud Judæos, ut inter cæteras res dotales, quibus pro disparis conditione census ducentem augebant, dotale insuper famulitium unà secum è paternâ domo adducerent. Sic Lea in Textu, comitante ancillâ suâ Zilpâ: Sic Rachel postea *v.* 29. non sine Bilhâ sibi mini-

miniſtraturâ in familiam Jacobi tranſivit futuri Conjugis. Ad hunc morem reſpiciens *Tertullianus l. de Anim. c.* 41. *dotale animæ mancipium* eleganter carnem vocat, cùm ſc. repurgata denuo animæ rurſus conjungitur in Reſurrectione, & quaſi adjectitiæ dotis munere aſſociatur.

Etiam viguit hæc conſuetudo apud exteros quoque, tenuítque in utrovis ſexu, ſeu ſervi, ſive ſervæ dicerentur.

Dotalem Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu ſit, quàm tibi.
Plaut. Aſin. Act. 1. *Sc.* 1.

—Ἀλλ᾽ ὀχημάτων
Ἔξω πορεύεσθε, ἃς φέρω φέρνας κόρῃ,
Καὶ πέμπετε εἰς μέλαθρον εὐλαβούμεναι.
Deſcendite comites, quas mecum dotales duco,
Decenterq́; & verecundè compoſitæ ite in atriū.

Euripid. Iphig. in Aulid. Act. 3. & rurſus *Act.* 4.

Κλυ. Οἶδα σ᾽ ὄντ᾽ ἐγὼ παλαιὸν δωμάτων λάτριν.
Πρεσ. Χ᾽ ὥτι δή με ταῖς φερναῖς ἔλαβεν Ἀγαμέμνων.
Cly. *Scio te veterem domus meæ miniſtrum.*
Fa. *Utque me in partem dotis tuæ acceperit Agamemnon, noviſti ſcilicet.*

Πέμπε δὲ τοῖς γάμοις τῇ παιδὶ θυγατέρας τέσσαρας ὁμήλικας, καὶ γυναικὶ ἀμπεχθόνας, ἃς ὑφ᾽ ἡμῶν σταλείσας ἔχεις: *Mitte quoque puellæ ad nuptias quatuor filias æquales, muliebreſque ſtolas,*

stolas, quas à nobis missas habes. Phalar. ad Teucr. inter Græc. Ep.

Satis de re constat: Tantùm de modo superest, aut quali nempe deinceps in conditione vernacula hæc atque domestica servitia perseverabant postea. Nec enim eâdem planè fungebantur cum cæteris, æquè licèt spectantes ad utrumvis & dominum dominámque: Sed in peculio toti sive jure Dominæ proprietario censebantur. Hinc *Receptii* dicti sunt ejusmodi, docente *Gell. l.* 17. *c.* 6. ut quos inter reliqua bona sua, alioquin transmittenda in mariti potestatem, nonunquam sibi quasi *recepit* uxor, h. e. *exemit*, neque sivit in alterius dominium transire.

Talis fuit hic Zilpa, talisque Bilha *v.* 29. quas ideo utrasque communi suo marito Jacob, in legitimum postea concubitum, ut videre est, *c.* 30. *v.* 4. 9. Dominæ earundum, tanquàm ex propriâ authoritate, utendas dedêre; Idem fecerat antea Sara, *c.* 16. *v.* 3. ancillam suam Hagar Abrahamo tradens fruendam: An verò hujus vel illius exemplo tale quid semper fieri liceat ullius prætextus obvelamento, id Casuistis sc. disputandum permitto.

Excurs. XIX.

Gen. 30. v. 15. *Redeuntíque ad vesperam Jacob de agro egressa est in occursum ejus Lea. Ad me, inquit, intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei, dormivítque cum eâ.*

MIrum videri cuiquam meritò possit, quonam libidinis æstu percitæ mulieres istæ duæ Lea & Rachel, tam fervidè contendebant inter se de amplexibus viri utrique communis; adeo ut promercale quoddam illud negotium prorsus redderent, & pretio emerendum. Nisi quòd alia planè scrutantibus subsit ratio, nec ex libidinoso aliquo affectu id fecisse constet, sed tantùm procreationis causâ, quod tunc inprimis inter maxima divini numinis beneficia à Judæis habebatur. Sed enim illud usque mirandum restat, quare hìc mandragoras præcipuè æquabile pretium judicarunt, per quod altera sic ab alterâ copiam sibi viri sui ad concubitum promereretur.

Primò enim *Aristoteles l. de Somn. & Vigil. c.* 4. mandragorica poma inter ὑπνώτικα pharmaca recenset, talia nempe quæ potiùs apta sint ad somnum conciliandum, quàm ut ullo modo venerem irritent. Ὅπου γε καθάπερ ὑπὸ μανδραγόρου καθεύδεις, proverbialiter effert

fert *Lucianus in Timon: Quandoquidem velut sub mandragorâ dormis:* & rursus, οἷον ἐκ μαν-δραγόρου καθεύδοντες, *tanquam mandragoræ potu graviter sopiti. Id. in Demosth. Encom.* Eò usque quidem ut vel ipso olfactu gravedinem quandam atque stuporem capiti incutiant, narrante Plinio *l.*25.*c.*13.

Deinde, nec ita citò hìc concepit Rachel post acceptas mandragoras, quin soror ejus multò citiùs, usque ad secundi partus prærogativam; quod argumenro est, ut rectè subinfert S. *Augustinus l.* 22. *Contra Faust. Manich. c.* 36. non Mandragoras in causâ fuisse, quò celerior fieret conceptio, aut aliquo modo exinde juvaretur. Unde hariolando quasi concludit ille, *raritatem pomi,* simúlque *odoris jucunditatem,* causam unicè præbuisse, cur illam tantopere mulier concupierit; nec ullam aliam præterea agnoscit.

Nihilominus abierunt alii quam plures in diversam planè sententiam, prolificam quandam vim mandragoris assignantes: Ejusmodi saltem, quæ excitet nativam proclivitatem, & ad coitum instiget.

Sanè *Epiphanius in physiol. c.* 4. mirificè extollit hanc ejus vim in Elephantis; ἡ θῆλυς δὲ ζετεῖ βοτάνην λεγομένην τὴν μανδραγόραν, καὶ μεταλαμβάνει ἐξ αὐτοῦ, καὶ εὐθέως πυρῶ-ται, καὶ πορεύεται πρὸς τὸν ἄρρενα.---. *Fæmina,* inquit ille, *sedulò conquirit herbam mandragoram dictam, eâq; gustatâ statim inflammatur,*

tur, quâ adacta prurigine festinat ad marem, ejus congressum vehementer expetens. Κ᾽ ὃ φαίνεται πολὺν πάνυ μανδραγόραν ἂν ἐκπεπωκώς; ait *Julianus in Ep. ad Calixen*, de eo loquens, qui insanum conjugis amorem pietati omni prorsus anteferret, *Nunquid non videtur Mandragoram multam bibisse?* Atque hinc Circêam appellitarunt eam Veteres, quod docet *Erasmus Adag. Chil. 4. Centur. 5.* & *Sixt. Senensis Bibliothec. l. 5. Annot.* 109. quippe cujus radix amatoriis philtris conficiendis apprimè deserviat.

Utramque diversè opinantium sententiam in medium protuli: quam magis earum velit, nec enim tanti est, Lector eligat. Jamque tandem, ut in orbem redeat Discursus; Animadverti statim ab initio, quàm sollicitè, nec sine æmulatione mutuâ ambierunt legitimos sui conjugis amplexus mulieres istæ duæ Rachel & Lea. Utinam nostrarum aliquot, nimiùm quàm plures, (ut verendum est) non essent æquè sedulæ in ambiendis alienis maritis, quàm illæ in propriis suísque laudabiliter extiterunt.

Excurs.

Excurs. XX.

Gen. 30. v. 37, 38. *Tollens ergo Jacob virgas populeas, virides, & amygdalinas, & ex platano, ex parte decorticavit eas.*

Posuitque eas in canalibus--- ut cùm venissent oves——.

REctène an secus hìc fecerit Jacob Labanem patruelem suum ita dolosè tractando, haud inquiro. Certè, non immeritò luctatoris nomen ab initio acceperat; Priùs enim fratrem suum Esau primogenituræ deturbavit jure, & nunc affinem majore possessionum parte molitur extrudere. Cæterùm de facto viderint Interpretes, qui facilè norunt hæc & hujusmodi commissa mysterii alicujus obtentu velare: Tametsi hìc (quod non dissimulandum est) causam tam subitæ & inopinæ suæ ditationis Jacob ipse postea signanter attribuat Authori Deo. *c.* 31. *v.* 9. Sed de modo, inquam, nobis incumbit tantùm consideratio.

Novam naturæ Stropham vocat Comestor: *Novam* ut tunc forsan, utpote novè à Jacobo exercitam; sed per eandem reverà vim quam à primordiis mundi in se tacitè conclusam natura semper obtinuit. Non est in animo discurrendo per naturæ effectus varios rimari abditas

abditas illius vires, quandoque extra notos & cotidianos tramites se exerentes. Hoc agant professi ejusdem indagatoris, Agrippa, Lemnius, Campanella, &, quicunque potiori huic Magiæ parti studia sua dicarunt. Quanquam nec in eâ forsitan omnino peregrinus extitit Patriarcha Jacob, utpote ab Abrahamo avo progenitus, qui diu versatus inter Tribules suos Chaldæos, in abstrusiore illorum literaturâ proculdubiò multùm profecerat. Vel hoc unum solertissimũ commentũ indicio esse potest, quàm haud prorsus à decessorũ peritiâ exciderat, non aliunde quàm ex ipsis secretioriobus naturæ principiis petendum.

Ea quippe arctæ conjunctionis necessitudo est animam inter & corpus, ut quas species anima imbiberit fortiter imaginando, eas sæpenumerò in corpus extrà profundat. Hinc rubescimus, pallemus, &c. atque hinc intuentes greges Jacobi variegatas decorticatione tali virgulas quoties ad potum venirent, versicolorem sobolem, consimilem visis virgulis in ardore coitus, pariebant. Multa quidem de vario virgularum usu in rebus magicis perficiendis tradit Cæl. Rhodiginus *Antiq. Lect. l. 4. c. 42.* quæ libens prætereo. Sed nec opus est ut huc accersam, licèt in parili argumento, vulgatam illam historiam matronæ perpulchræ, quæ nigrum Æthiopem peperit, ut Quintil. in Declam. aut contrà, Æthiopissæ cujusdam perpulchram virginem parientis, de quâ Heliodor. *in Æthiopic.* cùm

utrumque,

utrumque, quod postea comparuit, ex inspectâ imagine quæ prope ad Genialem utriusque lectum pependerat, accidebat.

Propriùs ad rem facit Oppiani illud κυνηγετ. *l.* 1. tradentis modum versicolores equos procreandi, eundem penè quo Jacob hìc oves suas interstingui effecit.

Ὁππότε θηλυτέρην γὰρ ἕλῃ φιλοτήσιος ὁρμὴ
Ἵππον δ' ἐσσῦς ἰόντα κλυτὸν μεγαλήτορα μίμνῃ,
Δὴ τότε δαιδάλλουσι πόσιν καλὸν, ἀμφὶ δὲ πάντη
Γυῖα δέμας εὐστίκτοισι περὶ χροιῇσι γράφουσι.

Cùm enim equã corripuerit amatorius impetus,
Et equum propinquantem inclytum & generosum expectat:
Tunc sanè pingunt maritum formosum, & usquequaq;
Totum corpus variis coloribus insigniunt.

Similem planè modum in columbarum ortu, & deinde in ipsa liberorum procreatione Lacedæmoniis usitatum, è vestigio subdit.

Sed proximè omnium accedit Æliani narratio *De Animal. l.* 8. *c.* 21. referentis oves quasdam pro varietate amnis ex quo bibunt, colorem mutare: Idque præcipuè, ut ibi asserit, κατὰ τὸν μίξεως καιρὸν---, eâ sc. anni tempestate quâ se ineunt mutuò. Γίνεται γοῦν ἐκ λευκῶν μέλανα, κ' ἔμπαλιν τρέπει τὴν χρόαν. *Gignuntur tunc itaque ex albis nigræ, & rursus ex nigris albæ producuntur.* Egressus sum jam dudum metas propositas, dum res Philosophiæ

phiæ attento: ideóque vela contraham, ut ne longiùs provehar in alieno argumento errabundus.

Excurſ. XXI.

Gen. 32. v.26. *Dixitque ad eum, Dimitte me, jam enim aſcendit aurora.*

Qualis erat lucta iſta Jacobi cum Angelo, (mirabilis certè, quod nemo ſanus dubitabit) non eſt meum rimando inquirere. Id ſcrutentur illi quorum munus eſt, ut difficiliora hujuſmodi ζητήματα commentationum ſuarum luce perfundant. Sed & illud etiam, quanquam levioris momenti, poſſet alicui forſan ſcrupulum injicere, quare Angelus hic, bonus angelus proculdubiò, non ſuſtinuit operiri adventum jam in proximo diurnæ lucis;

Num quia volebat tam grande ſecretum intervenientium tunc, ut aſſolet, mortalium conſpectum celare? An rurſus, quia, licèt bonus ipſe, geſtiebat tamen, hactenus ſaltem, malorum more rem quodammodo egiſſe? Quicquid ſit cauſæ, (neque enim id ampliùs inquiro) certum eſt de malis, ſi modò fides aliqua tribuenda ſit veterum teſtimoniis, ſueviſſe eos hoc modo, cum totâ nocte priùs ad libitum laſcivierint, adventum exorientis ſolis fugiendo ſollicitè præcavere.

Ita

Ita tradiderunt probati ſatis in ſuâ claſſe Authores Ethnici, *Philoſtratus de vitâ Apoll. Thyanai l.* 4. *c.*5. *Apul. Metam. l.*6. *Lucianus in Philopſeud. &c.*—

Nocte vagi ferimur, nox clauſas liberat undas,
Errat & abjectâ Cerberus ipſe ſerâ.
Luce jubent leges Lethæa ad ſtagna reverti,
Nos vehimur, vectum nauta recenſet opus.

Propert. l. 4. *Eleg.* 7.

Jamq́; vale, torquet medios nox humida curſus,
Et me ſævus equis oriens afflavit anhelis.
Dixerat, & tenues fûgit ceu fumus in auras.

Anchiſes ſc. qui noctu ab inferis elapſus, & diu cum nato Æneâ colloquutus jam tùm reditum parabat. *Æn.* 5.

Perge age tartarea mecum ſimul omnia noctis
Muſa ſequi: Trepidam Phaeton afflavit ab alto
Tiſiphonem, &c.— *Val. Flac. Arg. l.* 3.

Tempus verò reditus hujuſmodi quo inferas ſuas ſedes rurſus repetere credebantur Dæmones, ſtatuebant id magis diſtrictè circa Gallicinii horas; quod inter cæteros annotavit *Philoſtratus in Vit. Apoll. Thyan. l.* 4. *c.* 6. Sed nec Chriſtianos poſtea primoris ævi omnino incredulos habuit hæc opinio, utut vel unius Prudentii autoritas in teſtimonium ſufficiat;

Ferunt vagantes dæmonas
Lætos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos,
Sparſim timere & cedere,

Inviſa

Invisa nam vicinitas
Lucis——. Cathem. Od. 5.

Lucis odium seu detestationem in causâ ponit: Et quidem, prout docet Salvator noster, *Jo.* 30. *v.* 20. *Omnis qui mala agit, odit lücem, & non venit ad lucem, ne arguantur ejus opera.* Nil autem peius certè Dæmone est, nihil tetrius ejus Asseclis, & tenebricosis inferni incolis: Nec mirum itaque (licèt nec desit hìc alia forsan ratio, specialis nempe Dei providentia, coercens & alligans eos, nè aliàs volitantes interdiu frequentibus spectris nimiùm turbarent homines; quod olim facere consuevisse constat nondum tum illustrato mundo clariori Evangelicæ veritatis jubare, & adhuc alicubi, inter paganos sc. frequenter faciunt:) Nil mirum inquam si tam nequam spiritus præfulgidum orientis solis splendorem tantopere aversetur.

Excurs. XXII.

Gen. 35. v. 22. *Evênit autem quum habitaret Israel regione illâ, ut Reuben concumberet cum Bilhâ concubinâ patris sui.*

Quo jure, sive secus, (certè præter divinam ab initio sanctionem, *Gen.* 2. *v.* 24.) concubinas

cubinas ita frequenter sibi asciverunt veteres Patriarchæ, easque quasi uxoribus propriis superinduxere, id aliis relinquo eventilandum. Nostri instituti est paucis expendere, quibus terminis isthæc duo, *uxoris* & *concubinæ* officia, aut conveniant mutuò, aut distinguantur.

Nec enim Concubinarum nomine pellices quasvis, vel quæstuarias mæchas intelligo, quales sanè nullatenus usurpassent viri sancti, qui tamen concubinas, ut notum est, sæpiùs habuere; Sed per concubinas velim intelligi fœminas quasdam peculiariter assumptas in jus tori, (τὰς τῆς καθ' ἡμέραν παλλακείας, quomodo à prostibulariis atque communibus scortis eas distinguit Athenæus *l.* 13.) & nuptialibus tantum nonnullis cæremoniis destitutas; adeóque breviter *uxorum* quam sæpe, honestiore illâ dignatas appellatione, *Gen.* 16. *v.* 3. collat. cum *c.* 25. *v.* 6. & rursus *Gen.* 30. *v.* 4. si cum præsenti Textu componatur.

Sed primò, sine dote veniebant concubinæ, uxores dotatæ. Dos *est concubinatus abolitio, nuptiarum argumentum.* Novell.

Meg. *Quid? nunc etiam mihi despondes filiam?*

Eucl. *Illis legibus, cum illâ dote quam tibi dixi;*

Plaut. in Aulul. Act. 2. *sc.* 2. Et rursus——.

Lys. *Sponden' ergo gnatam uxorem mihi?*

Chr. *Spondeo: & mille auri Philippûm dotis.*

Trinum——. *Act.* 5. *sc.* 2.

Hâc

——Hâc famâ impulsus Chremes,
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summâ filio ut uxorem daret.

Terent. in Andr. Act. 1. *sc.* 1.

De dote verò agebatur in Tabulis, quæ ideo ad justum & legitimum matrimonium contrahendum necessariò requirebantur. *Nuptialibus & dotalibus nisi fortè tabulis à Mæchia & fornicationis opere diversa,* ut loquitur Tertullianus, iteratas nuptias perstringens, *l. de pudic. c.* 1. Tabularum hujusmodi passim occurrit mentio. *Tabellas nuptiales* vocat Apuleius: *Cape manibus tabellas istas Nuptiales, Apolog.* 2. *Sponsales tabulas. Hieronym. Ep.* 15. *Legitimas tabellas, Juven. Sat.* 16.

Si tibi legitimis pactam junctamq; tabellis
Non es amaturus——.

In iis porro tabulis, sicut dos, quod dixi, scribebatur, ita sponsalia, conventiones omnes, pacta & mutua fœdera, quæ demùm signatoriis præsentium annulis firmabantur.

——Tyriusq; palam Genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo, veniet cum signatoribus Auspex.
Juven. Sat. 4.

Nihil horum in Concubinæ sortitione spectandum erat: Veniebat sine dote, sine tabulis, nullis auspiciis introducta.

Talem itaque σύμβιον, convictricem, Amicam, concubinam dicebant. Ἐυνεισακτῶν hujusmodi meminit *Epiphanius Hæres.* 63.

quas,

quas, evagante sc. libidinis æstu, legitimè conjunctis uxoribus superaddebant. Et contra introductitias tales multi Ecclesiæ canones sollicitè præscribunt. *Concil. Nicen.* 1. *can.* 3. *Carthag.* 1. *c.* 3, *&c.* Tantò major ex hac parte concessa est libertas priscis olim patribus, sive multiplicandæ sobolis gratiâ, sive aliâ quacunque de causâ, quàm postea recentioris seculi hominibus, Christianæ fidei adunatis, aut quidem omnino debeat concedi.

Excurs. XXIII.

Gen. 36. v. 24. ***Iste est Hana qui invenit mulos in deserto quum pasceret asinos Zibeonis patris sui.***

SAul, quod legimus 1 *Sam.* 9. missus à patre, amissos ejus Asinos in deserto quærit: Hana hìc errabundus eôdem loci invênit mulos. Invênit, sed non quo modo alter quæsivit: Invênit arte & solertiâ ingenii sui, animalia sc. bigeneris diversæque naturæ ad coitum inter se pelliciendo. Quod natura omisit, ars supplevit; Deus ab initio non fecit mulos (sicut nec alia quam plura imperfectæ speciei animalcula, quod docent Philosophi) sed Hana reperit; μὴ γὰρ εἶναι φύσεως ποίημα τὴν ἡμίονον, ἀλλὰ ἐπινοίας ἀνθρωπίνης καὶ τόλμης, ὡς ἂν εἴποις, μοιχίδιον ἐπι-

τέχνημα τοῦτο, καὶ κλέμμα---. *Æl. de Animal. l.* 12. *c.* 16. *Nec enim muli natura opus sunt, sed humanæ machinationis audaciæq;, ut ita dicam, adulterinum inventum & furtum:* Adeóque veteres portenti instar atque inauspicati visi eos habuere: Ἐπάρατόν τε ἠλείοις ἐν πάλαι --τὸ ζῶον---. *Portento inter Eleenses muli fuere, nec intra fines eorum animal illud ali fas erat.* Pausan.

Modus autem procreandi mulos, ut id quoque verbo dicam, talis fuit, sicuti tradit *Varro de Re Rustic. l.* 2. *c.* 8. *Ex equâ & asino commixtis oritur mulus*; ut contrà, *ex equo & asina hinnus generatur.* Sed quæri inprimis potest, utrùm sicut muli mulæque ex bigenere sic radice procedunt, ita nunquid possunt denuo, alios similiter consuetâ nascendi viâ procreare.

In terrâ Syriâ coeunt omnes pariúntque, docente Aristotele, *Hist. Animal. l.* 6. *c.* 24. & rursus *c.* 36. Tametsi hos non verè mulos esse, sed mulorum tantùm similes, nomine congruentes, sed specie forsitan distinctos, utrobique fatetur. Cæterùm de mulis etiam verè sic dictis, aliquando eos peperisse expressè docet *Herodotus l.* 3. *c.* 153. & satis innuit Cicero in argutâ illâ collatione suâ quam inter mulum & sapientem instituit. *De Divin. l.* 2. *Si quod rarò fit*, inquit, *id portentum putandum est, Sapientem esse portentum est; Sæpius enim mulum peperisse arbitror, quàm sapientem fuisse.*

Nec

Nec itaque omnino portentum haberi decet, si mula pepererit, quantúmvis Elei suprà citati habuere: Si extra Italiam nempe, adeóque alio sub cœlo, ut concedit *Varro de Re Rust. l. 2. c.* 1. Portentum erit forsan ubicunque, quantùm ad effecta attinet, quæ, sive in bonam sive in malam partem, ferè prænunciat; sed ipsa in se partio minimè portentum erit, utpote naturalibus innixa causis, & naturæ ipsius viribus (quoties accidit, quamvis rarissimè) perpetrata.

Causam porro raritatis hujusmodi optimè reddit *Cardanus subtil. l.* 10. inæqualis viz. seminis mixturam in parente; unde minùs efficax ad secundam alterámve partionem evadit. Vitia nostra hodierna, ut dicam breviter, ultra omnes juris simul atque modestiæ limites crescentia, maxima portenta sunt; contra Deum, & contra naturam ipsam pugnantia, majoráque adeo —— *Quàm*
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum.

Excurs. XXIV.

Gen. 38. v. 14. *Deponens vestes (Thamar) viduitatis suæ, operuit se peplo, conseditque in bivio.*

NOn mihi in animo est meritricantium mulierum artes varias, non congressuum tempora vel loca antiquè solita percurre-

re, aut tali aliquâ orationis materiâ ſtylum fædare. Fætida & olentia hujuſmodi pertractet curioſiùs ille quiſquis amat. Mihi ſatis ſit in Thamaris ſcortatione duo iſta tantùm ſtrictim notaſſe, habitum ejus, & locum ubi proſtabat.

Quod ad primum, exuit veſtimentum ſuum, inquit Textus, & novo atque inuſitato ſeſe obtexit. Is ſc. mos, ea fornicantium vetus conſuetudo fuit: Non nudo aut retecto capite tam propudioſum audebant facinus, ſed velato. *Mulier autem operto erat capite,* ut ait Petronius de ſcortatrice quâdam proſedâ loquens. *Satyr. c.* 16.

Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos,
Et nigrum flavo crinem abſcondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar.
Juven. Sat.6.

Pallio lineo induebantur meretrices, ut docet *Iſidorus Etymolog. l.* 19. *c.* 25. *quò in tali potiùs amiculo, quàm in ſtolâ polluerent pudicitiam.* θέϱιϛϱον hìc vocat textus, h. e. *aſtivum pallium:* Rectè & congruè ſanè anni tempeſtati *v.* 12. quâ Judas tunc ad tonſuram gregis ſui fortè contendebat.

Nec ſolùm fæminæ ſic obvolutâ facie ſpurciſſimum opus aggrediebantur, ſed etiam viri; quod facile erat oſtendere, niſi quia videatur aliquantulùm eſſe extra propoſitum lemma: Nec reverâ mihi omnino placet, ἀπϱοσδιονύσῳ quovis ſeu ſupervacaneo diſcurſu, ut ſolet, paginam implere; Sed ad fontes

fontes itaque ſufficiet modò digitum intendiſſe. *Horat. l.* 2. *Sat.* 7. *Senec. de vit. Beat. c.* 13. *Lucian. Dialog. in Charon.. Capitolin. in Vero. Gell. Noct. Attic. l.* 6. *c.* 9, *&c.*

Tantùm de habitu: Nunc de loco. *Et propter viam*, ſeu *in bivio*, ut legimus, *ſedebat*. Ita *Baruch* 6. *v.* 43. *Mulieres verò cincta funiculis in viis ipſis ſedent:* Mulieres ſc. obſcœnis hujuſmodi nequitiis deditæ; Schænicolæ inde dictæ *Plauto in Clitell.* à junceis forſan funibus, quibus interdum præcingebant ſe, quò faciliùs, quod aiunt, zona ſolveretur. *Scorta ſcortea* vocat *Apuleius Metamorph. l.* 1.

Quis devium ſcortum eliciet

Lyden? Horat. l. 2. *Od.* 11. Et his è regione quaſi oppoſitos, *ſemitarios mœchos* memorat Catullus *Epigr.* 34. Αὗται αἱ γυναῖκες ἐκ τῆς ὁδοῦ τοὺς παριόντας ἁρπάζουσι· *Iſtæ ſunt mulieres quæ prætereuntes de viâ rapiunt. Theophraſt. Char. c. ult.* Harum egregium ſpecimen, tum morum, tum commorationis earundem in viis ſolitæ, tradit *Suetonius in Neron. c.* 27.

Denique hæ erant ſc. ex omnibus meretricantium quotquot claſſibus, longè infamatiſſimæ. Cùm enim in duplici eſſent univerſim genere, aliæ quæ clanculò quæſtum faciebant corpore, aliæ quæ publicæ ſe libidinis victimas exhibentes proſtabãt antè meritoria, *proſtibula* inde dictæ, (quod & circa vias igitur frequentatas multitudine hàc illácq; commeantium, certioris obventus gratiâ plerumque fiebat,

Intro ad bonam meretricem, adſtare in viâ ſola, proſtibula ſanè eſt. Non. Marcell.) Hæ inquam, erant proculdubiò è duabus multò nequiores.

Et talis quidem fuit Thamaris hìc ſcortandi modus; Niſi quòd illata ei per ſocerum ſuum Judam injuria in denegando ei filium ſuum Sheleth in maritum *v.* 11. unà cum vehementi prolis habendæ deſiderio, Judaicis fæminis maximè inſito, nonnihil fortè excuſet.

Excurſ. XXV.

Gen. 40. v. 20. *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande convivium ſervis ſuis*——.

QUàm ſolenne ſemper fuit hominibus cujuſcunque ordinis vel conditionis, ut dies ſuos natalitios omni cum obſervantiâ ubique celebrarent, notior omnino res eſt, quàm ut in eâ probandâ operoſiùs deſudem. Nullum quippe diem honoribus magis dignum cenſuerunt veteres, quàm illum in quo vitæ ipſius beneficium primò accepiſſent: nullum numen cui potius litarent, quàm proprium ſui uniuſcujuſque Genium, vitæ hujus auſpicem ſimul, ut arbitrabantur, & conſervatorem;

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo;
Funde merum Genio——
Perſ. Sat. 2. & Juvenal. S. 4.

Geni-

——Genialis agatur
Iste dies, stomachum propera laxare saginis.
Christus Salvator, quod observavit *Epiphanius Hæres.* 51. primum miraculum in Canâ Galileæ, (utrùm in honorem diei necne, haud dixerim) mutando aquam in vinum, ipso Natalis sui die perfecit.

Hoc modo itaque rex Pharao, pro more Ægyptiis solito, diem suum natalem præ cæteris delegit, in quo præcipuè convivium festum ageret. Sic Persarum etiam reges, teste *Platone in Alcibiad. l.* 1. *& Herodoto l.* 1. *c.* 133. Ἡμέρην δ᾽ ἁπασέων μάλιστα ἐκείνην τιμᾶν ἐνόμισαν τῇ ἕκαστος ἐγένετο. *Ex omnibus diebus maximè quiquediem suum natalem colendum judicarunt:* μάλιστα seu maximè bene inseruit; alioqui non natalem tantùm diem solenniter observabant, sed eum pariter in quo regali potestate primitus induebantur, ut docet idem *Herodotus l.* 9. *c.* 109.

Diem Imperii sui eum vocarunt Romanè loquentes; *Diem imperii mei debitâ lætitiâ & religione à commilitonibus & provincialibus celebratum ——libenter cognovi. Trajan. Plinio, Ep. l.* 10. *Natalem imperii instituit celebrandum, quo die excessus ei Trajani nuntiatus est. Spartian. in Hadrian.* Utrumque succinctè simul conjungit Balsomon, *ad Photii Nomocan.* Νατάλια δ᾽ εἰσὶ τὰ τῶν βασιλέων γενέθλια, καὶ τούτων ἀνάῤῥησις. *Natales principum sunt in duplici genere, nascendi primùm dies, & deinde Inaugurationis.*

Præter hos duos præ cæteris celebratissimos, alium tertium fuisse legimus, quem τελειώσεως seu *depositionis* vocare licebit, in honorem defuncti usitatum. Tale quid, uti mihi videtur, de Epicuro innuit Cicero de *Fin. l.* 2. & *D. Laertius in vit.* sive *l.* 10. Ubi festivæ cujusdam solennitatis in memoriam illius post fata annuatim habitæ uterque commeminit. Nec mirum, cùm Seneca Epicuri prorsus innixus principiis, diem illum extremum *æterni Natalem* appellet. *Dies iste quem extremum reformidas, æterni Natalis est. Ep.* 102. Sed utcunque, de Christianis hoc maximè constat, consuetudinem ejusmodi sub eodem planè nomine inter eos valuisse. Γενέθλιον ἡμέραν, sive natale festum in obitum gloriosi martyris Polycarpi refert *Eusebius Hist. l.* 4. *c.* 14. Natalem diem sanctorum Petri & Pauli in sermone suo memoriæ illorum dicato recognoscit Sanctus *Leo. Natalem Cypriani cùm auditis, nolite putare illum dici*——*quo natus est in terram, sed quo martyrium passus ad cœlos emigravit. Chrysol. Serm.* 129.

Plena sunt hujusmodi sanctorum Martyrologia. Immo porro tam longè processit usus vocabuli, ut non solùm hominum ortui vel excessui, quod antea, sed etiam civitatum, cœtuum, & talium quotquot primæ institutioni, vel restaurationi denuo, nomen inderent. Ἤδη δὲ ἀπαρτισθείσης τῆς πόλεως-- τέλει τὰ ταύτης γενέθλια ἢ ἐγκαίνια. *Restauratâ civitate* (Constantinopol.) *Natales sive Encænia*

cænia ejusdem (Imperator) celebravit. Zonar. Tom. 3. *Brundusium veni Non. Sext. Ibi mihi Tulliola mea fuit præstò Natali suo ipso die, qui casu natalis erat Brundusinæ Coloniæ*—— *Cic. ad Attic. l. 4. Ep. 1.*

Breviter, hoc nomine solebant etiam illos dies signare, quibus fæliciter assecuti fuissent novæ cujuspiam dignitatis accessionem, sive sacræ, sive profanæ. *Legatus Syriæ literas Adoptionis accepit,* (Hadrianus) *quando & Natalem Adoptionis celebrari jussit. Spartian. in Vit. Natalem tuum prosequimur nostris orationibus, & tu nostri in tuis non obliviscaris. Ambros. de Ordinat. Felic. Comi. Episc. l. 1. Ep.* 5. Sed nil opus est ut plura adjiciam: Satis sunt quæ prælibavimus ad indicandum quàm rectè hìc Pharao (pro more sc. prævalentis tunc consuetudinis) Diem reipsâ Nativitatis suæ inter cæteros præcipuè Natalitiis honoribus dignandum selegit.

Excurs. XXVI.

Gen. 41. v. 42. *Detrahensque Pharao annulum suum à manu suâ, indidit illum in manum Josephi, vestivitque eum stolâ byssinâ, &*——.

NOn uno modo, neque unâ donandi formulâ honores suos semper collocarunt principes;

principes; varia illis erant donationum genera, nec ullæ sine peculiari aliquâ adjunctâ tesserâ, collati quasi muneris interpretamento. Quas conferebant dignitates, eas signatas ferè dabant indicio aliquo conditionem muneris atque amplitudinem testatam faciente. Aliquando sedis exaltatione, *Hest.* 3. *v.* 1. *post hæc rex Assuerus exaltavit Hamanem, & posuit solium ejus,* (ἐπρωτοβάθρει αὐτὸν) *super omnes Principes quos habebat.* Quem morem honorandi bene merentes valuisse cumprimis apud Persas tradit *Xenophon Instit. l.* 8. et, ἐνδιφρίους ποιῆσαι id vocat, *de Exped. Cyri. l.* 7. μόνους τῶν ἑλλήνων (Θηβαίους) ὡς εὐεργέτας τιμᾶσθαι παρὰ τοῖς βασιλεῦσι τῶν περσῶν, καὶ πρὸ τῶν βασιλέων τοῖς πρεσβεύουσι τίθεσθαι θρόνους. *Thebanos solos Græcorum ut benefactores à rege Persarum honorari: legatis etiam Thebanorum solia proximè ante reges Persarum collocari,* ait *Diod. Sicul. l.* 18. Ἐν βασιλείοις αὐλαῖς ἔτι, καὶ περιουσίαι καὶ θρόνων ὕψη. *In imperatorum aulis potentia & autoritas, ac præterea opes & excelsi throni.* *Nazian. in Laud. Basil. Orat.* 20.

Quandoque auri, purpuræ, ac strenarum hujusmodi missione. *Fuit, ut audivit Alexander rex sermones istos, ut ampliore gratiâ Jonathanem afficeret, mittens ei fibulam auream, ut mos est regum,* 1 *Mac.* 10. *v.* 88, 89. Rursus, *c.* 12. *v.* 58. *Dedit ei potestatem bibendi ex aureis, & purpuram induendi, & habendi fibulam*

fibulam auream. Nam ut ſcitè & in rem obſervavit Tertullianus, *de Idol. c.* 18. *Purpura, & aurum cervicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo more nunc prætexta, vel trabea, vel Palmata.* Id ipſum de Perſis & Perſicorum magnatum in honores inveſtituræ modo tradit *Procopius, de Bell. Perſic. l.* 1.

Ut ſummatim dicam, hoc aut illo modo, aliter alibi (pro more) prælatos inſigniebant: Sed unus inter cæteros præcipuè fuit iſte quem Textus indigitat, annulorum donatione. Annulum unà cum cæteris honoris inſignibus imprimìs memorat Procopius in *loc.* ſuprà citato. Aureo annulo donarunt *L.* Sylla Laberium mimographum, C. Cæſar Roſcium Comædum, in ſingulare artis in utroque teſtimonium, *Macrob. Saturnal. l.* 2. *c.* 7. & 10. Annulo aureo exornavit Auguſtus Anton. Muſam medicum, mercede datâ ſalutis ab eo recuperatæ. Et quid plura, cùm annulo donari, & in equeſtrem ordinem cooptari, adeóque inter Judices referri, unum idémque apud Romanos valebat, ut docet *Plinius l.* 33. *c.* 1. *Poſtulante exercitu ut libertum ſuum Aſiaticum equeſtri dignitate donaret* (Tiberius) *honoravit annulis*, Tacit.

Extra ſaltum fortè viderer aliquantulùm ſpatiari, ſi docere aggrederer, quomodo non tantùm mediocres ſeu privatas dignitates comitabatur annulorum collatio, ſed etiam in

in imperiis summis transferendis usui fuerant. *Tunc advocans* (Antiochus) *Philippum unum ex amicis suis, præfecit eum toti regno suo: Et dedit ei diadema, & stolam suam, & annulum, ut adduceret Antiochum filium suum, & nutriret eum, & regnaret,* 1 *Mac.* 6. *v.* 14. & 15. Moriturus mox Alexander detractum digito suo annulum Perdiccæ commisit, ut narrat *Diod. Siculus l.* 17. & Justinus ex *Trogo l.* 12. post se imperaturo tradendum. Sic Masinissa jam deficiens senectute & morti vicinus, τὸ μὲν δακτύλιον τῷ Μικίψᾳ τῷ υἱῷ ἔδωκε, *annulum suum inprimis Micipsa filio tradendum curavit. Zon. Tom.* 2.

Non in regni quidem successionem gestamine annuli hìc Josephum designavit Pharao, sed quod honorificum valde erat, in locum regi proximum, *v.* 40. ut in procuratione totius regni vicarias ejus partes sustineret.

Excurs. XXVII.

Gen. 42. v. 16. *Mittite ex vobis unum ut adducat fratrem, —Alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis.*

Quàm citò mala societas bonam corrumpat indolem notius est quàm ut illud longiore verborum circuitu adstruere necesse habeam. Josephus hìc quamvis bonis ortus parentibus, & religiosis moribus innutritus, infælici

infælici id experimento edicit. Didicit sc. inter Ægyptios versando, jurare proterviter per *salutem principis*; honorem soli Deo debitum, terrenæ quodammodo potestati impertiens.

Sic enim consuerunt Ægyptii, sic & alii, ubivis fere gentium, ex recepto tunc temporum adulandi more, ut notat Herodotus, *l.* 4. *c.* 68. Τὰς δὲ βασιληΐας ἱςίας, σκύθησί τε μάλιςά ἐςιν ὀμνύναι, τότ᾽ ἐπεὰν---. *Mos est*, inquit ille, *Scythis præcipuè, jurandi per regium solium quum maximum volunt interponere juramentum*. Tangit hunc morem *Anna. Seneca in l. Consol. ad Polyb. c.* 36. &, *Lucianus in Catapl.* Scopticè & suo more, ex personâ Tyranni ibidem loquens : Ἐπεύχοντό μοι πολλὰ καὶ ἀγαθὰ πάντες--- καὶ ὅλως ὅρκος ἦν αὐτοῖς ἐγώ : *Voce magnâ bona mihi omnia precabantur, & in summâ nihil aliud quàm nomen meum jurabant.* Εὔχεσθαί τε δημοσίᾳ ὑπὲρ αὐτοῦ, καὶ τὴν τυχὴν αὐτοῦ ὀμνύναι--- ἐνομοθέτησαν. *Legem tulit senatus publicè orandi (pro) Jul. Cæsare, & per fortunam ejus jurandi, Zonar. Tom.* 2. Eousque quidem invalescente consuetudine, ut Caligula non ita longè post multos variis affecit suppliciis, *quòd nunquam per genium ejus dejerassent. Suet. in Calig.* §. 27.

Diu perennavit mos iste, usque ad Christianorum tempora non desitus, ut colligere est ex militiæ sacramento, quo milites tunc solebant addicere. *Jurant per Deum & per Christum, & per Spiritum Sanctum, & per majestatem*

tem

tem imperatoris Veget. l. 2. c. 5. Et *Tertullianus Apol. c. 32. Juramus, sicut non per Genios Cæsarum, ita per salutem eorum.* Abnuit horum prius, ut concedat posterius: Jurandi consuetudinem per salutem Imperatorum agnoscit, dum eam per Genium vel dæmona, (quod nempe tunc Romanis in usu maximè fuit) diffitetur.

Quanquam vel id etiam, & rectè, (jurandi sc. morem per salutem merè aut vitam principis) tanquam minùs orthodoxæ fidei decorum, damnatum alibi reperimus in Jovio Italiæ Hyparcho, *Zozom. Hist. Eccles. l. 9. c. 7.* Δείσας δὲ Ἰόβιος μὴ ὑπονοήσῃ τῷ βασιλεῖ Ἀλαρίχῳ σπουδάζειν, ἀβουλοτέρῳ ἢ πρότερον περιπεσὼν, πρὸς τῆς σωτηρίας τοῦ βασιλέως αὐτὸς ὤμοσε, &c. *Veritus Jovius ne fortè Imperatori suspectus esset, quasi faveret Alaricho, in temeritatem priore etiam graviorem incidit, & per salutem Imperatoris cùm ipse juravit, tum alios quoque præfectos jurare induxit.*

Scio quid in hâc ipsâ re diversè sensit tradiditque Clarissimus Grotius, *De Jure Bell. & pac. l. 2. c. 13.* Est sua cuique opinandi salva libertas: Atque erit igitur, me Judice, pro officio subditorum satis, si bene velint saluti principis, eámque, quantum pote est, (quod utinam semper & ubique gentium fecissent) tueantur, protegant: Jurare autem per eam non adeo tutum videtur, ne dum obsequiosi esse studemus plus nimis erga princi-

pem,

pem, ut impii & ſacrilegi in Deum jure arguamur.

Excurſ. XXVIII.

Gen. 43. v. 34. *Et accipiens fercula de eo quod erat appoſitum in conſpectu ſuo, mittebat Joſeph ad eos, majuſque fuit ferculum Benjaminis.*

OPeræ pretium erit ſi quis Joſephi multiformem & varium habitum in fratribus ſuis recipiendis, idque per ſingulos actus, diligenter obſervet: prætervehentes autem cæteros omnes, figemus pedem in hoc uno tantùm quo eoſdem ſuos fratres hìc convivio excepit. Fuítq; is mirabilis, ſicuti teſtatur Textus: *Et mirabundi*, inquit, *homines alter in alterum intuebatur*, *v.* 31. Mirabilis quidem (ut nihil dicam de juſtâ eorundum juxta diſtinctum ætatum ordinem ad menſam collocatione) ex eâ parte præcipuè, quatenus Joſephus ſc. Benjaminem juniorem ſuum fratrem, (ipſe frater quoque ſed adhuc incognitus) potiore ferculorum parte præ reliquis fratribus cohoneſtavit. Alioqui nihil illic mirandum fuit, ſed omnia bene & aptè convivalibus priſcorum inſtitutis reſpondent.

Primò, quod ad fercula ipſa ſpectat, ea με-

ϱικῶς

ρικῶς sive divisim, sua cuique legimus hic apposita: Ἦραν δὲ μερίδας παρ' αὐτοῦ: h. e. sumpserunt à Josepho cœnæ partes quasdam peculiares quas ad Benjaminem perferrent. Atque hoc sanè ex receptâ veterum consuetudine; *Athenæus Deipnosoph. l. 1.* de convivandi illorum more loquens, Καὶ τῶν κρεῶν δὲ μοίρας ἐνέμοντο, ὅθεν εἴσας φησὶ τὰς δαῖτας, ἀπὸ--- *Convivarum cuiq; suæ carnis portionem distribuebant*, inquit, *indéque* Εἴσας h. e. *conviviis nomen indiderunt.* Athenæ. *l.* 1. Ἔπειτα δὲ τρίποδες εἰσηνέχθησαν πᾶσιν, οὗτοι δὲ ὅσον εἴκοσι κρεῶν μεστοὶ νενεμημένων--- *Deinde tripodes mensæ universis allatæ quæ plùs minùs* 20 *numero erant, carnibus divisis plenæ*— Καὶ διεῤῥίπτει (Σεύθης) οἷς αὐτῷ ἐδόκει-- & *frangebat inde minutim* (Seuthes) *ac disjiciebat hinc inde ad eos quibus visum esset. Xenoph. de Exped. Cyri l.* 7.

---Ἔνθα δὲ δαιτρὸς ἐφίζεσκεν κρέα, πολλὰ
Δαιόμενος μνηστῆρσι---.

Tunc autem coquus apposuit carnes multas,
Incidens procis multis in domo convivantibus.
Odyss. l. 17.

Cui loco summi poetæ lucem quasi afferens Plutarchus, Ἀλλὰ καὶ τὰ δεῖπνα δαῖτας ἐκάλουν, καὶ τοὺς ἑστιωμένους δαιτυμόνας, δαιτροὺς δὲ--. *Convivia verò Dætas, & convivii regem Dætymônem, & ministros Dætros, à distribuendo & dividendo dicebant. Sympos. l.* 2. *c.* 10.

Simili

Similiter, inde etiam *mensa* vocabulum apud Latinos, ut docet *Varro de Lingu. l.* 4. quòd ibi *mensa* sive *divisa* pleraque apponebantur. Denique ex Cœnâ hoc modo in portiones singulas dispertitâ, *missus* invicem transmitti, (quod & antea notavi ex *Xenoph. ubi suprà*) nominatim memorat *Lampridius in vita Heliogabali*; *Celebravit tale convivium, ut apud singulos amicos singuli missus appararentur.* Et morem aliqualem hujusmodi multis explicat *Lucianus in* ἐπιστολ. χρονικ. *Ep.* 3.

Talis omnino hic fuit portio illa à Josepho ad Benjaminem fratrem perferri jussa; Sed cur ampliorem ei supra cæteros attribuit partem, id illud erat, ut dixi, quod admirationem tantopere in reliquis concitavit. Fiebat certè in abundantioris Josephi erga Benjaminem affectûs testimonium; ut cui bene volebat magis, fratri ut pote uterino, (quamvis minimo) majore eum amoris sui tesserâ dignaretur. Ita reges suos duplâ ex conviviis parte, διμοιρίᾳ, honorabant Ægyptii, ut narrat *Herodotus l.* 6. *c.* 57. Itidem Lacedæmonii, ut *Xenophon in l. de Repnbl. Lacedæm*; τοῖς πεπαιδευμένοις διπλάσια πάντα πεμπέσθω, ἄξιον γὰρ διμοιρίτας εἶναι· *Lucian. in* χρονοσόλ. *Doctis omnia dupla mittuntor*, *Æquum enim est geminam eos accipere portionem.* Atque ex hâc igitur vel non diversâ multùm causâ, factum est proculdubiò, (ne longiùs exspatier) ut Benjamini hìc mensaria portio in duplum augeretur.

Excurs. XXVII.

Gen. 44. v. 5. *Scyphum quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo divinare solet.*

PHilo Judæus in *l. Jos.* recensens ibi Historiam hujus facti, tacito pede præterit divinationem istam Josephi, sine ullâ prorsus ejus injectâ mentione. Poculi meminit in quo solebat Josephus bibere, sed ejus nullatenus meminit tanquā in quo consueverat divinare: Forsan hoc, quia non putavit ad rem institutam esse; aut rursus fortean quia tali de Josepho narrationi non satis fidenter credidit.

Et quidem nonnihil inibi mirandum valde occurrit, Josephum sc. virum pientissimum, ullo modo magicas artes attrectare voluisse: Præcipuè illud scrupulum adauget, quòd φενακομαντείαν hujusmodi, διὰ πλυνῶν καὶ λεκανίδων, per *pelves* & *cyathos*, aut quâcunque tali ratione factam, inter probrosissimas Magiæ partes habuerunt usque prudentes, ut testatur *Nic. Choniates in Andronic. l. 2.* & obelo suo censorio inprimis configit *Artemidorus* Ὀνειροκρ. *l. 2. c. 74.* Sunt qui Josephum non verè divinare hoc modo solitum fuisse affirment, sed tantùm simulâsse: turpe facinus, non minore multùm excusantes.

Utut res ſeſe habeat de Joſepho, certum eſt, ut dixi, divinationem ejuſmodi ἐσοπτρομαντικὴν ſive *ſpeculariā* vocatā, ab antiquis retro ſeculis ſemper extitiſſe, Plato in *Sophiſtâ* κατόπτρων ἢ πλασμάτων, ſpeculorum, adeóque fictilium quorumvis ad hunc uſum factorum, apertè recordatur. Idem facit *Pauſanias in Achaicis*, ubi id præterea commemorando ſubjicit, quomodo conſulentes de ægri ſalute ſolebant ſpecula in aquas dimittere: Τὸ δ' ἐντεῦθεν εὐξάμενοι τῇ θεῷ, καὶ θυμιάσαντες, τὸ κάτοπτρον βλέπουσι· τὸ δέ σφισι--- *Exinde ut odores adoleverint, & rite Deam (Cererem) precati fuerint, inſpiciunt in ſpeculum, & ex ejus imaginibus periturusne an victurus æger ſit, de quo conſuluerint, divinant.*

Εἴδωλα appellat tales imagines Plato in *loco ſuprà citato*: Simulachra quædam ſeu repræſentationes concipias licet, divinitus impreſſas materiæ ſpeculi, per quas eventus rei adhuc in dubio poſitæ declarabatur. Ideóque lævigata omnino & terſa eſſe debebant iſtiuſmodi vaſa, ut docet *Saliſburienſis Polycrat. l. 1. c. 12.* quò faciliùs impreſſiones prædictas, ſeu reflexiones potiùs, admitterent.

Alium modum tradit *Lampridius in D. Juliano, quo pueri præligatis oculis, incantato vertice res proſpicere dicebantur.* Sed, ſive hoc, ſive illo, vel quocunque alio modo ſpecularia fiebat divinatio, non multùm refert. Noſtrâ magis intererit, ſi poſthabitis hujuſmodi falla-

lacibus & periculosis nugis, ad illud æternæ veritatis speculum intendamus seriò, in quo vera est lux, vera divinatio, immò Divinitas ipsa: & in quod tandem intuentes, videbimus clarè, citráque omne impedimentum, sicut & ipsi videmur.

Excurs. XXX.

Gen. 46. v. 4. *Et descendam tecum illuc, & ego inde deducam te revertentem, Joseph quoque imponet manus suas super oculos tuos.*

Cùm alia multa in usu fuêre apud veteres pietatis officia, tam erga morientes, quàm mortuos solenniter observata, tum illud inprimis quo morientium oculos è cognatione aliqui proximè attingentes pro more claudebant. Meminit hujusce consuetudinis Philo Judæus, in *l. Joseph.* additque præterea mentionem ibidem τελευταίων ἀσπασμάτων, *amplexuum* atque *osculorum* quæ tunc in postremis solebant adhiberi.

Utrunque in usu similiter habuere antiqui Gentiles. Quod ad prius,

---ἡ δὲ κυνῶπις
Νοσφίσατ᾽, οὐδέ μοι ἔτλη ἰόντι περ εἰς ἀίδαο
Χερσὶ κατ᾽ ὀφθαλμοῖσι ἑλέειν---

——*Illa autem inmpudentissima*
Secessit, neq; mihi voluit eunti ad Plutonis domum

Manibus

Manibus oculos concludere;

Ut mæstè conqueritur Agamemnonis umbra de uxoris Clytemnestræ crudeli ingratitudine, *Odyss. l.* 11.

ζῆ, καὶ θανάσης ὄμμα συγκλείσει τὸ σόν,

Vivit, claudetq́; tua mortuæ lumina.

Polydorus sc. Hecubæ matris suæ oculos. *Eurip. in Hecub. Act.* 2. & rursus,

Συνάρμοσον δὲ βλέφαρον μετὰ τῇ σῇ χειρὶ

Μῆτερ---

Compone etiam palpebras tuá manu

Mater. Phæniss. Act. 5.

Dii precor hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Ovid. Ep. 1.

Plinius ad hæc *Hist. l.* 11. *c.* 37. magis distinctè commonstrat, quomodo nimirum *aperire oculos morientibus, rursusq́; patefacere solebant*: Et rationem addit; *quia neque ab homine supremùm eos spectari fas sit, & cælo non ostendi nefas.*

Jam verò quod ad posterius attinet, de amplexus & oscula dando mox expiraturis, utì suprà præstruximus ex Philone, commodè eò facit illud Peligni vatis, *Ep.* 11.

Non super incubui, non oscula frigida carpsi,
Diripiunt avidæ viscera nostra feræ.

Sicut & illud Mantuani poetæ. *Æneid. l.* 11.

—Date vulnera lymphis
Abluam, & extremus si quis super halitus errat
Ore legam—.

Morem tangit quo ſupremum expirantis halitum ore ſuo excipiebant propinqui, vel proximè adſtantes, perperam perſuaſi ac ſi id faciendo potuiſſent morientis animam in ſe ſervandam transferre. *Ut extremum filiorum ſpiritum ore excipere liceret*-- Cic. in Verr. ubi ſævitiam ejus hâc ex parte miſeris id ſolamen quaſi ultimum denegantis inſimulat.

Præmiſſa omnia eò tendunt, ut meliùs intelligatur inſita illa à naturâ hominibus, præcipuè erga hinc è vitâ diſceſſuros, affectio, Chriſtianis etiam ipſis non uſquequaque aſpernanda; Quanquam, quod non ſine magnâ animi alacritate recolendum eſt, habemus nos aliud certè, & id multò tutius receptaculum in quod demandemus avolantes animas, *manus Domini*: *In manus tuas commendo ſpiritum meum; Redemiſti me Domine Deus veritatis. Pſalm.* 31. *v.* 6.

Excurſ. XXXI.

Gen. 47. v. 22. *Tantummodo agros ſacerdotum (Joſeph) non emit.*

NUlla ætas, nulla gens à retroactis mundi temporibus, quæ non ubique & ſemper conſecratâ aliquâ poſſeſſionum ſuarum parte cæleſte numen coluerunt. Ea ſc. gratitudinis pietas inſedit uſque hominum mentibus,

bus, ut à quibus accepissent omnia quæcunque, iis saltem nonnulla devoti rependerent, sive ipsis, sive ministris illorum utenda. Ægyptiorum natio, unde seu cum respectu ad quorum sacerdotes ansam cepit oratio, ita rem ordinarunt, narrante *Diod. Sicul. l.* 1. ut, cùm regionem totam in tres portiones, sive νομὲς dividerent, primam sacerdotibus assignarunt; Sacram eam in ejusmodi divisione vocat Aristoteles *Pol. l.* 2. *c.* 6. ὅθεν ἀπὸ τὰ νομιζόμενα ποιήσουσι πρὸς τὲς θεὲς, *undè justa & sacra Diis conficerentur.*

Res porro hoc modo sacratas, sive ædes, sive agri, vel cujuscunque modi possessiones erant, non vendi denuo, aut in alios rursum profanos usus mutari oportere judicabant. *Lege naturæ,* inquit Orator, *communi jure gentium sancitũ est, ut nihil mortales à Diis immortalibus usu capere possint. Orat. de Harusp. Respons. Sacrosanctas* possessiones appellat idem *Cicero, Orat. in Catil.* 2. Deturbato à regiâ potestate Tarquinio Superbo, cætera ejus bona quæcunque, (quod refert *D. Halicarn. l.* 6.) concessit Senatus populo ut asportaret liberè frueretúrq;: Sata tantùm ab eo fortè in Campo Martio, ὲκ ἐπέτρεψαν ὲδενὶ φέρειν, *non permisit ulli auferre, tanquam sacra, & privatis usibus minimè idonea.* Cùm Thebas oppugnando cepisset Alexander, urbémque solo æquaret, καὶ τὴν χώραν καταν̃εῖμαι τοῖς ξυμμάχοις, ὅση μὴ ἱερὴ αὐτῆς· *Agros insuper, nisi qui sacri essent, inter socios distribuit. Arrian. l.* 1.

Pari absque dubio ratione per metus Ægyptiorum rex Pharao, Sacerdotum agros hic inemptos præteriri jussit. Illis nempe reliquit tenendos, ad quos jure spectabant: Sacra à Sacris rite possidentur. Rhetos alveos qui dicuntur, Cereri & Proserpinæ sacros fuisse memorat *Pausanias in Attic. sive l.* 1. Illic natos pisces nemini præterquam Sacerdotibus capere permissum fuit. Pisces verò in Arethusæ fonte nascentes, (ut rursus ab eodem fluviatilium animantium genere exemplar petam) nec ulli alii, nec ipsi adeo Sacerdotes capiebant, quippe fontis ibidem numini dicatos; *D. Siculus l.* 5.

Sed hæc & hujusmodi, dicat quispiam, malè credulorum hominum meritò æstimentur nugamenta prorsus, & meræ fabulæ. Esto: Interim perspicuè satis manifestant, quàm sanctam opinionem etiam in caliginosis illis temporibus habuerunt de rebus ullo modo superno numini dicatis. Aut si quidem desiderentur Scriptores è celsiori classe, & qui rem autoritate sua quodammodo conficiant, præstò sunt complures Patrum, si modò è ratione Instituti nostri foret divina & non humana potiùs testimonia proferre.

Verùm quid exemplis vel testimoniis omnino certare proderit, ubi contra fas omne atque receptos olim mores res geruntur; Unica & præcipua ratio ditescendi nunc dierum, ex sacrilegio est. Diripimus, vendimus, compilamus, distrahimus, quicquid

sit,

ſit, ſive hominum, ſive Dei, nec vel illud ſaltem poetæ meminimus,

Publica privatis ſecernere, ſacra profanis.

Excurſ. XXXII.

Gen. 50. v. 3. ***Et impletis ei quadraginta diebus, nam ita impleri ſolent dies eorum qui aromatibus condiuntur, fleverunt eum Ægyptii ſeptuaginta diebus.***

NEque omnis dolor, neque nullus in recolendo defunctorum obitu licere videatur. Et enim ſi nimius ſit, effæminatum prorſus & imbellem arguit mentis habitum; ſi nullus, ſaxeum & obduratum. Atque ut modus ita adhibendus eſt dolori noſtro ratione qualitatis, ita etiam reſpectu temporis, ne aut perennet plùs ſatis diu, aut contrà nimis citò extinguatur. Certi ſunt utrinque fines, quanquam pro diverſarum Nationum uſu admodum diverſi, adeóque incerti. Alios alii ſtatuerunt terminos.

Ægyptios ſeptuaginta dies in luctu ſolitos conſumere ex Textu conſtat: Etſi non integros 70 dies luctui ſoli, ſed luctui partim, partim τῷ ἐνταφιϛμῷ ſeu condituræ humandi corporis impendiſſe narrat *Herodotus l.* 2. *c.* 88. Judæos porro 7 dies ſepulchrali hujuſmodi mæſtitiæ indulſiſſe patet, infrà *v.* 10.

Inſtituit

Instituit patri suo luctum (Joseph) 7 *diebus.* Et huic illorum consuetudini adstipulatur Archelai postea regis factum, ἐπένθησε γὰρ ἡμέρας ἑπτὰ τὸν πατέρα. *Dies septem in lugendo patrem consumpsit. Joseph. de Bell. Jud. l.* 2. *c.* 1. Sed nec ita tamen, ut septem tantùm dies huic funebri officio præstando semper statuerent; quin variabant quandoque *Fleverunt Aaronem mortuum* 30 *diebus tota Israelis domus. Num.* 20. *v.* 21. Totidem pariter diebus luxerunt Mosen è vivis sublatum. *Deut.* 34. *v.* 8.

Ut pro cedamus jam paululum ultrà invisendo exteras atq; exoticas gentes, nec minor illic planè occurrit temporum diversitas: quam tamen per certos gradus quasi suo ordine dispositos, cito pede percurram. Per septem dierum spatium Grimundæ regis sui filium prælio interemptum lamentantur Chionitæ, apud *Amm. Marcell. l.* 19. Novem dies Hectora filium suum jam extinctum lugendum antequam sepeliretur, deposcit Priamus. *Il.* 24.

Ἐννῆμαρ κ' αὐτὸν ἐνὶ μεγάροις γοάοιμεν,
Τῇ δεκάτῃ δὲ καὶ θάπτοιμεν---
Novem dies ipsum in ædibus lugere cupimus,
Decimâ autem sepelire——

Lycurgus undecim dierum spatio à Lacædemoniis solenniter observando, funebrem istiusmodi luctum finivit. *Plutarch. in vit.* Decem & septem dies Achillem defunctum fleverunt Dii Deæque omnes. *Odyss.* 24.

Ἑπτὰ

Ἑπτὰ καὶ δέκα μέν σε ὁμῶς νύκτάς τε κ' ἦμαρ
Κλαίομεν---
Septem & decem te simul noctesq; & dies
Flevimus——

Longissimum luctus diem inter Romanos decem mensibus terminavit Numa;

Per totidem menses à funere conjugis uxor
Sustinet in viduâ tristia signa domo.

Ovid. Fast. l. 1. Admetus in uxoris funere ultrà procedit, usque ad duodecimum mensem luctum porrigendo.

Αὐλῶν δὲ μὴ κατ' ἄστυ, μὴ λύρας κτύπος
Ἔστω σελήνας δώδεκα ἐκπληρουμένας.

——*Nec tibiarum nec lyra strepitus*
Sit per urbem, antequam luna duodecies compleat
Suum orbem. *Eurip. in Alcest. Act.* 2.

Non est quòd excurram longiùs perscrutando variè definita luctus tempora inter Gentiles: Sed finem potiùs imponam sermonis filo, etiamsi illi nullos certos fines aut spatii limites dolori suo statuerunt. Bene actum esset, si quem finem aut modum non observamus plerúnque in supervacanei circa funera luctus ambitione, eum criminibus & peccatis nostris, ipsissimis luctuum & malorum omnium causis, poneremus.

Excurs.

Excurs. XXXIII.

Exod. 3. v. 5. *Tum dixit Deus, ne appropinques huc, exue calceamenta tua, nam locus in quo stas, terra sancta est.*

QUantâ cum reverentiâ adibant loca sacra primoris ævi homines, non secus quàm si in præsentiam supremi Numinis, quod certè faciebant, se inferrent, vel abunde constat ex ipso habitu gestúque corporis quo tunc utebantur. Inter cætera indicio esse potest mos iste discalceandi semet, quando non audebant, nec quidem permittebantur, ut nisi nudis pedibus sacratum solum insisterent; Ita factum hìc à Mose est, cùm Deus in ardente rubo illi apparuit; & ita quamplures alios tum veri numinis cultores, tum cæcutientes Ethnicos in religiosis suis ad Deum accessibus fecisse legemus.

Omitto priori è classe utrínque producendos, sive Judæos, de quibus Satyrista,

Observant ubi festa mero pede sabbata reges: *Sat.* 14. Sive Christianos postea, vel factum istud ipsum Mosis in exemplar sanctè sibi imitandum deligentes; quod de Ægyptiis monachis inter cæteros refert *Cassianus. l. de Hab. Monach. c.* 10. & *Excalceatorum*, (utì vocabant) ex similis zeli perversitate, in *Hæres. Catalog.* meminit *Philastrius c.* 80. *Litanias* enim & *Nudipedalia*, atque alia hujusmodi

jusmodi deprecantium apud eos solennia piamenta quotiescunque gravior aliqua miseriarum tempestas Ecclesiæ vel Reipubl. impenderet, speciali olim ratione publicè indicta, tanquam res etiam per se notas, lubens prætereo.

Ad Ethnicos venio, ubi Iamblichus statim inter Pythagoræ præcepta decantatissima illud cum primis ponit, θύειν χρὴ ἀνυπόδετον καὶ πρὸς ἱερὰ προσιέναι· *Discalceati sacrificanto, atque ita sacra ipsa accedunto. De vit. Pythag. c.* 10. *Ædem numinis* (Dianæ) *præterquam nudus vestigia, nullus ingreditur. Solin. c.* 16.

Delius hic longè candenti veste sacerdos,
Ducit, & ad fluvios, & vincula solvere monstrat
Prima pedum—.

Val. Flacc. l. 2.

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos, matris Idææ sacris.

Prudent. in Peristeph.

Præcipuè autem, quod & antea in Christianis notavi, ταπεινοφρόνησιν hujusmodi seu dejectum corporis habitum exercebant, primùm in publicis calamitatibus, averruncandi eas nempe gratiâ; *Cùm stupet cœlum & aret annus, Nudipedalia denuntiantur : magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, precem indigitant, hostiam instaurant.*

Tertull. advers. Psych. c. 18.

Discinctis mos thura dare, atque è lege parentum

Pes nudus, tonsæque comæ——
Sil. Ital. l. 3.

Deinde, ut faciliùs, sicuti putabant, benignitatem Deorum in collatione salutarium quorumvis munerum impetrarent.

Ὡς δ' ἀπεδίλωτοι, καὶ ἀνάμπυκες ἄστυ (πατεῦμεν,
Ὣς πόδας, ὣς κεφαλὰς παναπηρέας ἕξομεν (αἰεί.

Utque viam terimus pede nudo, & vertice nudo,
Sic caput atque pedes, omni sint tempore salva.
Callimach. Cerer. Hymn. 6.

Hoc nempe atq; aliis quibuscunq; modis venerationem, & obsequium suũ plenè testantibus defungebantur veteres, quando numinum suorum propensius auxilium postulaturi, vel aliàs eorundem iram deprecaturi, illorum Templis Arísve appropinquabant. Nos verò tantùm abest ut nudis pedibus accedamus, quòd vix retecto capite tam sanctis mysteriis interesse dignemur. Irrumpimus nimis fidenter in Sanctum Sanctorum, nullo loci aut numinis habito respectu, non quasi vota ibi vel preces humiliter facturi, sed rem potiùs aliquam cum divino Numine ex æquo disceptaturi: *Minoris* forsan *criminis fuisset*, ut Salviani utar verbis *de Gub. Dei l.* 8. *non venire, quàm sic venire: --Ibi honor Deo non defertur, hic irrogatur injuria.*

Excurs.

Excurſ. XXXIV.

Exod. 4. v. 28. *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui.*

QUàm rectè, aut ſecus, arripuit hìc cultellum Sephora & filium ſuum, dum Sacerdotale quodammodo munus invadit, propriâ ipſius manu circumcidit, id diſputent Caſuiſtæ. Nobis tantùm de telo vel inſtrumento quo uſa eſt in circumcidendo, incumbit quàm breviſſimè diſceptare. Nec enim cultrum aliquem ex chalybe vel ferro confectum adhibuit, cujuſmodi apud nos in uſu ſunt, ſed lapideum, καὶ λαβοῦσα Σεπφώρα ψῆφον, ait Textus: & rurſus, Joſh. 5. v. 2. *Fac tibi cultros lapideos*, (μαχαίρας πετρίνας) inquit Dominus ad Joſhuam, *& circumcide filios Iſrael.*

Cultros nempe lapideos è petrâ aut ſcilice fabricatos, ad hæc & hujuſmodi opera uſurpaſſe veteres, nemini non conſtare poterit, qui ſcripta eorundem non oſcitanter perlegerit. *Arnobius l.* 5. caſtrationem Atyos commemorans, *Rapit Atys teſtam*, inquit, *quam inſtigator ipſe geſtabat inſania, furiarum & ipſe jam plenus, --ſub pini arbore genitalia ſibi deſecat.* Similiter *Catullus* Ep. 58.

Super alta vectus Atys celeri rate maria
Phrygium nemus citato cupide pede tangens,
Stimulatus ibi furenti rabie, vagus animi,

De

Devolvit ille acutâ sibi pondera scilice.

Evirabat se sc.

Hanc sibi vult malè habere pro scelere ejus,
Testam sumit homo Samiam, sibique illico telo
Præcîdit caulem, testésque una amputat duos.
Lucil.

——Ecce furentis
Bellonæ matrísq; Deûm chorus intrat, & ingens
Semivir, obscœno facies reverenda minori,
Mollia qui ruptâ secuit genitalia testâ.
Juvenal. Sat. 6.

Testâ, vel scilice, prout dixi, utebantur in ejusmodi abscissionibus, cujus rei rationem reddit Plinius, faciliorem viz. mutilatæ partis sanationem. *Samiâ testâ Matris Deorum sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant, nec aliter citra perniciem, si M. Cœlio credamus. Hist. l. 35. c. 12.*

Ast aliam hic reddunt divinæ Scripturæ Interpretes, Allegoricam sc. sed quæ præsenti instituto, quantum ad Judæos simul & Christianos spectat, optimè respondeat. *Christus* enim *petra fuit*, 1 *Cor.* 10. qui tunc & semper circumcidit renovátque hominum corda efficaci Spiritus sui operatione; *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut eligas Dominum Deum tuum, & possis vivere, Deut.* 30. v. 6. Alioqui, quid impedit, quò minùs in peccatorum nostrorum veteri præputio sordescentes usque contineremur?

Excurs.

Excurs. XXXV.

Exod.7.v.11. *Vocavit autem Pharao sapientes & præstigiatores Ægyptios, & fecerunt ipsi quoque incantationibus suis similiter.*

MIrabile valde (nemo inficias ibit) erat istud Mosis opus, *v.* 10. conversionis virgulæ in serpentem,quod Magi hìc Ægyptii Pharaonis jussu statim aggrediuntur: Mirabile fuit hoc; nec minùs miranda quidem cætera illa quàm plurima, quæ iidem postea ad Mosis & Aaronis exemplum fecerunt.Sed inter tot mirabilia illud mihi non minimè mirandum videtur, quâ vi quâve ratione fecerunt ista tot quæcunque, quæ narrat Textus eos fecisse.

Non lubet arreptâ hinc occasione curiosulo stylo lustrare diversas & singulas Magiæ partes, sive illam infamem prorsus, & quam Goëtiam vocitant; sive alteram melioris notæ, Theourgiæ nomine insignitam.Alia mihi professio, aliud studium est. Utcunque tamen illud velim libenter dignoscere, quo modo quibúsve auxiliis instructi hìc Magi, operati fuerunt res tam arduas & planè stupendas.

Certè non naturæ ipsius in se considerataæ viribus, quod vel inde constat; Natura quicquid agit, id tardè semper, statutisque suis temporibus, & denique intra proprii sui ge-

neris ambitum molitur; Bos progignit bovem, serpens serpentem, certis anni præcipuè tempestatibus, & post multos præparatorios conatus, quorum nihil hìc videre conceditur.

Deinde, nec dæmonum ope, ita quasi illi intra complexus innatæ suæ potestatis res producendas continerent; quod validè refutat Sanctus Augustinus, *De Trin. l.3. Simile*, ut aiunt, *producitur à simili*, materiata quæcunque ab Agentibus materiâ præditis, cujusmodi dæmones esse vix quispiam probaverit.

Quod restat itaque de causis miraculosorum talium effectuum hìc & postea à Magis productorum, sic forsitan statuendum erit. Primò, non erant fortè realia & vera istiusmodi effecta, sed tantum oculis sub veri specie objecta, dæmone ita conturbante cerebri phantasmata, aut aliàs visivi organi humores inficiente, (juxta id quod docet *Aristoteles l. de insomn. c.2.*) ut opinarentur adstantes se videre quod omnino non videbant. Et in hâc opinione, quantùm ad rem quam præ manibus habemus, erant planè *Just. Martyr Qu. ad Orthodox. 26. Tertull. de Anim. c. 57.*

Adhæc, sin vera atque realia fuerunt ejusmodi visa, non spectra merè, quid impedit quò minùs dæmon (eâ est movendi agilitate,) corpora quædam talia de loco ad locum transferre potuit, subjiciendo ea derepente adstantium conspectui, ubi priùs non extabant?

Aut

Aut denique, si tum vera erant effecta, tum noviter producta, licebit Naturæ rem quadatenus assignare: Naturæ inquam, non nudæ, aut sibi prorsus relictæ, sed confortatæ à dæmone, & novis modis destinatum effectum promoventibus (dum Activa sc. Passivis, quod aiunt, variè applicare docet) mirabiliter adjutæ.

Nil habeo quod ampliùs addam in causâ, aut cui potiùs imputare fas sit ejusmodi eventa, nisi aut dæmoni, aut naturæ, ut dixi, à dæmone excitatæ. Nec enim credibile est Deum ipsum auxilio sui concursus per talia & tam impia instrumenta effectus tantos voluisse exerere. Idem dixerim de pseudoprophetis olim, (Sybillas loquor aliósque) per quorum os impurum meritò ambigi potest, (Negat apertè philo Judæus in *l. de Divin. Hæred.* & Anastas. Sinaita, *Qu.* 203.) ullo modo dignatus sit magnalia illa veritatis suæ protulisse. Et licèt plures antehac, sempérque adhuc mira quædam efficiant in illius nomine, *Marc*.19.*v*.38. tamen rectè addubitarunt prudentes, utrùm reverà in virtute quoque ejus id quod agunt, similiter operentur. Certum est, fixúmque semper manebit quod dixit sanatus à cæcitate super consimili argumento, *Jo*.9.*v*.31. *Deum nequaquam audire peccatores:* Et rursus sermonem suum ad Christum collimans *v*.33. *Nisi esset hic à Deo, facere hæc* (tam magna & tam miraculosa) *non potuisset.*

Excurs. XXXVI.

Exod.12. v.19. *Septem diebus ne reperitor vetus fermentum in domibus vestris; utique ea anima excindetur de congregatione Israelis.*

PRimus mortalium omnium, si res in trutinâ verè expendatur, quem ejectionis sive *excommunicationis* pœnam subiisse comperiemus, fuit Cain ille Homicidarum primus. *Ecce ejicis me hodie à facie tuâ, & à facie tuâ abscondar, Gen.*4.14. Proxima huic nec omnimodò dispar, erat Synedrica illa censura postea apud Judæos, quâ enormes flagitiòsioresque quotquot peccatores à reliquâ Congregatione, Deo jubente, abscindebantur. Nec enim ubicunque occurrit vox *Abscissionis* ista, abscissionem mox intelligo propriè sic dictam, à cœtu viventium prorsus, sive hìc sive in futuro; sed (cum Origine in *philocal. c.*1. in parili causâ neglectæ circumcisionis quam Deus octavo die indispensabiliter & sub pœna abscissionis itidem servandam edixerat, *Gen.*17. *v.*14. *Exod.*31. *v.*14. etiam mortis mentione ibi expresſè adjectâ:) Sed intelligo, inquam, rejectionem judicialem è solenni reliquæ multitudinis conventu, vel etiam interdum è communi societate. Atque hoc est quod postea Ἀποσυναγωγεῖν dixêre, *Jo.*12. *v.*42. & tali modo ejectos Ἀποσυναγώγους

voca-

vocabant, *c.16.v.2.* Abhinc cœpit deinceps inter Christianos severior excommunicationis censura; quæ licèt elanguit multùm jamdiu, & penè desita est quibusdam in locis, tamen optandum erat, nec id sine speciali Ecclesiæ commodo, ut rursus restitueretur.

Nec denique Gentiles ipsi caruere penitus ejusmodi censuræ adminiculo in reprimendâ facinorosorum hominum audaciâ. Testis sit *Herodotus l.1. c.144.* de Doriensibus loquens; φυλάσσονται ὡς μηδαμοὺς ἐσδέξασθαι τῶν προσοικῶν Δωριέων ἐς τὸ Τριοπικὸν ἱερὸν, ἀλλὰ — *Cavent nè quem è finitimis Doriensibus ad Triopium sacrum admittant; quin & etiam ex popularibus suis si qui sacri legem transgressi fuerint--excludunt.* Ἀφηρέθησαν δὲ οἱ Φωκεῖς μετεῖναί σφισιν ἱεροῦ τοῦ ἐν Δελφοῖς, καὶ συνόδου τοῦ ἐς τὸ Ἑλληνικὸν — *Phocensibus autem* (commissi sacrilegii reis) *& publici Græcorum conventûs communione interdictum est*, Pausan. in Phoc. sive *l.* 10. Quomodo Eumolpidæ quidem universam Barbarorum gentem vel eo nomine à sacris suis participandis arcebant, quasi indignos, ut testatur Isocrates in Panegyr.

Prætereo lubens decantatum illum locum ex *Cæs. comment. l.6.* de Druidum vetusto more, abigentium scelestos & profanos homines à sacrorum participatione; sicut & illum de Germanis, narrante Tacito, qui inter alias infamiæ notas, eam quoque in ignavos prælii desertores exercebant: *Scutum*, inquit, *reli-*

quisse præcipuum flagitium, nec sacris adesse, aut concilia inire ignominiose fas. Abunde satis rem testatam præstabunt antiquioris prosapiæ Scriptores.

Καὶ τοῖς τοιούτοις οὔτε κρατῆρος μέρος
Εἶναι μετασχεῖν, οὐ φιλοσπόνδου λιβὸς
Βωμῶν τ' ἀπείργειν——
Et his talibus, neque crateris parti
Licet participare, non guttam libaminis,
Ab utrisque arcere—— *Æschyl. in Choeph.*
Τὸν ἄνδρα ἀπαυδῶ τοῦτον ὅστις ἐστὶ γῆς
Τῆς——
Μήτ' ἐνδέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινα,
Μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι, μήτε θύμασι
Κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν,
Ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων πάντας——
Eum ego virum edico quicunque est, ne quis
Recipiat, neque in sermone,
Aut precationibus, aut sacrificiis
Communicet, neque sacram aquam illi det;
Sed omnes à domo ipsum arceant—— *Sophocl. in OEdip. Tyrann.*
Ἔδοξε δ' Ἄργει τῷδε, μήθ' ἡμᾶς στέγαις,
Μὴ πυρὶ δέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινὰ
Μητροκτονοῦντας——
Porro Argis edictum est, ut neque tectis recipi,
Neque ignis usu juvari, neque quenquam nos alloqui fas sit,
Utpote parricidas—— *Eurip. Orest. in proleg.* & rursus *Iphigen. in Taur. Act.* 4.

Ἐλθόν-

Ἐλθόντας δ᾽ ἐκεῖσε, πρῶτα μὲν οὐδεὶς ξένων
Ἑκὼν ἐδέξαθ᾽ —

Tales nempe tam graviter & flagitiose peccantes nè ὁμοκάπνους quidem, utì videtur, sive earundem *ædium* inquilinos, nedum ὁμοτραπέζους vel ejusdam *mensæ* socios admittebant. *Execrabiles* reverà judicabant, (id quod verbum ipsum significat) quippe à Deörum *sacris* exclusos, & proinde nec hominum solito consortio usquequaque dignandos.

Satis constat, opinor, nec opus est ut plura attexam de *Excommunicatione*, etiam Ethnicis olim suo modo in usu positâ; utinamque, quod & antea vovebam, revivisceret tandem inter nos hìc tam celebris censuræ potestas, modò sobriâ & solerti posthac manu dispensanda; non ut, (quod priùs in opprobrium ejus grande cessit) super quisquiliis & tricis, minutiis rerum terribile illud Ecclesiæ fulmen evibretur.

Excurs. XXXVII.

Exod. 21. v. 6. *Tum producens eum Dominus ejus coram Magistratibus, sistet eum ad januam suam, aut ad alterutrum postem, perforabitque aures subulâ, & servus erit in seculum.*

Mos erat Judæis, jubente Domino *infrà* v. 12. ut si quando mulierem Alienigenam captivam in uxorem vellent assumere, deraderent ejus caput, præsecarent ungues, vestes denique mutarent.

Δούλα δ' ἄγομαι γραῦς ἐξ οἰκῶν
Κουρᾷ ξυρηκεῖ πενθῆρει
Κρᾶτ' ἐκπορθηθεὶς οἰκτρῶς.

Serva agor anus (Hecuba) è domo
Funestâ rasurâ
Miserabiliter depopulata caput. Euripid.

Inerat certè huic facto symboli cujusdam ratio, submonentis scil. quomodo transituræ in sanctiorem familiam, Idololatricos antè mores deberent exuere. Cum servis paciscentes iidem Judæi, (quibus volentibus nempe in animo erat permanere) de diuturniore servitii tempore, aures eorundem perforabant: Atque ad hunc fortè ritum alludit illud de Salvatore Christo prædictum, *Psal.* 40. *v.* 6. ubi paratissimum animi sui obsequium ad capessenda hìc in terris cœlestis sui patris jussa profitetur; *Sacrificium & oblationem noluisti,*

isti, aures vero ἔσκαψας μοι, *effodisti mihi.*

Cæterùm quâ ratione porro, aut cujus rei in imaginem morem istiusmodi erga servos usurparunt Judæi, nec omnino scio, nec in præsens multùm inquiro. Illud certus sum, etiam Gentiles in hoc cum eis convenisse, quantum ad aurium nempe terebrationem spectat, illiberalis utì conditionis notam plerunque adjectam. *Xenophon de Exped. Cyri l.3.* sermonem ibi interserens Agasij cujusdam Stymphalij contra Apollonidem perfidiæ Græcis suspectum; Ἀλλὰ τούτῳ γε τῆς βοιωτίας προσήκει οὐδὲν, οὔτε τῆς Ἑλλάδος παντάπασιν, ἐπεὶ— *Huic verò*, inquit, *nihil omnino neque cum Bæotiâ, neque cum Græciâ commune est; nam vidi utramque aurem perinde ac Lydo*, τετρυπημένην, *perforatam.* Cicero scopticè perstringens Octav. Cæsarem.ac si hybridam natu & Lybico patre (quod aliqui malevolè submurmurabant) furtim progenitum, dicentémque se non illum concionantem audire, Καὶ μὴν τετρυπημένον (ἔφη) ἔχεις τὸ οὖς· *Atqui aurem habes, ait, perforatam, Plutarch. sympos. l.2.c.1.*

Hoc est quod annulatas aures habere vocat *Plautus in Pœnul.*

Mi. *Viden' homines sarcinatos consequi?*
Atque ut opinor, digitos manibus non habent.
Ag. *Quid jam?* Mi. *Quia incedunt cum annulatis auribus. Act.5.sc.2.*

Nequam est, aurum antes ejus vehementiùs ambit. Lucil.

Sed

Sed libertinus prior est, prior, inquit, ego adsum.
Cur timeam? Dubitemne locum defendere? quamvis
Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestra
Arguerint, licet ipse negem. Juven. Sat. 1.

Constat satis ex præmissis non tantùm apud Hebræos, sed etiam & Exteros perforationem aurium indicium aliquod vel servitii, vel ignominiæ saltem præ se tulisse ferè. Quamvis utrùm ut hi, sic & illi (Hebræos loquor) annulis quoque implebant pertusarum aurium foramina, id non laboro. Interim operæ pretium fuerit, hinc observâsse egregias humanarum consuetudinum vices: Dedecori erat tunc temporum, magnúmque habebatur deterioris conditionis indicium, vel à stigmatis infamiâ proximum, perforatas hoc modo aures, & annulis onustas gessisse: Nunc ingenui, nunc homines liberalis præcipuè sortis, luxuriantur ubique tali ritu, & vel eo maximè à cæteris inferioris atque plebeii ordinis distingui gestiunt; Adeò quod in opprobrium prius cesserat, jam in honorem & grande, ut putant, utentium ornamentum adhibetur.

Excurs.

Excurs. XXXVIII.

Exod. 22. v. 1. *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, & quinque oves pro unâ ove.*

NOn mei muneris est diversimodas furtorum species aut modos percensere: non discurrere per supplicia varia quibus furantes ab omni usque ævo, omníque in Republ. affecerunt meritissimè. Jurisconsulto potiùs quàm philologo hæc deberi Sparta videatur.

Aliàs quidem punitos fuisse reperiemus mortis supplicio, aliàs bonorum opúmve dispendio: nonnunquam dupli, quandoque quadrupli compensatione. *Gell. l.* 11. *c.* 18. Quamquam & septupli meminit Sapiens, *Prov.* 6. *v.* 31. quod alibi tamen vix occurrit: nisi quòd forsan parœmialis & vulgatæ locutionis more dictum hoc intelligi possit; Atque hæc singula pro diverso gradu commissi, sicut aut clàm, aut palàm, vel elatâ manu, vel cogente denique necessitate perpetrabantur. *Pœna manifesti furti quadrupli est, non manifesti, dupli. Instit. l.* 4. *Tit.* 1.

Sed duo hìc præcipuè videntur mihi intentionis aciem mereri; primum illud est (id quod reverà pensi nostri fuit, eritque per totum hoc opusculum) quàm bellè sc. hâc ex parte conveniant inter se divina sanctio, & humana

humana Gentilium Instituta. Discrimen manifestum hìc statim in subsequentibus, *v.* 2,3. ponit Sancta pagina, inter nocturnos fures, τειχορύτίοντας, seu mœnium clandestinos demolitores, illos, inquam, & diurnos grassatores; Prioris generis reos, deprênsos in ipso facinore, occidi permittit: alteros demitti incolumes jubet, & legi Restitutionis servari. *Si nox furtum faxit & im aliquis occisit, jure occisus esto. Dodecat. de jure privat.* §.38. Contra §.39. *Si neque noctu, neque telo se defendens*, deprehensus fuisset, alio, eóque mitiore supplicii genere tractabatur. Quàm congruè sibi invicem respondeant duæ istæ leges, licèt disparis prosapiæ, altera divina, humana altera, (sed undequaque simillimæ) quis nisi cæcus, non persentit?

Proximum quod observatu dignum cènsui, divinæ est censuræ modus, quo furantes *simpliciter* statuit multari: non capite, aut capitali aliquâ pœnâ, sed tantum ablati restitutione; Adulterium, quod constat, districtè jussit Deus morte puniri, *Lev.* 20. *v.* 10. de quo memorabile extat dictum Philonis Judæi in *l. Joseph.* Ὅτι περὶ τῶν ἄλλων εἰωθότες διαφέρεσθαι, μόνον τοῦτο ὁμογνωμονοῦσι—*Quòd de cæteris (criminibus) dissentire soliti, in hanc sententiam conspirant omnes, ita ut (adulterium) ubique rem capitalem pronuncient, & cæde vindicandam.*

Sed de furto non adeo clarè patet, nisi si ad

ad ſanguineas Draconis leges recurramus in hác causâ, quas tamen poſtea reformavit Solon, docente *Gell. ubi ſuprà*, & ſapiens ille Socrates ſemper abhorruit, ut teſtatur *Xenophon Memorab.l.* 1. Pecuniariâ aliquot ſolidorum multâ furtum damnavit Saxonum noſtratum lex, (*Inæ Conſtit. c.* 10.) nec ultrà proceſſit.

Unica in hoc negotio certa & tuta procedendi norma eſt, ſi quod prudenter ſubmonuit Grotius *de Jure Bell. & Pac. l.*2. *c.*1. recurſum in animo habeamus vel ad iſtam ipſam legem in quâ verſamur, undè potiſſimè divinæ voluntatis notitia exquiri poteſt. Ubi ſanè mirari mihi aliquoties ſubit, nec immeritò, quomodo Deus accuratiſſimus legum lator, unum furti genus (nocturnum ſc. ob conjunctum cædis periculum) tam expreſsè occiſioni ſubjecit, & tamen omne aliud quodcunque, ſi quidem nece ullo modo inferendâ dignum, velut immune prorſus à tali aliquo ſupplicio prætermiſit. Sed hoc altioris ſcenæ negotium eſt. Viderint illi quorum intereſt quam maximè in rebus judicandis, innoxios ſe & ſanguine puros cum omni diligentiâ præſtare.

Excurſ.

Excurs. XXXIX.

Exod. 24. v. 8. *Accipiens Moses sanguinem sparsit super populum, ac dixit, hoc est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum.*

FOEdus hoc in loco solenne & Sanctum admodum paciscitur Deus cum gente Israelitica: Fœdus nimirum tale, quo tenebantur postea justam debitámque mandatis ejus observantiam præstare. Nec quidem hoc omnino sine sanguine conficit, non absque cruore pecudum effuso, & libato super fœderis conventione. Id sc. moris semper fuit, tum Judæis, *Psalm.* 50. *v.* 8. *Congregate mihi Sanctos meos qui icerunt fœdus meum per sacrificium*: tum Gentilibus, ut solenniora quæcunque pacta interventu sanguinis adhibiti stabilirent.

Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστὰ
Ἄρνε δύω καὶ οἶνον—.

Præcones verò per civitatem ferebant res ad fœdus necessarias,
Agnos duos & vinum,—Il. 3.

Armati Jovis ante aram paterasq; tenentes
Stabant, & cæsâ jungebant fœdera porcâ. Æn. 8.

Verùm neque hìc substitit assueta Gentiliũ praxis inita pacta sancientium pecuini cruoris libatione, quod ut per se satis notum est, ita

ita potest Judæorum proposito suprà exemplo rectè defendi: sed quod (etsi rariùs) occurrit, etiam ultrà progressi sunt, adeo ut in firmandis fœderibus suis nonnunquam humani sanguinis effusione lascivirent. ὅρκια δὲ ποιέεται ταῦτα τὰ ἔθνεα, τά περ τε Ἕλληνες, καὶ πρὸς τούτοισι, ἐπεὰν τοὺς βραχίονας ἐπιτάμωνται—. *Ineunt autem hæ gentes (Lydi ac Medi) fœdera, cùm cætera ritu Græcorum, tum secando brachia usque dum sanguis profluat, ac mutuò illum delingendo. Herodot. l. 1. c. 74.* Σέβονται δ' Ἀράβιοι πίστεις ἀνθρώπων ὁμοῖα τοῖσι μάλιστα· ποιεῦνται δὲ αὐτὰς τρόπῳ τοιῷδε· τῶν βουλομένων τὰ πιστὰ ποιέεσθαι, ἄλλος ἀνὴρ ἀμφοτέρων ἐν μέσῳ ἑστεὼς, λίθῳ ὀξεῖ τὸ—. *Servant fidem Arabes inter homines ut quàm maximè, quam in hunc modum dant. Quoties fœdus inire volunt, alius quidam medius inter utrosque stans, acuto lapide ferit volam, deinde inungit eo sanguine septem lapides in medio positos, inter inungendum invocans Dionysum & Uraniam, l. 3. c. 8.* Sic Jacob (ut id obiter interseram) in memoriam percussi fœderis cum Labane, *Gen.* 31. *v.* 51, 52. *Ingentem lapidum acervum* erigit. Alibi postea erigit & inungit insuper, *loco* nempe *quo locutus fuerat ei Deus, c.* 35 *v.* 14. Sed ad rem.

Nè fœdera quidem incruenta sunt, ait Pomponius Mela de Scythis loquens, *l.* 2. *c.* 1. *Sauciant se qui paciscuntur, exemptúmque sanguinem ubi permiscuere, degustant. Id putant mansuræ fidei pignus certissimum.* Nota est

planè

planè fabula conjurationis Catilinariæ in mutui ſanguinis guſtatione inter fœderatos conceptæ, ut rem geſtam ex profeſſo narrat Saluſtius, & in tranſcurſu attingit *Florus, l.4. c.1.* Juvat verba adſcribere vel elegantiæ eorundem cauſâ: *Additum eſt,* inquit, *pignus conjurationis ſanguis humanus, quem circumlatum pateris bibêre: Summum nefas, niſi amplius eſſet, propter quod biberent.*

Adduci huc poſſet Mithridatis & Rhodamiſti ſimile omnino factum, referente *Tacito Ann. l.* 12. Sicut & aliud ex Luciano in Toxari. Sed exemplorum hactenus ſatis. Mirandum magis ſimúlque dolendum eſt, extitiſſe prorſus unquam homines, qui ſub obtentu iciendorum fœderum, ita naturæ pariter atque humanitatis ipſius jura fœdiſſimè violarent.

Excurſ. XL.

Exod. 27. v. 20. *Facies enim cornua illi (Altari) ſuper quatuor angulos ejus, ex ipſo ſint cornua ejus, & obduces illud ære.*

ARam ὁλοκαυστωμάτων, Aram ſc. ſuper quam ſacrificia cremata offerret poſtea populus, non ſine cornibus ei annexis confieri hìc curavit Dominus. Cui autem fini iſtud atque propoſito liquet *Pſalm.* 118. ut immolandam ſc. hoſtiam illuc ducentes, exinde ligarent.

Ligate

Ligate sacrificia Festi funibus ad Altaris cornua, *v.*2. Aræ quasi *Ansæ* sunt dictæ, docente Macrobio ex Varron. *Saturn. l.*3.*c.*2. Hinc Adonias & Joab commeritam Solomonis iram cupientes evadere, ad altaris cornua uterque confûgit, 1 *Reg. c.*1.*&* 2.

Cornutas aras etiam aliubi, & extra Judææ confinia in usu fuisse reperiemus. Κερατίνȣ βωμȣ̃ meminit Plutarchus in *Theseo* suo. Idem facit Laertius, sed occultiùs paulò, *in vitâ Pythagoræ*, dum narrat inter cætera, Βωμὸν προσκυνῆσαι τȣ̃ Ἀπόλλωνος τȣ̃ γενέτορος, ὅς ἐςιν ὄπιθεν τȣ̃ κερατίνȣ. *Aram* (eum) *Delii tantùm Apollinis, quæ post Ceratinum est, adorare consuevisse.*

Nec Triviæ templo molles laudentur honores,
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.

ait Epigrammatista, sive de arâ Jovis in Libyâ, seu potiùs Apollinis in Delo loquatur.

Sed ut quod res est ingenuè proferam, multum discriminis observare est inter exoticas hujusmodi Aras, & illam Palœstinæ: Illa, sicuti dixi, cornua seu uncinos quosdam ex reliquâ Altaris materiâ productos, eique affabrè connexos habuit. Hæ totæ ex cornibus reapse simul contextis extruebantur. Ἐχόρευσε ꝺ̀ περὶ τὸν κερατῶνα ἐκ κεράτων συνηρμοσμένον εὐωνύμων ἁπάντων, *Plutarch. ubi suprà: Saltavit* (Lycurgus) *circa Aram ceratônam quæ ex cornibus erat omnibus sinistris compacta.*

Miror ut innumeris structam de cornibus aram,
Et de quâ pariens arbore nixa Dea est.
Ovid. Epist. 20.

Aram intelligit ejusdem Apollinis apud Delios extantem. Callimachus in Hymn. in Apoll. commemorans structuram Aræ ab ipso fabricatæ:

*Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συννεχὲς αἰγῶν
κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων;
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν,
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τείχους.

Quum venata soror portavit densa caprarum
Cornua Cynthiadum, Phœbusq; altare locavit,
Et sedem è cornu statuit, de cornibus Aram
Fixit, & è duro construxit mœnia cornu.

Satis manifestè ex prædictis liquet discrimen quod innuimus, inter Judaicam Aram, atque Aras Gentilium. Mentionem obiter ab initio statim injeci de Adoniâ & Joab, confugientibus, quanquam frustrâ, ad Altaris cornua, quò impendens vitæ certum periculum devitarent. Habemus nos quoque Christiani altare quoddam refugii, Aram scilicet *divinæ misericordiæ*, ad cujus cornua recurrentibus nihil verendum erit, nè inde ullâ vi aut impetu abstrahamur.

Excurs.

Excurs. XLI.

Exod. 29. v. 6. *Et pones tiaram in capite ejus, & Coronamentum Sanctum super tiaram.*

Quàm benevolè Deus semper respexit sacerdotale officium, & ad quod splendoris ac dignitatis fastigium voluit illud evehere, vel hinc constat, ex mirifico nempe varióque vestium apparatu quo sacerdotes suos ornari curavit. Inde *pectorale sacrum*, & *amiculum*, & *pallium*, & *tunica tassellata*, *cidaris* & *baltheus*: hæc pleraque intertexta auro & gemmis, eáque singula indu tui Aaronis atque filiorum ejus aptata; ut videre est magis distinctè expositum per integrum præcedens caput.

Sed inter cætera tot sacerdotalia ornamenta, tantùm insistam paululùm in laminæ illius aureæ sive coronamenti contemplatione, quo dilectos suos ministros ad Altare servientes, in regalem quodammodo dignitatem visus sit inaugurasse; juxta illud, *Exod.* 19. *v.* 6. (ut rectè huc transferri potest) *Et eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Disertè Propheta Zacharias, *c.* 3. *v.* 5. ubi de Joshuâ sacerdote maximo fit mentio; *Ponite*, inquit Angelus Domini, *cidarim mundam super caput ejus, & imposuerunt capiti illius, & induerunt eum vestibus.* Κίδαρις καϑεσκευάζετο, ut

ut notat *Philo de vit. Mos. l.* 3. Κιδάρει γὰρ οἱ τῶν Εώων βασιλεῖς ἀντὶ διαδήματος εἰώθασι χρῆσθαι, *Cidaris imposita* (pontifici) *est, quia cidaris potiùs quàm diadema, erat ex regio Persarum ornatu.*

Non defuerunt hìc Gentiles, quin similiter Infulis & Coronis, modò aureis, modò floreis, vel aliâ qualicunque ornarent suos mystas, tunc præcipuè cùm sacrorum operationi instabant. Flamines erant genus sacerdotum inter Romanos, quasi *filamines* dicti, ut docet Fenestella ex *Varr. l.*1. *c.*5. à filo lanæ in modum turbinis contextæ, quo caput præcinctum habebant. Τοῦτ' ἐςι, ςεφανοφόροι ὑφ' Ἑλλήνων,—h.e. *Græcè loquentibus, Coronati, D. Halicarn. l.*2.

———Ἦλθε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν
Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.
Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ———.
—*Venit* (*Chryses*) *celeres ad naves Achivorum,*
Coronam habens in manibus longè jaculantis
Apollinis,
Aureo cum sceptro——*Iliad.*1.
Ἱςάναι ὡραίων βρομίῳ χάριν ἄμμιγα πάντας
Καὶ κνισσᾶν βωμοῖσι, κάρη ςεφάνοις πυκάσαντας.
Primitias Bromio cuncti statuatis, & iidem
Solvatis grates passim fumantibus Aris.
Tempora sacratis redimiti ritè coronis.
Demosth. in Orat. contra Mid.

Λευχειμονοῦντας καὶ ἐςεφανωμένους, *Coronatos*

hoc

hoc modo, & *albis* porro *indutos*, quotiescunque sacrificabant, Prytanêos inducit *Plutarchus in Consol. ad Apoll.* & *Theophrastus* pariter *in c.* περὶ μικροφιλοτιμ.

Tum Salii ad cantus, & incensa Altaria circùm
Populeis adsunt evincti tempora sertis. *Æn.* 8.

Populeis sertis, ait poeta, de Herculanis Sacris loquens. Sic enim, ut illud etiam obiter adjiciam, non tantùm coronabantur, quod priùs, diis sacrificantes, sed insuper Diis variis facturi, variis & diversimodis coronis ornabantur: in Dionysiacis, myrto; in Cerealibus, quercu; in Apollineis, lauro; in Herculanis, populo; prout cuique numini sua arbor propria & in tutelâ fuerat.

Frustrà essem si istorum singula totidem Instantiis sive exemplis, quod tamen factu in proclivi erat, stabilire aggrederer. Aliò evocat intentionis meæ aciem acerbus animi mœror, dum conculcatam recogito hìc inter nos *mitræ* coronam, & protrita jamdiu humíque adeo jacentia sacerdotalia quæcunque florentis quondam Ecclesiæ ornamenta. Verè nobis usurpandum nunc venit lugubre illud Elegidium Prophetæ Jeremiæ, *c.* 5. *v.* 16.

Cecidit nobis corona capitis, væ nobis quia peccavimus!

Excurs. XLII.

Exod. 22. v. 8. *Quæ cùm ille accepisset, formavit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.*

EXtra aleam omnem dubitationis est, Idololatricos Israelitas vitulum hunc conflari sibi curâsse ad imitamentum Ægyptii illius vituli, Apidis dicti, Αἰγυπτιακοῦ μίμημα τύφου, ut *Philo de vit. Mos. l.* 3. quem populariter & ubique cultum ibi vidissent. Ita hercle est: Non tantùm Ægyptiis onusti spoliis, sed etiam illorum superstitiosis contaminati affectibus inde recesserant.

Apis verò Ægyptius iste quis aut qualis fuerat, si cui lubeat amplius quid de eo cognoscere, paucis accipiat. Duo genera boum in præcipuo olim honore erant apud Ægyptios, Mnevis & Apis: Mnevim colebant Hieropolitani, Apin Memphitæ, *Strabo l.* 17. Mnevim Soli, Apin Lunæ sacrabant. *Amm. Marcellin. l.* 22. E duobus hisce Apin præcipuè, idque *attonitæ ferè venerationis* cultu, ut loquitur Macrobius, adorabant.

Causam hujus tam eximij cultus erga Apin si quis requirat porro, erat scil. Pythagorica illa μετεμψύχωσις, ut tradit *Diod. Siculus l.* 1. quâ animam Osiridis, magni apud Ægyptios Dei, in Apin suum migrâsse sommiabant: Sed & aliam ibidem affert præfatus

Dio-

Diodorus, grande illud emolumentum à bobus præstitum tunc cùm homines primò studebant terræ sationi, & adhuc præstant serentibus. Lucianus *in l.* περὶ Ἀςρολογ. acutè (sicuti mos est) originem cultus terreni istius bovis, in honorem refert cœlestis illius sive superni.

Non mihi in animo est, multiplices variásque coloris notas huic Apidi eligendo necessarias percurrere. Ælianus in *Hist. Animal. l.* 11. *c.*10. viginti & novem recenset. Nec libet enarrare, quantâ cum sedulitate, defuncto priore Api, quærebant novum, invento gaudebant; viventem nutriebant accuratissimè, & demum fato functum acerbo questu prosequebantur. Hæc & similia si quis avet plenius dignoscere, apud prædictos Autores investiget.

Interim non possum non mirari degenerem Israelitarum hìc stuporem, sic æmulantium præposterè Ægyptiacos ritus, ut præpotentis Dei cultum derelinquerent, seséque adeo addicerent ignavæ pecudis venerationi, ipso animali quod colebant insensatiores. Emphaticè hinc Psalmista isthoc ipsum Idolomaniæ vecors flagitium in Judæis designatè perstringens, *Psal.*106. *v.*19,20.

Fecerunt (inquit) *vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile:*
Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.

Ægyptium illum, inquam, Bovem indigitat Psalmographus, Μόσχε voce hic & aliâs notatum à Septuaginta, voce scil. utriuslibet ex æquo significativâ, sive *vituli*, sive etiam *bovis*, *Jud.*6. *v.*25. *Num.*7. *v.*3. ad cujus imitationem Simulachrum sibi hic insani sui cultûs vecors populus consecerat.

Excurs. XLIII.

Exod.32. v.17. *Audiens autem Joshua tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen, sonum bellicum in castris audio.*

NOto notius est pugnam omnem, inprimis bellicam, non sine clamore atque ingenti strepitu peragi solere. *Conflictatio quævis confligentis*, inquit Propheta, *in concussu est, & cum vestimentorum in cædibus volutatione*, *Is.*9. *v.*5. Et sanè quomodò aliter fieri posse credibile est, ubi Martius furor & sæviens prælliantium rabies unicè dominantur? Quanquam Homerus Trojanos quidem Barbaros cum clamore & strepitu, Græcos verò cum silentio in bellum prodeuntes inducat.

Τρῶες μὲν κλαγγῆ ἐνοπῆ τ᾽ ἴσαν ὄρνιθες ὥς,
Οἱ δ᾽ ἄρ᾽ ἴσαν σιγῆ, ἴσαν πνείοντες Ἀχαιοί.

Trojani quidem sonitu clamoréque incedebant.
Græci verò cum silentio ibant, robur spirantes.
Il. 3.

Mo-

Modestum fortè, & magis compositum Græcorum in prælium progressum significat, qualem Lacedæmoniis suis Lycurgus præscripserat, ῥυθμῷ τε πρὸς τὸν αὐλὸν ἐπιβαίνουσι, μήτε διάσπασμα ποιοῦσι—*Ut numeris ad aulam incederent, neque aciem turbarent*; Plutarch. *in Lycurg.* & de eâdem re nonnulla *Gell. l.1. c.11.*

Verùm hîc et illic, utrobique constat morem semper valuisse edendi ingentem sonitum qualemcunque, sub initio præsertim pugnæ, quo militum animi ad certamen subeundum alacriores redderentur. Ἀλαλαγμὸν vocabant istiusmodi clamorem vel barritum magis, & ἀλαλάζειν sic clamantes dicebantur. *Ascendit Deus in jubilo* (ἐν ἀλαλαγμῷ) *& Dominus in voce tubæ, Psalm.47. v.5.* Ἐλελεῦ, ut habet Suidas.

Σάλπιγγι δ' ἄλλος ὡς τάχος σημαινέτω,
Ὥρα ταχύνειν, ἐλελεῦ—.

Tubâ verò alius quàm celerrimè det signum,
Tempus est accelerare, Eleleu.

Ἐπαιάνιζον οἱ Ἕλληνες, καὶ ἤρχοντο ἀντίοι ἰέναι τοῖς πολεμίοις—καὶ ἅμα ἐφθέγξαντο οἷόνπερ τῷ ἐνυαλίῳ ἐλελίζουσι—Λέγουσι δέ τινες καὶ ταῖς ἀσπίσι πρὸς τὰ δόρατα ἐδούπησαν; *Græci Pæanem canunt, & in hostes incipiunt pergere, simul universi dum currerent conclamant quemadmodum Martiæ ululationes fieri consuêrunt: Nonnulli aiunt eos etiam scutis ad hostem illisis strepi-*

tum

tum edidisse. Xenoph. de Exped. Cyr. l.2. Τότε δὴ καὶ τὸ Ρωμαίων στρατόπεδον κατὰ τὰ παρ' αὐτοῖς ἔθη συνεψόφησαν ἐπὶ τοῖς ὅπλοις, καὶ συναλάξαντες ὥρμησαν ἐπὶ τοὺς πολεμίους. *Romani quoque more patrio, armorum strepitum edentes, & acclamantes, in confertissimos hostes irruerunt. Polyb. l.1.* Πρῶτον μὲν οἱ σαλπιγκταὶ ἅμα τὸ πολεμικὸν ἀπὸ συνθήματος ἐβόησαν· ἔπειτα δὲ οἱ στρατιῶται, καὶ ὁ λοιπὸς ὄχλος πᾶς ἐπήλαξε, καὶ οἱ τὰ δόρατα πρὸς τὰς ἀσπίδας, οἱ ——. *Primò omnium ex composito omnes tibicines simul classicum cecinerunt: pòst & milites & cætera turba clamorem bellicum sustulerunt: tum alij hastis scuta, alij saxis ærea vasa percusserunt. Dio. l.36.*

Poteram plura, si libuisset modò, ex præfatis Autoribus, & aliunde etiam firmandi argumenti causâ, testimonia proferre. Sed vel hæc sufficiant, atque ideo ea potissimùm delegi, quia morem utrumque in prælijs inchoandis antiquitus usitatum, itâ manifestè simul & semel exhibent, tum vocis ululatu, tum hastarum in clypeos collisione. In quorum posteriore sc. abundat plurimùm ubiq; Amm. Marcellinus, & *l.*14. rationem insuper addit, quoniam is *habitus pugnantium iram concitat, & calorem.* Altiùs assurgit Cardanus *de Subtil. l.*14. ex ipsius naturæ penetralibus eliciens utriusque causam; *Omnium affectuum*, inquit, *maximi sunt timor & fortitudo: & hos cum primis movent soni.* Hinc est quòd Græci, Barbari,

bari, omnes denique, licèt alii alio modo, adhibuerunt ſemper morem illum, in initio maximè conflictus aggrediundi, ſempérque adhuc aliquatenus retinemus.

Excurſ. XLIV.

Exod. 38. v. 8. ***Fecit & æneum labrum cum baſi ſuâ de ſpeculis mulierum quæ excubabant ad oſtium tabernaculi.***

MIrum videri cuipiam poſſet quomodo labrum hìc ex ſpeculis confecerit artifex Bezaleel; Et meritò, ſi quidem ſpecula talia apud ſe imaginetur vitrea & fragilia, qualia nunc dierum in uſu habemus. Etſi Plinius *Hiſt. l.36. c.28.* vitri cujuſdam meminit, flexilis omnino temperamenti, quod Artifex ſolers ſub Tiberio principe mirabili ingenii ſui ſagacitate adinvenerat. Sed nè diutius teneam lectorem hærentem in ambiguo, aliuſmodi tunc erant ſpecula, aliâ ex materiâ, eâque longè tenaciore confecta. Multus eſt clariſſimus Meurſius *Exerc. crit. l.2.* in recenſendis diverſis metallorum generibus ex quibus fabricabantur olim ſpecula. Non mihi libet alienis prorſus, quod moris eſt, veſtigiis inhærere, niſi ut aliqua inſuper de proprio penu adjiciam.

Specula itaque, ut dixi, non ex uno genere ma-

materiæ fiebant antiquitus, sed alia ex auro alia ex argento, alia ex ære, stanno, &c. constabant. Adaptabo singulis suas seorsim Instantias. De aureis, Sen. *Nat. Qu. l.* 1. *c.* 18. *Patiente jam rerum luxuriâ, specula totis paria corporibus, auro argentóque cælata sunt.* Euripid. *Hecub. Act.* 4.

Εγὼ δὲ πλόκαμον ἀναδέτοις
Μίτραισιν ἐρρυθμιζόμαν
χρυσέων ἐνόπτρων
λεύσσουσ' ἀτέρμονας εἰς αὐγάς.
Ego autem comam revinctis
Vittis aptè componebam,
Intuens in aureos
Rotundi speculi orbes.

De argenteis Plin. *Hist. l.* 33. *c.* 4. *Laminas duci, & specula* fieri *non nisi ex optimo argento posse creditum est:* Plaut. *Mostell. Act.* 1. *sc.* 3.

Sc. *Interim cape atque exterge tibi manus.* Ph. *Quid ita?*
Sc. *Ut speculum tenuisti, metuo nè oleant argentum manus.*

De æreis Aristot. *de Somn. c.* 2. Τὸ γὰρ καθαρὸν ἀκριβῶς δηλοῖ ὅτι ἂν δέξηται --- Ὁ δὲ χαλκὸς διὰ τὸ μὲν λεῖος εἶναι —— *Nam quod mundum est atque purè exactum commonstrat quicquid acceperit: Æs verò* (speculi) *cùm leve tersúmque est* ——.

---Κύπρις δὲ διαυγέα χαλκὸν ἔχουσα,
Πολλάκι τὰν αὐτὰν δὶς μετέθηκε κόμαν.

Sola

——*Sola Venus speculo usa fuisse*
Fertur, & ornatam bis posuisse comam.
Callimach. *Hymn.* 5.
Κάτοπτρον ἐστὶ εἴδους χαλκός ἐστι, οἶνος——δὲ νοῦ.
Exterioris namque formæ æs speculum est, vinum mentis. Athen. l. 10.

De Stanneis, Plin. *Hist. l.* 34. *c.* 17. *Specula quoque ex eo* (Stanno) *laudatissima,——donec argenteis uti cœpere & ancillæ.*

Summatim rem perstringit Cardanus, atque uti Philosophum decet, materias diversas conferendo invicem, breviculum quendam totius causæ statum efformat. Optima igitur, inquit ille, *è chalybe vel argento specula,——non è vitro chrystallina, quamvis aliter homines credant: Metallica exactiora, vitrea diuturniora, quippe nitore levi magis adeóque minùs corruptibili. De subtil. l.*4. Constat ex dictis suppetîsse proculdubiò Bezeeli etiam diversimoda alia specularia metalla, auri, æris, argenti; nec necesse ei fuisse, ut in conficiendo labro lavatorio fragiliori illâ vitri materiâ uteretur.

Excurs.

Excurſ. XLV.

Exod.39. v.27. *Fecerunt & tunicas byſſinas opere textili, Aaroni & filiis ejus.*

QUem in uſum parabantur ejuſmodi veſtes byſſinæ, docebit Textus *Lev.6.v.*10. ut nimirùm eis induti Aaron & filii ejus, circa Altare Dei miniſtrarent. Nemo ſacerdotum debebat illuc ſacrificaturus accedere, niſi tali prorſus tegmine decenter conveſtitus. Et quidem de veſtibus byſſinis ſeu lineis, & quomodo eis ſolenniter amiciebantur ſacerdotalia officia tractantes, etiam Ethnici, crebrò eſt legere apud profanos Scriptores: Ἐσθῆτα δὲ φορέουσι οἱ ἱερέες λινέην μούνην· *Veſtem geſtant ſacerdotes* (Ægyptii) *lineam unicam. Herodot. l.2. c.*38.

—— *Diis communibus Aras*
Gramminеas, alii fontemq; ignemq; ferebant
Velati lino——. Virg.

—— *Nec diſcolor ulli*
Ante aras cultus, velantur corpora lino.
Sil. Ital. l.3.

De linoſtolio enim Iſiacis ſacerdotibus olim in uſu, vel adeo pueris notum eſt.

—*Præcipuum ſummúmque meretur honorem*
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo
Plangentis populi currit deriſor Anubis.
Juv. Sat.6.

Cujus

Cujus tam aſſueti moris hìc & aliàs, rationem reddens in Apolog. ſuâ Madaurenſis fabulator (Nec aliam affert Philo de Judaicis ſacerdotibus loquens, *De Monarch. l.2.*) collocat eam præcipuè in puritate ſeu ſanctimoniâ quadam linei veſtitus ſupra laneum, ſi cum eo fortè comparetur. Quippe, *lana*, inquit ille, *ſegniſſimi corporis excrementum eſt*, detractũ à pelle pecuinâ, putredini & fætori obnoxium: Cùm linũ contrà è defæcatis terræ viſceribus originem omnino trahat. Atque hâc de cauſâ famigeratiſſimus ille Pythagoras, utì in vitâ ejus narrat *Iamblychus c.28.* Ἐσθῆτι δὲ ἐχρῆτο λευκῇ καθαρᾷ,---κωδίοις γὰρ---*Veſte*, inquit, *perpetuò utebatur candidâ & purâ—; villoſorum palliorum nequaquam illi uſus erat. Candidam* h.e. lineam, & *puram* veſtem pro eâdem ponit; quomodo & *Laertius in vit. Pythag.* loquens de ejuſdem poſtea diſcipulis; Θεοῖς ἀεὶ μετ' εὐφημίας λευχειμονοῦσι καὶ ἁγνεύουσι· *Diis ſemper cum laudibus amictúque albenti & caſto corpore honores perſolvunt.*

——Purâque in veſte ſacerdos
Setigerum fœtum ſuis, intonſámque bidentem
Attulit. Æn. 12.

Porro, ex Pythagoræ illo Pythagoricorúmque inſtituto (quod conjectans adſtruit ubi ſuprà præfatus Apuleius) emanabat ipſe mos de quo loquimur latiſſimè inter Gentiles reliquos, veſtiendi lineis indumentis ſacerdotes

ſuos

suos in solenni sacrorum operatione. Nulla gens aut populus penè cui usû non inolevit. Ut itaque paucis rem complectar; Sic Judæi, inquam, sic consuerunt olim Ethnici, & sic primorum temporum etiam Christiani, ut evolventi Annales Ecclesiasticos facilè constare poterit. Et quare recentiori hâc ætate nostrâ superstitionis aut vanitatis nomine eliminaretur tam vetus consuetudo, nihil video causæ, nisi quòd forsan perversa tandem cepit homines ambitio damnandi quicquid non ipsi statuêre.

Excurs. XLVI.

Levit. 6. v. 12. *Ignis autem in Altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna.*

NIhil dubii est quin ignis iste sacrificus & suo modo sacer è cœlo primitus descenderit; Apertè id declarat Textus in primâ illâ oblatione factâ per Mosen *c. 9. v. 24. Et ecce egressus ignis à Domino devoravit holocaustum, & adipes qui erant super Altare.* Cujus rei rationem porro assignat Philo *de vit. Mos. l. 3.* ταύτης ἕνεκά μοι δοκῶ τῆς αἰτίας, ὡς— *Hanc opinor ob causam,* inquit ille, *ignis iste qui in vulgari usu est tanquam contaminatus, ablegatus fuit ab Altari sanctissimo, & pro eo dimissus cœlestis ex æthere, ut esset discrimen inter sancta*

pro-

profanáque, inter humana atque divina. Tale etiam, quid de igne, (quem nempe inter sacra omnino habebant) quasi cœlitus veniente, finxisse legimus Chaldæos. *Am. Marcellin. l.* 23. *Ferúntque, si justum est credi, etiam ignem cœlitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri.* Ita Elêi, ut refert Pausanias, *Eliac. l.* 1. Et ita denique Erycini Siciliæ populus. *Ælian. Hist. Animal. l.* 10. *c.* 50. Finxerunt, inquam, tale quid de sacrifici sui ignis productione, & sanè fortean finxerunt tantùm, ne ullâ in parte magnitudini tam insolentis prodigii, prout acciderat verissimè inter Hebræos, cessisse viderentur.

Sed isthæc res nunc non agitur: Negotium unicè est de perpete ac perenni hujus ignis custodiâ; Sic enim voluit eum Deus qualitercunque primò occœptum inter Judæos, vivum & inextinctum servari semper. Atque hinc primordia sumpsit Ξυλοφορίας illud apud eos Festum, narrante Josepho *de Bell. Jud. l.* 2. *c.* 20. in quo mos erat universæ multitudini convehendi in Templum certo anni tempore lignorum immensam struem, quatenus abundans huic igni esca continuò suppeteret. Nec defuit unquam, quod pro certo memorant, donec Antiochus Epiphanes subactis Judæis & Templo eorundem sacrilegè profanato, ignem quoque extinxit, ut narrat *Diod. Siculus Eclog.* 1. *ex. l.* 34.

Ignem hoc modo sacrum quasi & religiosum ut super altaribus adolebant ubivis ferè Gentiles, ità curâ omni & diligentiâ servabant nè extingueretur. Unde ἀθάνατον πῦρ eum vocat D. Halicarnassæus, *l.* 6. πῦρ ὄποτε ἀποσβεννύμενον. Pausanias *in Arcadic. Sacrum & æternum.Curt.l.*3.*Ignis quem (Persæ) sacrum & æternum vocant, argenteis altaribus præferebatur.* Immo insuper tam superstitiosè asservabant, ut si quo modo, quod tamen nonnunquam accidebat, expirasset fortè, nonnisi flammâ à solis radiis accensâ, ut docet alicubi Plutarchus, repararent. Non dissimili prorsus cautelæ ratione præscripsit etiam Deus ipse contra *extranei* cujuscunque *ignis* usuram in sacrificiis suis adhibendi, & utentes adeo severiter punivit. *Lev.* 10. Elias postea in grandi illo certamine quod habuit cum Baalitis, 1 *Reg.* 8. precibus impetravit è cœlo rursus sacrificalis ignis delapsum, quasi qui solus huic muneri idoneus existeret, & præterea nullus.

Si porro rationem quærat quispiam tantæ solicitudinis apud Gentiles viz. in igne sacro custodiendo, ea fuit certa persuasio divinæ cujusdam potentiæ, quam gentes pleræque, inprimis Persarum natio, igni adscripserunt; Ideoque omnimodis officiis, & nullo non obsequii genere ad custodiam imperii solicitabant. Scitè rem totam paucissimis verbis effert elegans Abbreviator *Florus l.* 1. *in vit. Numæ: Focum*

virginibus

virginibus colendum dedit, ut ad simulachrum cœlestium syderum custos imperii flamma vigilaret. Sic Jarbas apud Virgilium *l.* 4.

Centum aras posuit, vigilémque sacraverat ignem,
Excubias Divûm æternas ———

Unus nobis Christianis restat charitatis cœlestis ignis ab Apostolo tantopere commendatus, 1 *Pet.* 13. quem debebamus super aram Cordis nostri ardentem semper & inextinctum servâsse; Sed refrixit dudum (proh dolor!) æthereus iste ubique calor; ut si veniret nunc tandem, quod longè abhinc prædixit, Christus, multum *fidei* fortassis, nihil autem, vel parum omnino *charitatis* inter homines deprehenderet.

Excurs. XLVII.

Lev. 14. v. 2, 4. *Hic est ritus Leprosi, quando mundandus, adducetur ad Sacerdotem, -- Qui præcipiet ei qui purificatur, ut offerat ---*

QUanquam Deus omnia liberè largiatur à se petentibus, nec omnino situm sit in potestate nostrâ, quidquam ei condigni pretii remunerari, tamen nostri officii est gratias ei, saltem in signum sive tesseram benevolentis animi reponere. Id postulat Ipse, id ubique seriò mandavit: sive collata ejus beneficia

ſpectent ad animam, ſive fortunas reſpiciant, ſeu denique ad corpus noſtrum redundent: præcipuè verò ſi quando iſtuc graviore alicujus morbi exemit periculo, & priſtinæ rurſus ſaluti integrum reſtituit. Adeo ut neglectum hujus officii virgulâ divinæ ſuæ cenſuræ perſtringat Chriſtus in Leproſis illis, *Luc.* 17. *v.* 18. è quibus ſanatis pluribus, unus tantùm ad agendas gratias redibat.

Excelluerunt multùm in hoc genere pietatis priſci Gentiles, Imprimis Romani, quorum χαριστηρίους θυσίας, ſive *gratulatoria ſacrificia*, Diis exhiberi ſolita, eâ de causâ atque ob ſalutem recuperatam, tum publicam, tum privatam, ſæpius eſt legere apud *D. Halicarnaſſ. lib.* 6. *&* 10. Æſculapii fanum inter Græcos votivis hujuſmodi convaleſcentium donariis abundaſſe ubique narrat *Strabo l.* 8.

Nunc dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi,
Picta docet Templis multa tabella tuis.

Tibull. l. 1. *Eleg.* 3.

Morem attingit Poeta, quo præter donariorum conſecrationem, tabulas etiam receptæ ſanitatis indicium continentes ſolebant in Templis ſuſpendere. Et quidem durâſſe aliquid hujuſmodi non indecoræ prorſus conſuetudinis inter primores Chriſtianos, diſertè alicubi teſtatur in Strom. ſuis Cl. Alexandrin. & longe poſt eum Bapt. Mantuanus *Eclog.* 8.

Porro,

Porro, oblationes ſive dona, quibus conſuêrunt ſanati Deos munerati, σωτήρια communiter dixere. Ὁ δὲ Ἀλέξανδρος διασωθεὶς ἐκ τοῦ τραύματος, καὶ θύσας τοῖς θεοῖς σωτήρια —*Alexander ubi à vulnere convaluerat, Soteria Diis immolans, magnificis quoque epulis amicos excepit. Diod. Sic. l.* 17. Τότε μὲν δὴ τοσαῦτα θεοῖς σωτήρια ἑώρτησε· *Tunc* (Nero) *ſacrificia pro acceptâ ſalute --ſolennitate magnâ confecit. Xiphil. in Neron.*

Diis verò perſolutis hoc modo gratiis ſuper ſalute redditâ, ſacrificiorum atque donorum oblatione, Ipſi poſtea ab amicis ſuis ſimiliter gratulatoria expectabant munera, & quod moris erat, ferè recipiebant.

—*Quoties ſurgis Soteria poſcis amicos,*
Sit pudor, ægrota jam Polycarme ſemel.
Mart. l. 12. *Ep.* 56.

Hoc etiam nomine eodémque ſub titulo mirtebant invicem Chariſtica ſua interdum carmina; quale illud Statii ad Rutilium Gallum è ſævo morbo convaleſcentem nuperè, *Soterion* ab ipſo nuncupatum.

Eſtis Io ſuperi, nec inexorabile Clotho
Volvit opus——
Sylv. l. 1.

Exolevit quidem jamdiu inter homines iſta conſuetudo; Nec mittunt, nec rurſus aliunde miſſa ſoteria recipiunt, niſi forſitan voce tenus, & inani verborum gratulatione.

 Unum

Unum est quod semper manet nobísque incumbit præstandum, grati atq; pii animi divinum Numen erga, cujus ope solâ & prosperâ valetudine plerumque fruimur, & intermissam eam quandoque (quod nimis sæpe evenit) denuo recuperamus.

Excurs. XLVIII.

Lev. 19. v. 28. *Et super mortuo ne incidetis carnes vestras, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis; Ego Dominus Deus.*

Morem quendam valde absonum tempestivâ hìc cautione prævertit Deus; quem tamen vix credibile est, ut homines, si modò sobrii & sani, licèt non omnino præmoniti, ullis modis amplexarentur. Tunsionem pectorum, scissionem vestium, capillorum dilacerationem, & hujusmodi, legimus sæpe facta in funeribus, & facta sæpius usque est videre. Sed quod ad mutilationem seu lanienam corporis attinet, qualem præ se fert textus, quis credet sic insanivisse unquam homines, aut adeò sensu captos, ut quod in proverbio est, de proprio suo corio tam insulsè luderent?

Verùm ita se res habet: Fecerunt Judæi, fecerunt Ethnici: De Judæis patet, *Jer.* 16. *v.* 6.

v. 6. ubi morem illorum talem, (dum vetat,) hiſtoricè inſinuans Propheta, *Et morientur* (inquit) *grandes & parvi in iſtâ terrâ, non ſepelientur, neque plangentur, & non ſe incident, neque calvitiem inducet ſibi pro illis quiſquam.* Rurſus & apertiùs *cap.* 41. *v.* 5. *Venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samariâ octoginta viri, raſi barbâ, & laceri veſtibus, ac incidentes ſeſe.* Et ad hunc fortè morem alludit Apoſtolus, *Phil.* 3. *v.* 6. ubi præpoſteram quorundam inſolentiam, Judaizantium nimis acriter circa circumciſionis opus, ſalsè redarguens, κατατομὴν ſive *conciſionem* nominat.

Inter Ethnicos occurrit ſtatim Scytharum gens, de quibus *Herodotus l.* 4. *cap.* 71. Ἐπεάν σφι ἀποθάνῃ ὁ βασιλεὺς --τοῦ ὠτὸς ἀποτάμνονται, τρίχας περικείρονται, βραχίονας, μέτωπον, καὶ ῥῖνα καταμύσσονται, διὰ τῆς δὲ — *Qum rex eorum deceſſerit, aurem decidunt, crinem circumtondent, brachia concidunt, frontem naſúmque ſauciant, ſiniſtram manum ſagittis trajiciunt.* Τινὲς δὲ τῶν βαρβάρων καὶ μέρη τοῦ σώματος ἀποτέμνουσι, ῥῖνας καὶ ὦτα, καὶ τὸ ἄλλο σῶμα καταικίζοντες — *Quidam verò barbarorum etiam corpora ſua, naribus, auribus, aliíſque partibus amputandis fœdant, gratificari ſe aliquid defunctis credentes, cùm à naturâ conſtitutam mediocritatem excedunt. Plutarch. in l. de Conſol.* Comam & ora ſua communi in luctu lacerare

rare solitos fuisse Carthaginienses, monet, *Alex. ab Alendr. Gen. Dier. l.* 3. *c.* 7.

Qualem lacerationem intelligat, seu ferro, seu unguibus factam, (ὀνύχων μύγματα vocat *Euripides in Hermion.*) non subjecit. Sed illud pro certo est quod affirmatè tradit *Artemidorus de Insomn. l.* 2. *c.* 30. vel hoc vel illo modo, plerumq; & plerisque in locis, lugentes olim faciem suam pro more deturpâsse. Καὶ γὰρ ἐν τοῖς πένθεσι λωβῶνται τὰς παρειὰς οἱ ἄνθρωποι-- ait ille, *In luctu semper faciem aliquo modo homines dehonestârunt.* Scitè rationem reddit Honoratus Servius in illud Virgilii *Æneid.* 12.

——*Flavos Lavinia crines,*
Et roseas laniata genas——

quasi inferias hoc modo mortuorum rogis debitas curarent aliquatenus præstandas.

Vidimus strictim de ritu fœdo in Textu prohibito, quo solebant carnes suas in funeribus concidere. Restunt *figura* & *stigmata* ibidem nominata: Certi, quod verisimile est, characteres vel notæ corporibus insculptæ, per quas peculiare aliquod cum dæmonibus fœdus inibant sacrilegi homines; & ad quas forteân respexit Scriptura de abominationibus loquens regis Joacim, 2 *Chron.* 36. *v.* 8. *Reliqua autem verborum Joacim, & abominationum ejus quas operatus est, & quæ inventa sunt in eo,* --jam scil. mortuo. Sed de his comperendinabo in

præsens,

præsens Sermonem, fusiùs tractaturus forsan, ubi de punctis & stigmatibus ejusmodi quibuscunque dicendi se dabit opportunitas.

Excurs. XLIX.

Lev. 19. v. 32. *Coram cano capite assurge, & honora personam senis.*

Quin Patres & ætate provectiores quicunq, honore aliquo præ cæteris, partim ætati, partim dignationi plerumque debito, affici debeant, nemo est qui inficias ibit, nisi qui intellectum omnem simul cum humanitate ipsâ prorsus exuerit ; -- γῆρας γὰρ ἐπαίσιμον ἀνδρὸς τίθησιν, ut rectè Oppianus, *Halieut. l.* 1. Verùm non de honore ipso, sed de modo honoris hìc agendum venit, quo ritu nempe qualíve gestu, *assurgendi* sc. olim præstabant. Ita Judæis sanè, quod ex textu patet, atque ita Gentilibus, quod restat probandum, in more positum fuit.

Generatim rem commendat Plato tanquam perutilem in puerorum Institutione *de Republ. l.* 4. Historicè confirmat Xenophon in *Memorab. l.* 2. Καὶ γὰρ ὁδοῦ παραχωρῆσαι τὸν νεώτερον πρεσβυτέρῳ συντυγχάνοντι πανταχοῦ νομίζεται, καὶ καθήμενον ὑπαναστῆσαι, καὶ ---*Receptum more est*, (inquit ille) *ut junior grandiori occurrenti ubique de*

viâ

vià cedat, & sedens assurgat. De Lacædemoniis magis speciatim *Herodotus l. 2. c.* 80. Λακεδαιμόνιοι, οἱ νεώτεροι αὐτέων τοῖσι πρεσβυτέροισι συντυγχάνοντες εἴκουσι τῆς ὁδοῦ, καὶ --- *Lacædemonii, minores* (pro more) *majoribus natu obvii cedunt vià ac deflectunt, advenientibúsque è sedili surgunt.* Ælianus hunc Lacedæmoniorum morem non commemorat nudè, sed grandi insuper Elogio prosequitur, *Hist. Anim. l. 6. c.* 61. Λυκοῦργος δ' ἐνομοθέτει νόμον φιλανθρωπότατον, ὡς ἐγὼ ὤμαι, νόμων, θάκων καί τε ὁδῶν ἀφίσασθαι τοῖς πρεσβυτέροις τοὺς νεωτέρους. *Ex omnibus legibus humanissimam judico, quà Lycurgus precepit, natu grandibus minores tum de sedibus, tum de vià decedere, assurgentes reverenter illi ætati quam ut assequantur, omnes expectant.*

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerit, & si
Barbato cuicunque puer— *Juv. Sat.* 13.

Atque hinc Homerus denique, non sine respectu omnino habito ad morem hujusmodi inter homines solenniter observatum, Deos reliquos quotcunque sub occursum Jovis illico consurgentes inducit.

------Θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἀνέσταν
Ἐξ ἑδέων σφοῦ πατρὸς ἐναντίον, οὐδέ τις ἔτλη
Μεῖναι ἐπερχόμενον, ἀλλ' ἀντίοι ἔσταν ἅπαντες.

—Dii

—Dii verò simul omnes surrexerunt
Ex sedibus sui patris in occursum, neque aliquis sustinuit
Expectare venientem, sed obvii steterunt omnes. *Iliad.* 1.

Porro autem, eòusque inolevit consuetudo ista majoribus assurgendi, cultûs & observantiæ ergô exhibitus, ut non tantùm in privatis congressionibus valeret, sed etiam in conventibus publicis. Magnum inde honorem sibi accrescere putabant sic tractati: ut contrà, omissionem ejusdem in dedecus atque contumeliam suam interpretabantur. M. Tullius in causâ P. Clodii, cui devitanti accusationem forásque se proripienti fervidus instabat, *maximum se cepisse fructum ex consurrectione simul Universi Senatus* gloriabundus commemorat, *Orat. de Harusp. Respons.* Ingredienti theatrum Virgilio totum populi consessum honoris gratiâ assurrexisse narrat *Fabius in Dialog. de Clar. Orat.* Idem de Themistocle refert *Pausanias in Arcad. l.* 1. Contrà, vel eam unicam extitisse causam illatæ postea Cæsari necis, testantur pariter *Suetonius in Vit. c.* 78. & *Dio l.* 44. quòd accedenti ad se non assurrexisset Senatui, sed sedens eos acceperat.

Quid itaque mirum si tam justum simul & condecentem morem majoribus assurgendi, servandum populo suo hic indixit Deus? Mirandum id magis quòd pospositо hoc alióve quovis venerationis ritu ita eos ubique

nepotuli

nepotuli nostrorum temporum despectui habeant: Etiam & (quod turpius est) sunt qui, licèt Ecclesiæ filii, (si modo se filios esse non obliti sint) veros Ecclesiæ patres, *Episcopos & Præsules* dico, vel exiguo, vel potiùs nullo prorsùs honore dignantur.

Excurs. L.

Lev. 21. v. 1. *Dixit quoque Dominus ad Moysen, Loquere ad Sacerdotes filios Aaronis, & dicas ad eos, Ne contaminetur Sacerdos in mortibus Civium suorum.*

OMnimodis rationibus cavit Deus *Opt. Max.* ut Sacerdotes populi sui, quorum intercedere erat oblatis hostiis pro reliquorum peccatis, ipsi à peccatis quàm maximè immunes essent: nec solùm à peccatis animam commaculantibus, sed etiam à spurcitie qualicunque, quæ corpus, animæ quasi vestimentum, deturpare videretur. Eò spectabant varia illa interdicta, ut nec carnes morticinas ederent, nec attrectarent mortuorum corpora, nec denique sepeliendorum interessent Funeribus. Pontifex præcipuè, cui nullius igitur cujuscunque, quamvis arctissimâ sibi affinitate conjuncti, exequiis defungi licebat. Et cur ita unus Pontifex

tifex magis quàm cæteri inferioris ordinis Sacerdotes, quibus erga aliquos saltem è cognatione suâ officium istud permittebatur, rationem reddit Philo *de Monarch. l.* 2. cotidianam & singularem ejus in munere suo obeundo necessitatem, utpote nullum præterea in eodem ordine habentis Vicarium, (sicut cæteri) qui tantum & tam eximium suum munus suppleret.

Verùm ad rem: Quantum ad suprà memoratas illas externæ puritatis observationes attinet, apprimè etiam cum Dei populo conspirarunt Gentilium plurimi. De Pythagoreis refert D. *Laertius l.* 8. καθαρέυειν (ἑαυτὸς) ἀπό τε κήδȣς, καὶ λέχȣς, καὶ μιάσματος παντὸς, καὶ ἀπέχεσθαι---- *Abstinuisse se à funere, & cubili, & inquinamento omni, morticinísque & pollutis carnibus.* Multiplici se in genere puritatis exercebant, uti videtur, Pythagoræi; nec parciùs Cretensis Jovis Sacerdotes, de quibus ad eundem planè modum *Porphyrius de Abstin. l.* 4. Sed mittantur cætera: de primo tantùm restat, ut paucis videamus. Flamen Dialis, docente Massurio Sabino apud *Gellium l.* 10. *c.* 15. *Locum in quo bustum erat nunquam ingrediebatur, mortuum nequaquam attingebat.* Feralia attrectasse, res est quàm occultè Tiberius tanquam criminosum quiddam objecit Germanico tunc Auguri, *Tacit. Annal. l.* 1. *c.* 13. quòd primum cespitem in extruendo

occisis

occisis *Varii* paulò ante militibus tumulum posuisset; Atque hâc eâdem de causâ Tiberio ipsi antea venia impunitatis necessaria fuit, ut narrat *Dio Cassius l.* 56. quia tetigisset Augusti cadaver, cùm ad sepulchrum efferretur; nec tetigisset tantùm, sed, quod majus est, καὶ συνπαρέπεμψεν, etiam elatum more solito fuisset comitatus.

Atat Gellius tamen in loco præfato, (quod non dissimulandum est) fas fuisse Flaminibus concedit, ut mortuorum exequias præsentiâ suâ saltem honestarent; sed itaq; addendum erat, quomodo & quousque fas fuit adesse, non nudam sc. vel apertam faciem habentibus, sed tectam obvelatámque. Funebri oratione Agrippam laudavit Augustus, παραπέτασμά τι πρὸ τοῦ νεκροῦ προτείνας· *Cortinâ inter se* (quippe *Pontif. Maxim.*) *& mortuum expansâ. Dio. l.* 54. Idem fecit postea in Octaviæ sororis suæ funere, eodem narrante *Dione*. Tiberius Cæsar laudavit pro rostris filium suum Drusum, *Stetítque in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos à funere arceret. Sen. Consol. ad Marc. c.* 15.

Verùm hìc scrupulum rursus injicit Dio in loco suprà allegato, quare & quâ causâ velum hujusmodi adhibebatur. Οὔτε γὰρ τῷ Ἀρχιερέᾳ ἀπείρηται νεκρὸν ὁρᾶν· *Neque enim Pontifici Max.* inquit ille, *cadaveribus aspiciendis interdictum fuerat.* Negat Dio, asserit,

rit, aut videtur saltem asserere, Seneca. Utri standum sit, legentium esto judicare. Verisimiliùs quidèm posterior, cùm, quod certissimum est, tam superstitiosè cauti erant Romani in conservando suos Pontifices ab omni inquinamento & labe integros, ut vel ex *mortua pecudis corio confectis calceis* eos indui nefas ducerent, ut docet *Servius in Virgil. l.* 4. Et rationem adjicit Festus, quoniam *suâ morte extincta omnia funesta æstimabantur*.

Quicquid sit, Nostri utinam tam cauti essent in fugiendis mortiferis peccatis, quam illi in devitandis mortuorum cadaveribus fuerunt. Vera inde puritas, verè digna Sacerdotali ordine, haud dubiè proficiscitur. Minorem certè ansam oblatam habuissent Ecclesiæ atque Ecclesiasticorum hominum non ita dudum calumniatores, unde eos tam acerbè, quod fecerunt, omnigeno convitiorum genere incesserent.

Excurs. LI.

Lev. 23. v. 10. *Loquere filiis Israel, & dicas ad eos; Cùm ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum messis vestræ ad Sacerdotem.*

ÆQuum sanè justúmque est, ut à quo (Deo nempe) quascunque tellus quàm latissimè patens fruges parturit atque enutrit, benignè omnes accepimus, earum illi partes saltem aliquas sacratas tribuamus; adeóque primas præcipuè, quò messis reliqua à nobis postea participanda sanctior reddatur. Hoc ipsum tenue quasi rationis filum sequentes deprehenderunt Ethnici, & deprehensum religiosè servarunt: Neque enim ulla apud eos *sacra* sacratiora erant his in quibus primitias frugum offerebant; Quod ideo tam justam criminationis causam Apuleio suggessit, peroranti pro semet contra Adversarium suum, ut justiorem nullam putaret; *Iste verò nec Diis curationis, qui eum pascunt ac vestiunt, segetis ullas, aut vitis, aut gregis, primitias impertit.*

Sed inter cætera hujusce generis multifaria *sacra*, quorum alia fiebant Pani custodi gregis, alia Baccho vitis conservarori, &c. eminebant

eminebant ea præcipuè quæ Cereri frumentationis Deæ dicabantur. Θεσμοφόρια, Ἁλῶα vocabant Græci Romani Cerealia.

——— ἦ γὰρ ἑταῖροι
Ἀνέρες εὐπέπλῳ Δαμάτερι δαῖτα τελεῦνται
Ὄλβω ἀπαρχόμενοι------

——Sanè cùm amici
Viri epulum parant pulchra Cereri,
Opum primitias offerentes. Theocr. Idyl. 7.

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa, quibus niveâ velatæ corpora veste,
Primitias frugum dant spicea serta suarum.
Ovid. Metam. l. 10.

Primitias autem dicebant quasi præmetias, *præmessum de spicis, quas primùm messuissent.* Fest. *in verb.* Sicut enim, *Sacrima appellabant*, ait ille, *mustum quod Libero sacrificabant pro vasis & vineis, & ipso vino conservandis, ita præmetium quod Cereri donabant.* Utrumq; simul conjungit Tibullus *l.*1.*Eleg.*1. & Petronius *in Fragm.*

Agricolas, primos Cereri dare messis honores,
Palmitibus plenis Bacchum vincire—

Et utrumque quidem, (adeóque quicquid porro in hoc genere consecrationis votivum erat) ita sancta tenebant, ut ne *degustarent prorsus novas fruges, aut vina, antequam Sacerdotes primitias libâssent*, quod testatur *Plinius Hist. l.* 18. *c.* 2. *Porcâ præcidaneâ*, uti vocabant, insuper adjunctâ;

Priusquam messim facias, porcâ præcidaneâ hoc modo fieri oportet. Cato de Re Rustic. c. 135.

Præmetiales autem spicas illas de quibus hìc præsertìm loquimur, Cereri devotas, in textilem etiam, (quod non prætereundum est) coronam sive sertum plicabant quandoque, foribus Templi ejusdem Divæ appendendas.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ Templi pendeat ante fores.

Tibull. ubi suprà.

Fertilis frugum pecorísque tellus,
Spiceâ donet Cererem coronâ. Horat. Epod. Od. 19.

Novimus istiusmodi coronas spiceas, consuetudine apud nos non ita pridem desitâ, nuptialibus in festis dicari solitas, & in ædium Tholis postea pro more pendentes, quibus sc. fertilitatem rerum omnium novè nuptis ominabantur. Utrùm verò hinc vel aliundè more inchoato, res non adeo certa est, nec rursus tanti, ut sedulâ aliquâ disquisitionis operâ cupiam eam efficere certiorem; Tantùm illud optandum restat in hâc de primitiis causâ quam suprà strictim percensui, ut quorum (Ethnicorum sc.) cœcam & impiam superstitionem aliàs detestamur meritò, illorum laudabilem sanè affectum in reddendis Deo debitis frugum & proventuum nostrorum primitiis, (jam nimiùm ubique, licèt non sine dispendio antiquæ & Christianæ verè pietatis, neglectui haberi cœptis) saltem imitaremur.

Excurs.

Excurs. LII.

Lev. 23. v. 40. *Et sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spathulásque palmarum--- & lætabimini coram Domino Deo vestro.*

INter varia *Festorum* genera in hoc capite enumerata, qualia nempe Deus ipse Judæis servanda præscripserat, unum erat *Schænopegiæ*, sive *Tabernaculorum* festum, quod vocabant. Habemus hujus originem atque causam clarè satis expositam, infrà *v.* 43. ut innotesceret sc. posteris quo tempore Judæi per desertum peregrinabundi diu errabant, in ambulatoriis eos quasi hujusmodi domibus habitavisse. In hoc festo jubebantur virgulta & ramos palmitum aliarúmq; arborum undiquaque colligere, quibus in domicilium quale quale pro tempore contextis, coram Domino, qui salvos eousque illos perduxerat, securi lætarentur.

Festa hujus non omnino re dissimilia, (nec enim quoad causas ullatenus confero) memorant nonnulli hìc & illìc scriptores Ethnici; Copidis inprimis, quam & Æclon vocabant, meminit *Athenæus l.* 4. Ἐπὴν δὲ κοπίζωσι, πρῶτον μὲν δὴ σκηνὰς ποιοῦνται παρὰ τὸν θεὸν, ἐν δὲ ταύταις στιβάδας ἐξ ὕλης· ἐπὶ δὲ αὐτῶν--- *Copidem cœnaturi*, inquit ille, *pri-*

mùm tentoria juxta Dei templum erigunt; deindè ponunt lectos è paleâ, fronde, gramine stratos, & in iis discumbentes convivas epulari jubent. Cujusmodi tentoria sive tabernacula, & in hunc finem extructa, alio nomine *Umbras* vocabant Romani: *Umbræ vocabantur*, ait Festus, *in Neptunalibus casæ frondeæ pro tabernaculis.* Nec in Neptunalibus tantùm, sed in aliis etiam festis observabant istum morem, ut in solenni Annæ Perennæ.

Pars venit, ac virides passim disjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quisque suâ.
Sub Jove pars durat, pauci tentoria ponunt:
Sunt quibus è ramis frondea facta casa est.
Ovid. Fast.

Turbaque vernarum saturi bona signa coloni
Ludet, & ex virgis extruet antè casas.
Tibull. l. 2.

Sed omnium proximè rem attingit Plutarchus in *Sympos. l.* 4. *qu.* 8. ubi tabernacularium Judæorum Festum disertè confert cum solennitatibus Bacchi: πρῶτον μὲν--- τῆς μεγίστης καὶ τελειοτάτης ἑορτῆς παρ' αὐτοῖς ὁ καιρός ἐστι καὶ ὁ τρόπος Διονύσῳ προσήκων· *Primùm enim & tempus & modus*, inquit, *maximæ & perfectissimæ illius Judæorum solennitatis cum Bacchi sacris convenit.* Κραδηφορίαν καὶ θυρσοφορίαν eam ibidem nuncupat, à palmitibus & thyrsis gestandis. Sic enim moris erat palmeos atque citreos thyrsos circumferre in hujus-

hujusmodi festis, ut docet *Josephus Antiq. Jud. l.* 13. *c.* 21. Θύρσους φοινικων καὶ κιβίων ἐν χερσὶν ἔχειν, *Zonar.* Quod idem quoq; in Bacchi orgiis factitare suevisse quis ignorat? Immo eousque progreditur Chæronensis ubi suprâ Philosophus, ut tabernacula- riam eam observationem Bacchicæ hujus progeniem quasi seu sobolem quandam extitisse vanè somniet.

Nihil consuetudinis hujus, vel hinc, vel indè deductæ, quantùm scio, apud nos usque inextinctum manet. Nisi, si quis fortè cum *Polyd. Virgilio de Invent. Rerum lib.* 3. *cap.* 2. θυρσοφορίαν illam ad Calend. Maii, à junioribus adhuc usitatam, (idque paucis abhinc annis non sine conspicuâ solennitate) vestigium aliquod ejusmodi festivalis lætitiæ perdurasse suspicetur.

Excurf. LIII.

Lev. 24. v. 19, 20. *Si quis intulerit corporis vitium proximo suo, sicut fecit, sic fiat illi; fractura esto pro fracturâ, oculus pro oculo, dens pro dente.*

Quàm acerbum & atrox utcunque videatur istud præceptum, tamen valde sedulus in eo commendando est sacer Textus, & hìc & alibi, *Exod.* 21. *v.* 24. *Deut.* 19. *v.* 21. Ἀντιπεπονθὸς sive *contra-passum* vocabant Pythagoræi,

Εἴκε πάθοι τά κ᾽ ἔρεξε, δίκη καὶ ἰθεῖα γένοιτο.
Cuique pati, si retuleris par, jus erit æquum.
Jus talionis, *Dodecat.* de *Jure Privat.* c. 53. *Pœnam reciprocam*, ut Civilis Juris Magistri. Meminit hujus legis *Diod. Siculus lib.* 12. inter scita Charonidæ, ubi argutam insuper narratiunculam attexit. Ἑτερόφθαλμός τις ἐκκοπεὶς τὸν ὀφθαλμὸν, καὶ στερηθεὶς ὅλης τῆς ὁράσεως, τὸν μὲν ἀντεκκόψαι, τὸν δράσαντα δ᾽ ἔλασσον ὑπέλαβε πρόστιμον ἐκτίσαι---τέλος δὲ ἐπιτυχόντα---τῇ συμβουλίᾳ--- *Accidit ut quis uno captus oculo, alterum quoque per vim illatam amitteret: Hic etsi autori facinoris unus contrà oculus excussus sit, minus pœna tamen quàm par esset, illum exolvisse visum est: quæstio deinde in senatu secuta est, utrùm oblato tali*

tali rursus eventu, valeret lex, an pœna geminatione additâ innovaretur. Facilè occurrisset huic difficultati Solonis illa sanctio, de quâ *Laertius l.* 1. statuentis, ut qui alteri quocunque in casu unum oculum eruisset, ei ambo eruerentur. Quanquam reverà compensatio pœnæ ad prædictum modum facta, Talionis nomine nequaquam censenda venit, ubi præcisè supplicii paritas exigitur: nec insequentis postea damni, quod sæpius accidit, sed tantùm læsæ partis ratio haberi debet.

Legem porro Talionis sic intellectam comprobarunt veteres ut plurimùm, tum Græci, tum Latini. Sed contrà insurgit *Aristoteles Ethic.l.*5.*c.* 8. incommodum valde usum ejus ostendens, primùm in jure, ut loquuntur, *Distributivo*, deinde & in *Commutativo*: post eum, sed alia ratione rem aggreditur Phavorinus apud *Gellium l.* 20.*c.*1. Cujus utriusq; argumenta in rem satis valida & nervosa, cui mens & otium suppetit, poterit si lubebit, in citatis locis reperire. Certum est, ut tradit ibidem Gellius, quod legimus etiam, *Instit. l.* 4. *Tit.* 4. pœnam istiusmodi, sive propter ejusdem atrocitatem, sive aliâ quâvis de causâ Romanis citò in desuetudinem abiisse. Eò ventum est, ut injuriam passi, ipsi æstimarent eam, & prætores pro autoritate suâ vel ratam haberent illorum æstimationem, vel aliter, si visum fuerit, aliquid indè delibarent.

Quod ad Judæos attinet, quibus eandem hìc legem præscripsit Deus, eam similiter Christus Salvator noster prorsus refixisse videatur, *Mat. 5. v. 38. Audistis quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente: Ego autem dico vobis--- Novam planè patientiam docet Christus*, inquit Tertullianus *Adversùs Marcion. l. 4. c. 16. etiam vicem injuriæ cohibens permissam à creatore, oculum exigente pro oculo, & dentem pro dente.* Non quasi prior illa injustitiæ ullo modo complicata esset, sicuti somniarunt Hæreticorum nonnulli, docente *Epiphanio Hæres.* 33. Sed quò commolliret rigidam nimis ex se Judæorum temperiem, & ad humaniores affectus eos traduceret. Adeóque grave ibi statim mandatum subnectit non *resistendi omnino malo*, v. 39. Ad quod quidem, utcunque naturæ humanæ ingenitæ repugnans ferociæ, in vindictam semper avidè excurrentis, oportet nos Christianos, quotquot jussa ejus bonâ fide servanda recepimus, vitam moresque nostros diligenter componere.

Sed proh nefas! ubi poscenti *tunicam*, ut *pallium* quoque tradamus, in jussis est, & pallium & tunicam, imo quicquid præterea possident, idque lege quâdam quasi noviter sancitâ, aliis eripimus; Quúmque mandemur ibidem cædenti unam maxillam, alteram obvertere, plectimus cedentes etiam invitò de suo jure, & eò magis expoliamus.

Excurſ. LIV.

Num. 1. v. 2. *Filii Iſraelis quiſque juxta vexillum ſuum cum ſignis, ſecundùm domum majorum ſuorum caſtra habento.*

UTrúmne inſignia aliqua domeſtica præter imagines ſtatuáſque majorum ſuorum habuerint olim Judæi, nec novi, nec ſolicitè inquiro: Et rurſus, ut concedatur habuiſſe, nunquid eadem habuere domi belliq;, tantundem ſcio. Sed illud certum vel hinc ex textu habeo, *Inſignia* quædam qualiacunque, quoties in bellum prodirent, in vexillis aut ſcutis ſuis inſerta geſſiſſe. Iterum exoritur quæſtio, quænam & qualia diſtinctè ſymbola ſolebant ſingulæ Tribus in pugnam progredientes ſibi adſciſcere; De cæteris, quod priùs, planè ſum inſcius: Atqui de ſymbolo Tribûs Judæ (ſpeciatim) hariolatur aliquid Clariſſ. *Druſius* in *Apocal.* 5. *v.* 5. *leonis* id fuiſſe. Sic enim ibi legimus, *vicit ille leo ex Tribu Judæ*; verbúmque ſive ſymbolum ipſum dein conjectans adjicit ex Pſalm. 68. *v.* 1. *Exurge Domine, diſſipentur oſores tui, & fugiant inimici tui.*

At ſunt reverà hæc & hujuſmodi puræ putæ conjecturæ: Satius itaque erit, ut ſcrutemur extera, et ſi quid certius ibi occurrit, in mediũ proferamus. Herodotus de Caribus loquens

l. 1.

l. 1. *c.* 51. tria illis inventa attribuit, inter cætera, καὶ τοὺς ἐπὶ τὰ κράνη λόφους ἐπιδέεσθαι, καὶ ἐπὶ τὰς ἀσπίδας τὰ σημεῖα ποιέεσθαι-- *quod & galeis cristas imponendas primi ostenderunt, & quod clypeis insignia adjunxere. De Gallis Diod. Siculus l.* 4. Ὅπλοις δὲ χρῶνται θυρεοῖς ἀνδρομήκεσι, πεποικιλμένοις ἰδιοτρόπως. *Arma* (Gallis) *sunt scuta, ad staturam hominis porrecta, & insignia propria variegata.* Sed hæc forsan nimis lata sunt: pergamus ad alia, & ea quæ rem magis propriè attingant.

Euripides in Phœnissis ordine recensens Argivos ductores, quo pacto in prælium contra Thebanos hostes procederent, inter cæteros, à Parthenopæo sic infit describendo:

Καὶ πρῶτα μὲν προσῆγε Νηΐταις πύλαις
Λόχον πυκναῖσιν ἀσπίσιν πεφρικότα,
Ὁ τῆς κυναγοῦ παρθενοπαῖος ἔγγονος
Ἐπίσημα ἔχων οἰκεῖον ἐν μέσῳ σάκει
Εκηβόλοις τόξοισι Ἀταλάντην κάπρον
Χειρουμένην Αἰτωλόν---

Et primum quidem adduxit ad portas Neitas,
Agmen densis horrens clypeis
Parthenopæus venatricis proles inclyta,
Domesticum insigne gestans in medio Clypeo,
Atalantam vulnificis aprum telis conficientem
Ætolum— *Phœniss. Act.* 4.

--*Satus*

—Satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus, clypeóque insigne paternum
Centum angues, cinctámque gerit serpentibus
hydram. *Æn. l. 7.*

Cuncta phalanx insigne Jovis, cœlatáque gestat
Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes.

Val. Flacc. *Argon. l. 6.* ubi Scytharum pugnam contra Minyas enarrat, sub duce suo Colaxe, à Jove sc. ortum trahente.

——Noménque superbum
Corvinus, Phœbea sedet cui casside fulvâ,
Ostentans ales proavitæ insignia pugnæ.
Sil. Ital. l. 5.

Ex dictis satis patet, nec opus est ut ultrà quid adjiciam, quomodò mos pugnandi sub Gentilitiis signis, in quibus cognata & patria facinora tacitè adumbrata gerebant, communis semper fuit usitatúsque. Sic pugnabant hìc Judæi, sic Exteri; Habent enim in se decôris aliquid, & venustatis etiam Martis opera: nec suscipitur uspiam sine ordine, quod tamen plerunque, (sicut experti plus satis sensimus) tandem exit in miserrimam confusionem.

Excurs.

Excurs. LV.

Num. 5. v. 17. *Et accipiet Sacerdos aquam sanctam in vase fictili, & de pulvere qui erit in tabernaculo accipiens sacerdos, indet in aquam.*

VAria expiationum genera occurrunt passim in libro Levit. atque ea sc. in diversos usus constituta. Inter cætera fuit hoc lustraminis genus quo κακοζηλίᾳ vir laborans, uxoris dubiam castitatem explorabat. Peragebatur id aquâ pulvere conspersâ, quam vir zelotypus tradebat mulieri ebibendam: Si tumuisset venter, aut corrumpi cœpisset, damnabatur illico: sin aliter, punctis omnibus innocens declarata evadebat. Atque hoc tam solenne probationis periculum, si qua fides tribuenda sit Cedreni hâc ex parte narrationi, Beata postea Virgo in parili suspicionis causâ, propter tam insolitæ conceptionis suæ modum subivit.

Habuerunt suam quoque Ethnici, & in eodem genere, explorandi methodum. Aquæ talis, & ad talem aliquatenus usum applicatæ meminit Philostratus de *vit. Apollon. Thyanæi l. 1. c. 4.* Τοῦτο μὲν εὐόρκοις ἵλεών τε καὶ ἡδὺ ὕδωρ, ἐπιορκίοις δὲ παρὰ πόδας ἡ δίκη· Ἀποσκήπτει γὰρ καὶ ἐς ὀφθαλμοὺς, καὶ ἐς χεῖρας, καὶ --- *Han; puris & juramenti fidem præstantibus,*

tibus, aspectu placidam, & gustu dulcem esse perhibent: Perjuris verò & infidis palam adversatur; Epota namque oculos pedésque ac manus pejerantis invadit; pustulis ac vomicis totum corpus inquinans--- Accommodè & ad rem satis Philostratus; sed pergo tamen.

Aquarum scaturigines quasdam, Craterâs vocatas, narrat Macrobius *Saturnal. l.* 5. *c.* 19. in Siciliâ erumpentes. Illuc suspectum furti adducunt: Si reus, mergitur injectus statim; sin innocens, sospes & illæsus recedit. Simile quid de fontis aqua in Sardiniâ, meminit Solinus, *c.* 10. quâ perfusis oculis, nocens compertus occæcabatur. Virginis castitatem in Sacerdotium adsciscendæ, taurini sanguinis gustu probare assuevisse, author est Pausanias in *Achaic.* sive *l.* 7. Laminas ardentes in usu fuisse, in hunc finem à criminosis calcandas docet *Heliodorus l.* 10.

Antri præcipitis in quod suspecta dimittebatur, & inde redibat intacta, si innocens, meminit *Achill. Tatius l.* 8. Idem Tatius aquæ etiam cujusdam mentionem facit furentis immodicè contra adulteram, si eam ingressa fuisset experiendi causâ, aliàs placabilis atque omnino immotæ. Libycis mos fuit, ut vir, cui uxor sua venisset in suspicionem adulterii, liberósque ex eâ susceptos adulterino sanguine cretos suspicabatur, experimenti gratiâ in dolium cerastarum plenum conjiceret: Sicque injiciendo tanquam artifex

tifex aurum in igne, ingenuitatem pueruli inter cerastas experiebatur. *Ælian. l.* 1. *c.* 57.

Plura non adjiciam, ne videar non tam *Analecta Sacra* contexere, quod proposui, quàm frigidas & fabulosas Historias undecunque quæsitas accumulare; Illud ad rem magis accommodè (quod non transibo igitur) magísque adeo meretur brevem contemplationis nostræ intuitum; Quàm providè hìc nimirum curavit Dominus de illæsâ & integra servandâ conjugalis tori dignitate; nè tantùm pudicam & castam uxorem esse voluit, sed nec omnino suspectam. Zelotypa talis aliqua in marito animi affectio, quacunque de causâ procreata, certa connubialis vinculi ærugo est, depascens tacitè, & exedens, nec indigna itaque quæ *igne vel aquâ*, vel quovis denique modo, quàm citissimè expurgetur.

Excurs. LVI.

Num. 6. v. 18. *Tunc radetur Naziraus ad ostium tabernaculi fœderis casarie consecrationis suæ, & acceptos capillos Naziraatus sui imponet igni.*

VOta crinium consecrandorum, aliis de causis, aliosque in exitus facta, legenti sacram paginam sæpiusculè occurrunt: Cujusmódi inter cætera fuit illud votum Sancti Pauli, Act. 18. de quo postea prout ordo & series rerum tractandarum postulabit, forsan dicemus. Interim hìc de votis Naziræorum agendum est paulisper, & quomodo finito Naziræatus tempore, crines jamdiu alitos ad ostium tabernaculi, jubente Deo, ponebant.

De voto ipso hujusmodi tonsionis, ubivis fere constat inter profanos scriptores, de loco forsan non ita. Lucianus in Syr. Deâ; οἱ μὲν νεηνίαι τὸ γενειῶν ἀπάρχονται, τοῖσι δὲ νέοισι πλοκάμους ἱερὰς--- *Adolescentes*, inquit ille, *barbas suas consecrant; juvenibus autem capillos à nativitate usque consecratos demittunt: quos, postquam in templo sunt, resecant, & in vasa repositos, nunc aurea, nunc argentea, in æde defigunt.* Vasorum hæc & ad hujusmodi usum paratura, amplius quiddam

præ

præ se ostentat, & mira aliquo modo videri posset, nisi Dio & Xiphilinus uterque idem de Nerone referret; μετὰ δὲ ταῦτα ἕτερον αὖ εἶδος ἑορτῆς ἤγαγεν, (ἐπεκλήθη δὲ Ἰουβενάλια) καὶ ἐτελέσθη ἐπὶ τῷ γενείῳ αὐτοῦ, καὶ γὰρ τοῦτο τότε πρῶτον ἐξύρατο, καὶ τάς γε τρίχας-- *Post hæc celebravit festa alterius generis, quæ dicuntur Juvenalia: Ea propter barbam ejus, quæ tum primùm rasa fuerat, facta sunt, cujus pilos in sphæram auream conjectos Jovi Capitolino consecravit.* Xiphil. in Ner. Cui suffragatur & Suetonius de eodem differens *c.* 12.

Verùm ut in viam redeam: Numen cui resectos hoc modo crines suos sacrabant, erat sæpissime fons aliquis vel fluvius, teste Homero *Il.* 23. ubi Achillem Patrocli obitum deflentem inducit, (& vel inde Pausanias in Attic. audacter conjectat fuisse patrii moris universis Græcis crinem fluminibus tondere.)

Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην,
Τὴν ῥα Σπερχείῳ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν.

Stans seorsim à pyrâ flavam abscidit comam
Quam Sperchîo fluvio nutriebat florescentem.

Ἀπὸ δὲ παρθένοι κόμας
Ἔθεντο, σύγγονοι νεκρῶν,
Σκαμάνδριον ἀμφὶ Φρύγιον οἶδμα,

Raseruntque

Raserúntque virgines
Sorores mortuorum comam
Ad amnem Phrygiæ Scamandrium.

Sæpe Hercules, ut docet Hesychius *in verb.* Sed è toto numinum grege Apollo hìc semper primas tulit: Huic Athenienses mittebant quotannis ex ephebis suis qui primitias ibi libarent. *Plutarch. in Thes.* Huic Ambracienses, testante *Nonio.* Atque hinc igitur κουροτρόφος multùm audivit, sicut & Capillus qui voti nomine alebatur ei, θρεπτήριος sive nutricius vocabatur.

Quanquam nec totam omnino capitis cæsariem libabant ubique hoc ritu, sed modò anteriorem partem, modò posticam; *Plutarch. ubi suprà.* Fortean cirros aliquot utrinsecus pendulos, vel flagellantes antias intelligit, quales illæ Samsonis, *Judg. 16. v. 19.* (ita mihi suggerit animus) in quibus vim & robur corporis universum constare, incautus nimiùm ibidem fatetur.

Cæterùm, quod denique addendum est, Gentiles hunc morem sacrandi capillitii florem observabant valetudinis causâ, & propter algorem capitis vitandum, ut docet *Censorinus in lib. de Die Gen. c.* Quam rectè hoc dixit, ipse viderit. Nazaritæ verò aliâ ratione, aliúmque prorsus in finem; in signum nimirum castitatis atque abstinentiæ singularis, cui per multimoda insuper saluberrima Dei jubentis documenta innutriebantur.

M Nos

Nos Christiani, sancti illius Nazareni devoti cultores, licèt cum illis non consecramus detonsos crines, jam extinctâ penitus ac abolitâ tali consuetudine. (nisi forsan reperiendâ adhuc alicubi inter Monasticæ vitæ professores, de quo olim more Monialibus Ægypti ac Syriæ usitato, *Hieronym. ad Salin. Ep.* 48.): Tamen nihil impedit quin cum temperantiâ, pariter & frugi vitæ habitum, quibus nil in universum Christianam professionem magis honestat, inde discamus.

Excurs. LVII.

Num. 10. v. 2. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, ut sint tibi ad convocandum cœtum, & ad imperandam profectionem castrorum.*

Usum tubarum istarum quas Deus imperavit Moysi faciendas, magis distinctè explicat *Josephus Antiq. Jud. lib.* 3. *cap.* 11. γίνονται δὲ δύο, καὶ τῇ μὲν ἑτέρᾳ πρὸς παρακέλευσιν καὶ συλλογὴν ἐχρῶντο τοῦ πλήθους πρὸς τὰς ἐκκλησίας· καὶ μίαν μὲν ἐπισημαντος, ἔδει τὰς ἀρχὰς, συνελθεῖν σκεψομένας περὶ τῶν οἰκείων. Ἀμφοτέραις δὲ -- *Duas (tubas) fecit, quarum unâ plebs ad concionem vocabatur,*

tur, alterâ principes ad consultandum de Republ. exciebantur: Utrisque verò clangentibus universus populus convocabatur.

Sic itaque moris fuit, quod vel satis indicat Textus, inter Israelitas, & sic aliis etiam præter Israelitas, Romanis præcipuè, ut in comitiis calandis buccinæ vel tubæ sonitum solenniter adhiberent. *Quo die comitia erunt, in arce classicus canat, circúmque mæros, & ante privati hujusce Quinctii scelerosi hominis ostium. Varr. de Lingu. Lat. l.* 5. Ubi morem insuper attingit, scio, sicut & Seneca *de Irâ l.* 1. *c.* 16. *Plutarch. in Gracch. Tacit. Annal. l.* 2. *c.* 8. quo, cùm civi reo capitalis alicujus criminis dies dicta esset, classicum in celeberrimis urbis locis canebant, ac postremò ante januam ipsam damnati. Sed illum transilio, & ad rem revertor. *Calata comitia alia erant curiata, alia centuriata: curiata per lictorem curiatum calabantur, h. e. convocabantur; centuriata per cornicinem. Gell. l.* 15. *c.* 27.

Rauco concionem sonitu, & curvis cogunt cornibus. Lucil. Sat. l. 26.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
Centum illi in prato sæpe Senatus erat.
Propert. l. 4. *Eleg.* 1.

Cogebat nempe ad verba publicè in Senatu facienda, ubi jura atque legum scita tractabantur: Sed & cogebat porro nonnunquam ad verba in templo audienda, ad precum, ad

ad hostiarum, cæterorúmque ejusmodi sacratorum rituum celebrationem.

—Cùm jam data signa sonabunt,
Tinctáque votivo sanguine Delos erit.

Ovid. Ep. 19.

tempus insinuans quo ad sacra indies solenniter conveniebant Delii, signo dato buccinæ clangore.

Multos præterea hìc & illìc magis privatos actus peragebant buccinarum ope, quorum paucos, singularibus subnexis testimoniis, sufficiet ut proferam. Ad buccinam interdum declamabant Rhetores: *Sæpe declamante illo ter buccinavit. Senec. Controvers. l.* 3. *in præfat.* Aliàs equos in cursum pro more mittebant Hippodromo præfecti.

Tandem murmure buccinæ strepentis
Supremus tubicen vocans quadrigas
Effundit celeres in arva equos.

Sid. Apoll. Carm. 23.

Sæpius denique buccinarum sonitu convivia distinguebant; *Ut initia vigiliarum per centurionem nuntiari, convivium buccinâ dimitti -- adverterat. Tacit. Annal. l.* 15. Ἕως ἐσάλπισε τὸ εἰωθὸς τῦ τελευταίε δείπνε σημεῖον· *quoad tandem extremæ cœnæ tubâ signum editum est, ut mos est. Athen. l.* 4.

Ita buccinam variè variis applicabant usibus; sed maximè omnium, quod neminem nisi planè infantem latere potest, in bellorum administratione utebantur. De isto hìc fit mentio

mentio tanquam à Deo etiam instituto, *v.* 5. Sed adeo nuper civilis discordiæ temporibus, obsurduerunt nostræ aures atroci hujusmodi clangore, ut nec miseros multùm juvet audire rursus, nec me ulteriùs tam ingratæ materiæ contemplationi inhærere.

Excurs. LVIII.

Num. 11. v. 7. *Erat autem Manna quasi semen Coriandri, coloris Bdellii.*

QUâ ptimùm de occasione Deus largitus sit Mannam in cibum peregrinanti suo populo, videre est *Exod.* 16. *v.* 4. Fuit ea nempe sterilitas Deserti per quod transibant, unde fames statim & magna ciborum inopia urgebat proficiscentes. Inde murmur ingens ciebant illico contra Deum, & Deus murmurantes placidè audivit: Quod negabat solum propter infrugiferam sui ariditatem, è cœlo gratiosè demisit. *Escatilem pluviam* scitè appellat Tertullianus *l. de Patient. c.* 5. juxta illud Psalmistæ, *Psal.* 78. *v.* 24. *Et pluit illis Mannam ad manducandum.* Τὴν ἄνωθεν χορηγουμένην τροφὴν, *Cibum à Deo preparatum*, *Suid. in verb.* Angelorum panem vocat ibidem Psalmographus, *v.* 25. *Panem angelorum manducavit homo, cibaria eis misit in abundantiâ.* Unde Just. Martyr *in Dialog. cum Tryphone*

phone verum esse cibum concludit, quo angeli in cœlis pascuntur, verè eos comedere seu manducare. Quàm rectè, aut secus, haud abutar operâ in tam futili disquisitionis argumento.

Interim cujusmodi fuit ista Manna, qualis naturæ, atque unde confecta, acriter satis inter se digladiantur physici. Sunt qui sudorem quendam cœli: sunt qui salivam quasi syderum: sunt denique qui succum aeris quodammodo se expurgantis fuisse arbitrentur. Verisimillima opinio est quam tradit *Pancirolla l. 2. Tit. constitisse eam ex vaporibus sublatis in regionem aeris, qui vapores terrâ & crassiori omni materia purgati, deinde* solis ardore percocti, pinguioresque redditi, subsequentis noctis frigore condensabantur, condensati autem in folia, frondes, terrámve decidebant.

Hoc Manna verè fuit, (Ἀερόμελι καὶ δροσόμελι nuncuparunt aliqui) non illa Græcis agnita, quæ nihil aliud erat, quàm exiguæ quædam Thuris particulæ, ex concussu sive motu ejusdem inter vehendum elisæ, ut docet *Plinius Hist. l.* 12. *c.* 14. Et talis absque dubio fuit Manna quam Orpheus in Hymnis sustimenta inter, in Apollinis, Minervæ, Deorum Dearúmque ibidem complurium sacris adhibita, tam sæpe concelebrat. Manna Israelitis hìc data, ea erat quam dixi; Mel aëreum quoddam seu roscidum noctù distillans in arbores: tantùm

(quod

(quod addendum est) peculiari atque extraordinario divinæ dispensationis modo illis tunc concessa, ad supplendam interea necessariorum alioqui ciborum in Deserto indigentiam; Ideoque quam primùm posteà ingressi sunt terram Canaan, illico desivit, *Josh*. 5. *v*. 12. Multùm præterea discrepans à melle Apum quale laborifera illa animalcula passim ex floribus solent colligere.

Primò enim, mel illud Apum, quocunque veris vel æstatis tempore in floribus reperitur; at ros melleus non semper, sed rarissimè decidit: Deinde, mel Apum tam noctù quàm interdiù in floribus invenitur; at melleus ros tantùm matutino tempore: Ad hæc, mellis Apum circa meridiem plurimum dedeprehenditur; at melleus ros incalescente sole statim perit. Atque ob hanc itaque causam districtè jubetur populus, *v*. 21. ut quovis mane tantùm, nec citiùs, nec seriùs, ad colligendum eum prodiret. Plura ejusdem farinæ discrimina congerit ibidem præfatus Pancicolla, ex quo perpauca hæc, bonâ Lectoris veniâ, sicut & ille ex aliis, decerpsi.

Unum restat quod non omittam, cumulo quasi superaddendum, de quo *Paschasius in l. de Corp. & Sangu. Christi*, idque secundum opinionem Judæorum, *Sap. c*. 16. *v*. 20. Mannæ sc. saporis eam conditionem fuisse, ut uniuscujusque palato pro proprio & peculiari suo appetitu responderet. Ea certè natura

est cælestis & veræ Mannæ, *Jo. 6.v.32. Verbi Divini*, qod rite gustatum, cujuscunque ordinis hominibus juxta peculiarem eorundem necessitatem, ad solatium omnibus, usúmq; singularem percipitur.

Excurs. LIX.

Num. 35. v. 6. *De ipsis autem oppidis quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilium separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem.*

QUò impediret Deus, obicémque quasi poneret furibundæ hominum naturæ procurrenti plus satis avidè in vindictam si lacessantur, civitates aliquot Refugii hìc & illìc statuendas curavit, quò reus homicidii, (ἀκουσίου, involuntarii sc. neque enim aliâ conditione vel apud Ethnicos patebant ejusmodi loca, teste *Thycid. l.* 4.) tutum ab ultoris repentino furore receptum haberet: sex ultra Jordanis flumen, totidémque ex adverso in locis aptè & commodè designatis distribuit.

Oppida hæc Refugii sic nuncupata à Judæis, idem ferè sonant cum Asylis alibi inter Gentiles passim reperiendis. Verùm, quod sciendum est, non absque alicujus discriminis asterisco

asterisco : primùm, Asyla propriè ædium duntaxat locorúmve sacratorum ambitum notabant, nec quid ultra. Tametsi Polybius etiam civitates totas huic usui tributas commemoret. Ἔστι δ᾽ ἀσφάλεια τοῖς φεύγουσι ἐν τῇ νεαπολιτῶν καὶ πραινεστινῶν, ἔτι τιβουρηνῶν πόλει, καὶ ταῖς ἄλλαις πρὸς ἃς ἔχουσιν --- *Est autem* (inquit ille, loquens de neci adjudicatis in Romanâ urbe) *fugientibus securitas, & in Neapolitinorum, & Prænestinorum, adhuc & in Tiburtinorum civitate. l. 6.*

Deinde, urbes Refugii tantùm ad mortem usque Pontificis securitatem ibi manentibus præbebant: Quod obiter in mentem mihi revocat antiquum quendam morem reos hujusmodi de causis in exilium pellendi, sed in annum modò, ἀπενιαυτισμὸν vocabant.

χέρσου πατρῴας, οὐ γὰρ ἂν φονῇ, ποσὶ
ψαῦσαι, μέγαν πλήμωνα μὴ πεφυγότα
Δίκης ἐάσει τάρροθος Ταλφουσία.

Nec enim homicidam pedibus terram patriam
Contingere nisi integro anno exularit,
Vindex justitiæ sinet Talphusia. Lycophr. in Alexandr. Ad quod *Scholiastes*; Νόμος γὰρ ἦν, ait ille, τὸν ἐργαζόμενον φόνον φεύγειν, ὅλον ἐνιαυτὸν μὴ ψαύοντα τῆς πατρίδος. *Legis erat, ut homicidii reus annum integrum à patriis laribus exularet.*

Asyla verò diuturniorem moram indulgebant peccantibus, & quousque offensæ pote-

statis

statis iram deprecarentur, aut saltem periclitanti saluti suæ aliter consulerent. Adeóq; Joab & Adonias uterque, 1 *Reg. c.* 1. *&* 2. cum despondissent alioquin de vitæ incolumitate, ad templi Aram tanquam ad Asylum confugiunt. Utut res sese habeat, Asyla (quod certè constat) tam apud Gentiles quàm Christianos, in præcipuo honore atq; cultu semper fuêre.

Quod ad prioris generis attinet, testis locuples sit vel unus Pausanias in Eliacis, de Eleæ Minervæ templo disserens, quod tantæ sanctitatis, tam inviolabiliter servatæ fuisse narrat, ὡς ὑδ᾽ ἀρχὴν ἐξαιτῆσαι-- adeo ut semel inclusos *nec precibus quidem inde reposcere*, aut rursus efflagitare auderent. Et iterum in Achaicis, cùm de templo Heliconii Neptuni confugientes eò supplices Achæi rapuissent, vehementi ac subito terræ motu usque ad extremam ædificiorum & urbis mœnium subversionem, raptores Deum mactasse. Christianorum verò templorum olim sanctitatem, brevi & efficaci satìs oratione declarat Photius, *Ep.* 4. Ὁ τοῦ Θεοῦ ναὸς ἱερὸς, καὶ πᾶσιν τοῖς εὐσεβέσιν ἄσυλος. *Sacrum & sanctum est Dei templum, à nullo Christiano violandum*.

Tantùm hìc adjiciam; Quàm magnopere optandum erat, ut nostra quoque templa, si non his, at aliis saltem religiosis usibus ab initio destinata, in majore usque haberentur

æstima-

æstimatione. Id monet Apostolus, 1 *Cor.* 11. *v.* 22. jubent multifarii Ecclesiæ Canones. Nos, tantùm abest ut confugientibus illuc permittamus ea, quod solebat, in salutis Asylum, ut ne ipsamet à rapinis & fædo in omni genere contemptu sinamus esse immunia. Jumentorum jam adeo stabula esse cœperunt, quæ olim adeuntibus Refugii loca erant: Diversantur ibi non *Onocrotalus* vel *Ericius*, non Ibis aut corvus, *Isa.* 34. *v.* 14, 15. sed fimosa pecora: quale quid Christianis Ecclesiis interminatum fuisse Julianum refert Cedrenus; & fecisse id Vandalos in Aphricâ, narrat Procopius *de Bell. Vandal. l.* 2. & factum adeo apud nos non sine præcipuâ tam insolentis facti admiratione conspeximus.

Attolle pedes tuos (Domine Deus) ad vastitates æternas, ad mala omnia quæcunque fecit inimicus in Sanctuario. Psalm. 74. *v.* 3.

Excurs.

Excurs. LX.

Num. 4. v. 19. *Ne fortè elevatis oculis ad cœlum, videas solem & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores & colas.*

PRudenter hìc & providè (sicut in cunctis) omnipotens Deus, qui inter cæteras diversimodas rationes quibus lapsurum facilè in Idololatriam populum suum cernebat, hanc cum primis suo amoliri interdicto conatus est, ne nimis curiosè ad cœlum cœlíque ibi fulgentia sydera oculos adverterent. Præsciebat enim, (quod non ita diu postea evênit) utì ruerent statim in illorum cultum, perpulchro eorundem conspectu capti prorsus fascinatíque. Suberat præterea & aliud grande allectamentum, ipsamet rerum cœlestium vis & potentia, quâ proximè à Deo, mundana omnia regi & administrari videantur.

His & similibus rationibus permoti Gentiles, cœlum ipsum, adeoque totum illud cœlorum splendidissimum choragium in Deorum censu habuere: Quot stellas ibi, tot simul numerabant Deos. Philosophorum etiam sagacissimi, divini eas quiddam supra terrena hìc infrà corpora obtinere judicarunt. Aristoteles *in l. de Mund. c.* 2. Θεῶν οἰκητήριον οὐρανὸς

ὀυρανὸς ὠνόμασαι, πλήρης δ' ὢν σωμάτων θείων, ἃ δὴ-- *Cœlum*, inquit ille, *dicitur Dei domicilium: Hoc cùm divinis corporibus plenum sit, quæ nos sydera appellare solemus--.* Plato ulteriùs, θεὺς πυρίνυς, i. e. *ignea numina* appellat, teste Laert. in *vita* ejus; *Animales Deos*, Apul. *de Doctrin. Plat. l.* 1. A quibus non longè abit ipse de Diis disserens in suo *Cratylo:* tantùm solos eos esse deos abnuit, quasi nulli alii præterea superioris ordinis Dii extarent: Nisi si fortè (quod quis in defensionem ejus offerat) in ejusmodi locutionibus Poetico quodam flore, elegantiæ causâ, sermones suos aspersit, aut aliàs prævalidâ tunc temporum opinione abreptus putetur.

Certè Philo Judæus *in l. de Opific. Mund.* strenuus Platonis sectator in Philosophicis, quamvis superna illa luminaria in deorum classe non reponat, tamen ad proximum à summo, intelligentium nempe creaturarum gradum evehit. ὅται γὰρ ζῶά τε εἶναι λέγεται, καὶ ζῶα νοερὰ, μᾶλλον δὲ-- *Nam hæ (stellæ) animalia esse dicuntur, & quidem intelligentia, vel potiùs mentes singulares.* Cujus Platonici dogmatis validum satis (sic putârunt) stabilimentum, inter alios affert Simplicius in Epictet. *c.* 38. quód alienum prorsus à ratione videatur, quæ loci dignitate tantopere excellant, & insuper cætera quæcunque motu & influxu suo vegetent corpora

ra, eâ vitâ, & sensu, adeóque ratione ipsâ carere.

Præcipuè verò, & præ cæteris *Solem & Lunam* maximâ veneratione sunt dignati homines, *Lucida* illa *Cœli decora*, ut ait Poeta: immo hæc duo tacitè & occultè sub reliquorum quotquot præterea Deorum nomine, nisi egregiè nos fallat Macrobius, *Saturnal. l.* 1. *c.* 23. Certè, palam & distinctè ea colebant Ægyptii, quorum unum Osirim, alterum Isidem nominarunt, *Laert. in Proœm.* Idem fecerunt Persæ, narrante *Herodoto l.* 1. Accedant, licet, huc Græci, *Iliad.* 3.

Ζεῦ πάτερ Ἰδῆθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
Ἠέλιος θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς, καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις.

Jupiter ex Idâ, clarissime, maxime, & unà Sol, qui cuncta audis, quique omnia conspicis unus.

Lunam porro aliàs alio nomine coluere: *Regina cœli, Jer.* 7. *v.* 18. *Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem, at mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli:* Cujusmodi meminit Athenæus, *l.* 14. Dianæ sacrari solitas (h. e. *Lunæ*) & Ἀμφιφῶντας ibi cognominat. *Cœlestis Dea* apud Afros, *Tertullian. in Apolog. c.* 24. Λίβυες μὲν αὐτὴν οὐρανίαν καλοῦσιν, Φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, σελήνην εἶναι θέλοντες· *Hanc Afri Uraniam vocant, Phœnices Astroarchen,*

archen, (vel Astarten) *Lunam esse affirmantes. Herodian lib.* 5. *cap.* 15. Ἀστάρτην δ᾽ ἐγὼ δοκέω σελήνην ἔμμεναι -- *Astarten autem ego puto Lunam esse*, Lucian. *in Syr. Deâ.*

Verùm, ut non excurram longiùs; Posito rectè calculo, & præmissis rite pensatis, nil mirum, si (quod præviderat Deus) in tantâ Judæorum ad omnigenam Idololatriam pronitate, erga Astra præcipuè, præcipitem illorum lapsum tam maturâ cautione antevertit. Aliâ nobis, alióque adeo in genere sufflaminatione opus est; Aliò quippe nos tandem rapit cæca animi libido, & quantùm illi cœlos ac sydera vanè suspiciebant, tantùm nos teram terræque commoda Idololatrico planè modo admiramur.

Excurs. LXI.

Deut. 12. v. 2. *Subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos, super montes excelsos, & colles, & sub omni arbore virente.*

NUlli loco aut sedi alligatur omnipotens Deus; non circumscripta illius visio est, non definita auditio, quin ut undecunq; tam ex imis vallibus, quàm de celsissimis montibus adorantium preces exaudiat: Non

sic

sic persuasum sibi, ut videtur, habuerunt Gentiles, nec etiam, ad illorum exemplar nempe, Judæi: quin ideo montium sæpissimè vel collium cacumina, tanquam loca extruendis Altaribus precibúsque offerendis aptissima, delegerunt. *Super montem posuisti cubile tuum, & illuc ascendisti, ut immolares hostias*, *Is.* 65. *v.* 7. *Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant incensum*, *Hos.* 4. *v.* 13. Atque huc pertinet tam frequens in Scripturis *Excelsorum* (quomodo vocabant) commemoratio, quæ in tectis etiam quandoq; cœnaculorum, sive ædium in summitatibus, extruebant: *Altaria quoque quæ erant super tecta cœnaculi Ahazi destruxit*, (Josias) 2 *Reg.* 23. *v.* 12.

Loquitur ubivis, inquam, Scriptura, vesanos Israelitarum mores coarguens, quos utique ad Ethnicorum imitationem exercebant. Οἱ δὲ νομίζουσι Διῒ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες, θυσίας ἔρδειν. *Moris habent (Persæ) editissimis quibusq; in montibus Jovi hostias immolare. Herodot. l.* 1. *c.* 131. Cui accedit Xenophon *Instit. l.* 8. & Strabo *lib.* 15. Πέρσαι τοίνυν ἀγάλματα καὶ βωμοὺς οὐκ ἱδρύονται, θύουσι δὲ ἐν ὑψηλῷ τόπῳ-- *Persæ nec statuas, nec aras erigunt, sacrificant autem in loco excelso.* Idem narrat ille de Paphlagonibus, *l.* 12. Olgassim montem disertis verbis nominans, ὄρος σφόδρα ὑψηλὸν καὶ δύσβατον--- *montem admodum celsum & inaccessum*,

inaccessam, ubi *Templa* undique habebant solenniter extructa

Non multùm isti absimilis (ut mihi videtur) fuit mons ille Gerizim, de quo, *Joh.* 4. *v.* 2. *Patres nostri adoraverunt in isto monte--* & in quo postea congregati hybridæ Samaritani, obsidente *Cereale* Vespasiani præfecto, perierunt quàm multa hominum millia, ut refert Hegesippus *de Excid. urb. Hierosolym. l.* 3. *c.* 14. Ipse idem mos numina sua super montibus colendi, Ponti & Cappadociæ etiam incolis in usu fuit, quod declarat illud Mithridatis factum, qui pulsis ex Cappadociâ Murænæ præsidiis, ἔθυε τῷ στρατίῳ Διὶ πάτριον θυσίαν ἐπὶ ὑψηλοῦ-- *Bellipotenti Jovi in excelso monte sacrificavit.* Appian. *in l. de Bell. Mithrid.*

Καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Διὸς ἰκμαίοιο
Ἱερά τ᾽ εὖ ἔρρεξεν ἐν οὔρεσιν--

Ingentem Jovis humentis tunc excitavit Aram,
Et sacra fecit in montibus---

Apoll. Rhod. Arg. l. 2.

Causam porro tam insulsi moris afferebant Gentiles, ὅτι τῶν εὐχολέων ἀγχόθεν ἐπαΐουσιν οἱ θεοὶ, *Quippe quòd Dii faciliùs exaudirent preces ex propinquo*, ut reddit Lucianus *l. de Syr. Deâ*: sive ut Tacitus *Annal. ult. Eos maximè locos cœlo appropinquare, precésque mortalium à Deis nusquam propiùs audiri.* Sed frustrà hæc & perquam absonè.

cùm Deus proculdubiò ubique adsit invocantibus, nec ullis, ut dixi, aut visûs aut auditûs spatiis coarctetur.

Interim tamen est in tam ineptâ consuetudine quod elicere inde, & in exemplar melius mutare poterimus; si quomodo illi Diis suis supplicantes, quàm proximè iis adesse corpore gestiebant, eâque de causâ celsissimos montes, tanquam huic officio præstando aptiores deligebant: Sic nos quotiescunque summum verè Deum, *cujus habitatio in excelsis est*, *Psal.* 113. *v.* 5. precibus nostris velimus compellare, eò sc. quantum pote est, mente nimirùm & levatis affectibus, aspirare conemur.

Excurs. LXII.

Deut. 14. v. 1. *Filii estis Jehovæ Dei vestri, ne incidatis vos, nec inducatis calvitiem inter oculos vestros propter mortuum.*

INhumanam illam & planè barbaram consuetudinem, quâ lugentes amicorum obitum solebant sibi proprias suas carnes incidere, antehac, quod memini, paucis perstrinxi. Alia huic succedit jam expendenda, (*detonsionis crinium*, sc.) veteribus olim usitatissima, & remotior quidem paulò à prio-

rìs

rìs feritate, sed æquè inepta. Quasi aut rasurâ, aut depilatione capitis, (quod jocatus dixit quidam non inscitè) vel uno pilo curas suas leviores reddere potuissent. Tamen fecit hoc patiens *Job c. 1. v. 20. Auditâ morte filiorum--laceravit pallium suum, & caput suum totondit.* Fecerunt communiter Judæi, nequicquàm hìc vel alibi vetante Domino, ut colligere est ex *Jer. 7. v. 29. Mich. 1. v. 16.*

Gentiles, (unde proculdubiò hauserunt Judæi,) inconditis ejusmodi moribus abundasse, facilè constare poterit non otiosè omnino percensenti veterum Scripta. Pauci sunt Historicorum, nullus penè Poetarum est, qui non alicubi pro argumenti ratione morem istum tetigerunt.

Τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι
Κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ᾽ ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.

Hoc solum quasi munus restat mortalibus in amicorum discessu
Comas (circa sepulchrum) spargere, & lachrymari. Odyss. 4.

Circa sepulchrum addo, sic enim intelligendum est ubique.

Κἀκεῖνά τ᾽ εἶδον δορὶ πεσόντα Ἑλληνικῷ,
Τρίχας τ᾽ ἐτμήθην τὰς δὲ πρὸς τύμβον νεκρῶν.

Atque illos vidi (filios) Marte prostratos Argolico,

Comásque istas secui ad extinctorum tumulos.
Eurip. in Troad.

Ὁρῶ τομαῖον τόν δὲ βόστρυχον τάφῳ.

Cerno resectum hunc in tumulo poni cincinnum. *Æschyl. in* χοηφόρ.

——Crinémque afflato monte sepulti
Pane super tumulos, & magni funus alumni. *Stat. Epiced. in Patr. l. 3.*

Non mihi te licuit lachrymis perfundere justis,
In tua nec tonsas ferre sepulchra comas.
Ovid. Ep. 11.

Nimirùm, ut verbo rem dicam, rescissos hoc modo crines velut *primitias*, seu potiùs *inferias* quasdam gratissimas ad mortuorum busta deferebant.

Βούλῃ τάφον μοι πρὸς κασιγνήτης μολεῖν
Κόμης ἀπαρχὰς καὶ χόας φέρουσ᾽ ἐμάς;

Vis mihi ire ad sororis tumulum,
Comæ ut primitias & inferias feras meæ? Helena apud Euripid. in Orest. & rursus in Electrâ.

Δάκρυά τ᾽ ἔδωκα, καὶ κόμης ἀπαρξάμην.

Lachrymas impendi, & primitias comæ persolvi.

Ἡμεῖς δὲ παιδὸς τύμβον, ὡς ἐφίετο,
Λοιβαῖσι πρῶτον, καὶ καρατόμοις χλιδαῖς
Στέψαντες---.

Nos

Nos verò patris tumulum, ut (Apollo) præcepit,
Ubi libatione, & capite dissectis capillis,
Coronavimus--. Sophocl. *in Electr.*

Vidimus unam eámque primariam crinalis tonsuræ causam: quam porro & circa oculorum supercilia magis speciatim adhibebant quandoque, ut notat Textus, & confirmat Artemidorus, ὀνειροκρῖτ. *l.* 1. *c.* 27. *Vetus*, inquit ille, *mos fuit in luctu supercilia nudare*, ut ita sc. mæroris sui acerbitatem magis testatam in funeribus darent. Aliæ etiam supersunt quamplures, de quibus, saltem de aliquibus, aliàs posthac, alio tempore. Nunc, quia non reperiuntur intra Textus ambitum, silens prætervehar.

Excurs. LXIII.

Deut. 19. v. 14. *Non assumes aut transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tuâ.*

DEus ille sapientissimus qui omnia ab initio fecit in *mensurâ* & *pondere*, tantámq; se justitiæ curam habere profitetur in commerciis hominum domesticis observandæ, ut vel iniquas lances *abominationi* sibi esse pronunciet, *Prov.* 20. *v.* 10. Egressus quasi tandem è parietinis domi spatiis, parem juris

rationem in agrorum divisionibus retinendam indicit. Eo fine sc. lege hìc latâ sanctissimè cavit, ut nè quis *terminales* ibi metas à majoribus positas amovere tentaret.

Legem hujusmodi sancivit Numa Pompilius Romanis suis servandam, quod tradit D. Halicarnasseus *l.* 2. eâque porro conditione sancivit ut si quis terminos Agrarios ita statutos transferre ausus fuisset, vel tollere, *lege Terminali caput ejus Diis devoveretur*, docente ibid. eodem Halicarnass. & Festo *in verb.* Mansit hæc lex quàm diutissimè, pari vigore prædita, aut saltem non multùm infracta, usque ad sera valde Romanæ Reipubl. tempora, ut constat ex *Papiniano*, *Resp. Tit.* 39. *Quicunque terminos, aut limites, aut arbores terminales, quæ decorêas accipiunt, celebratâ præsumptione evellere, abscindere, & signa impressa eradicare tentaverit, convictus, eodem loco, ubi testimonia fuerint, vitæ terminum sortiatur.*

Tam magno adeo in honore habuerunt ejusmodi constitutos terminos, sive stipite, sive lapide erecto confierent; Et quò meliùs firmum atque immobilem eorundem situm notarent, *Incitos* vocabant assueto loquendi more; ac si diceres eâ religionis cautelâ defixos, ut nullo modo *cieri* mutarive deberent: quò alludens Lucretius *l.* 2. ubi de immutabili uniuscujusque vitæ spatio differit, cujus statutas metas nullis ingenii viribus fas sit transire,

Quan-

Quandoquidem (inquit) *vitæ depactus Terminus altè est.*

Immo longiùs tunc progressi sunt veteres superstitionis cæcæ æstu abrepti, eò ut certi alicujus Numinis tutelæ adscriberent agrarios terminos, vel etiam ipsos Numinis vice haberent. Ὁρίυς Διὸς τὺς λίθυς, nuncupat ubi suprà D. Halicarnassensis, *Terminales nempe Jovis lapides:* Ὁρίυ Ἀπόλλωνος, sive *Apollinis Terminatoris* meminit Pausanias *in Corinth. seu l.* 2. Adeóq; igitur libationes, hostias, cæteráque religionis officia solita ibi reddebant.

Spargitur & cæso communis Terminus agno:
Nunc queritur, lactans cùm sibi porca datur.
Conveniunt celebrántque dapes vicinia simplex,
Et cantant laudes Termine sancte tuas.
Ovid. Fest. l. 2.

——*Convallem ruris aviti*
Improbus, aut campum mihi si vicinus ademit,
Et sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum patruo coluit puls annua libo.
Juven. Sat. 16.

Deridet hunc morem salsè Prudentius, & ridendo clarè enuntiat.

——*Lapis illic*
Si stetit antiquus, quem cingere sueverat error
Fasciolis, vel gallinæ pulmone rigare,
Frangitur, & nullis violatur Terminus extis.
Contra Symach. l. 2.

Licebat plura huc congerere, nec ea prorſus aliena à ſubjecto lemmate: Nonnulla περὶ ὁρίων ςήλων, quibus cohærentes inter ſe regiones publicè dirimebant; *Demoſthen. in Orat. pro Cteſiph.* Quædam etiam de lapidibus ex antiquo more ſignantibus milliaria; σημεῖα τῆς ὁδοῦ ἀναπαύσιμα, vocat *Demetr. Phalereus in l. de Elocut. Signa viæ diſtinctiva.* Sed reprimo me intra cancellos propoſitæ materiæ, atque adeo-- hìc Terminus eſto.

Excurſ. LXIV.

Deut. 20. v. 5. *Quis eſt homo qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam, vadat & revertatur in domum ſuam.*

ENcœnia vel *Dedicationes* ſacrarum ædium antiquis uſitatas, nemo eſt tam expers Hiſtoriæ bonarúmque adeò literarum omnium, qui non cognovit. Verùm quod ad alia ſpectat ædificia, ſive publica, ſive privata, (intérque ea *Domeſticas* habitationes) quæri poteſt non immeritò, Utrúmne ea quoque jam primùm condita, ſolennitate aliquâ peculiari in uſus poſt futuros aſſuerunt ſeponi. Textus planè tale quid affirmat: Ἐνεκαίνισεν eſt verbum, quod innovare

vare denotat, quia in *consecratione* rei alicujus, (Quanquam reverà & juxta accuratiorem locutionis formulam aliud est *consecratio*, aliud *dedicatio*; & *consecratio* propriè templorum est, ut colligi potest ex *Cicer. in Orat. pro domo suâ*: Sed ad rem;) usus rei statim aboletur prior & communis, novúsque inducitur: Sic rursus *Nehem. c.* 12. *v.* 27. Καὶ ἐν ἐγκαινίοις τείχους Ἱερουσαλὴμ. *Et in dedicatione muri Jerusalem--*: Hìc murus etiam, non templum modò, dedicatur.

Sed præcipuè notabilis fuit hâc ex parte Gentilium veterum mos familiarissimus. Nullum erat ædificii genus, nulla penè structuræ qualiscunque moles, quam non illi aliquo modo sacrare consuêrunt. *Theatri* καθιέρωσιν vel *dedicationem* à Pompeio factam memorat *Dio. l.* 39. *Plin. Hist. l.* 7. *c.* 48. *Porticûs* per Æmilium, *Dio. l.* 49. *Plin. l.* 1. *Ep.* 11. *Statuarum* per Augustum, *Suet. in August. c.* 31. *Macelli* obsonatorii per Neronem, *Xiphil. in vitâ ejus*: *Thermas* idem dedicavit Nero, *Suet. c.* 12. *Bibliothecam* inter Municipes suos ipse *Plinius*, *l.* 1. *Ep.* 5. *Pontem Puteolanum* Caligula, *Suet. c.* 32. Inter tam varias multigenûm structurarum dedicationes, quid mirum est, si (quod & Nero omnino fecit, tradente *Suet. c.* 31.) ædes domósque suas ad habitandum peculiariter destinatas multò magis dedicarunt?

Sed porro, quâ ratione quibúsve speciatim modis id fecerunt, illud non adeo constat. Certè

Certè multo cum apparatu (quantum ad templa spectabat,) Musicæ, precum, *pontice postem tenente*, *foculo posito*, *adhibitóque tibicine* rem egisse, liquet ex Cicerone in *Orat. pro domo sua*, & ex Dione *l.* 39. in *Calig.* Nec absque consimili aliquâ sanè pompâ consecrâsse etiam domesticarum suarum ædium usum, hariolari fas sit (non ultrà evagando) vel ex iis quæ pariter fecit Nehemias, in *dedicatione* muri Jerosolymitani ab ipso nuperè instaurati,- *cum gratiarum actionibus, & musicâ, cymbalis, nabliis & citharis, Neh.* 12. *v.* 27.

Præter meram *Inscriptionem* sc. notantem, ut assolet, vel tempus structuræ, aut aliàs usum cui ædes assignabantur, (quanquam & ipsa *Inscriptio* satis rectè *Dedicatio* quodammodo dici possit ex vi vocis, prout sæpius eâ utitur Lucretius,

Hæc quoque res etiam naturam dedicat ejus,

i.e. declarat, *l.* 3.) præterea, inquam, multa eos tunc solenniter & religiosè procurâsse in domuum suarum *Dedicatione* verisimillimum est: quippe ubi penates larésque, Deos suos domesticos colerent, non sine præcipuâ itaq; devotionis cæremoniâ inibi ponendos. Et licèt Israelitæ isthìc, non hâc nec aliâ aliquâ tam superstitiosâ ratione commoti, privatarum ædium dedicationem suscipiebant, tamen non absque omni (quod credendum est) religionis consilio, jussi sunt suscipere; sed

ſed eâ forſitan ratione inter cæteras unâ, ut majori in æſtimatione Dei domum verè ſacram habere, deinde addiſcerent.

Excurſ. LV.

Deut. 25. v. 4. *Non ligabis os bovis terentis in areâ fruges tuas.*

Duplicem hìc morem in frumentorum trituratione veteribus uſitatum proponit Textus. Unum, id à bobus buculíſve fieri ſueviſſe. Sic rurſus, *Iſa.* 28. *v.* 58. *Panis autem comminuetur, non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rotâ planſtri, nec ungulis ſuis comminuet eum.* Et *Hoſ.* 10. *v.* 11. *Ephraim vitula eſt, docta diligere trituram---*

Morem ejuſmodi obſervare eſt etiam alibi, & inter Allophylos. Varro de *Re Ruſtic. l.* 1. *c.* 52. è ſpicis in Areâ excuti grana ſueviſſe tradit, *nonnunquam jumentis junctis ac tribulo: quandoque grege jumentorum acto & agitato perticis, donec ungulis grana exterantur.* Idem docet *Columella l.* 2. *c.* 51. *Meſſis frumentaria*, inquit Plinius, *l.* 18. *c.* 30. *alibi tribulis in areâ, alibi equorum greſſibus exteritur, alibi perticis flagellatur.*

Ὡς δ' ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους

τριβέμε-

Τριβόμενες κρῖ λευκὸν ἐυβοχάλω ἐν ἀλῶῃ.

Velut quando quis subjugavit boves latifrontes
Ad terendum hordeum album rotundâ in areâ.
Il. l. 20.

Νῦν κλοιῷ δέρην πεπεδημένος οἷα χαλινῷ,
Καρπὸν ἐλᾷ Δηοῦς ὀκρυόεντι λίθω.

Trunco per collum alligatus, (equus) tanquam frœno,
Fructum agitat Cereris rigido lapide.
Anthol. l. 1. c. 33.

Sic constat de priore è duobus more: venio jam ad alterum ligandi sive obturandi os misellli bovis, contra mandatum, contra jus ac fas ipsius naturæ. Ου γδ δίκαιον ἔιργειν τοὺς συνειργασμένους τοῦ καρποῦ, καὶ περὶ γένεσιν αὐτοῦ πονήσαντας--. *Nec enim æquum esse,* ait Josephus *Antiqu. l. 4. c. 8. vetare laborum socios, quò minùs & fructuum sint participes.* Γαυσικάπην vocabant ejusmodi instrumentum quo frœnabant. παυσικάπη δὲ ὡς παύουσα τὸ κάπης, ἢ τοῦ κάπτειν, ὅ ἐστι τοῦ ἐσθίειν-- sic dicta *quòd ab edendo ligatos impediret.* Eustath. in *Hom. l. 20.* τροχοειδὲς μηχάνημα τοῖς τραχήλω περιαρμοζόμενον, ὡς ἀδυνατεῖν--- Erat nempe, ut docet Jul. Pollux *Onomastic. l. 7. Instrumentum rotæ in morem factum, tum boum tum servorum, in areâ laborantium collo adaptatum, nè ori manus aut rursus os frumento admovere possent.* Alium insuper usum præter hunc refrænandi misellula animalia, nè inter laborandum

randum saginarentur, tradit Ælianus *Hist. Animal. l.* 5. *c.* 25. Sed transeo.

Talibus modis sævitiam suam erga servos pariter & bruta, exercebant quondam Domini: & talem sævitiam contra ministros Domini laborantes in vineâ ejus exercendam expressè vetat Apostolus, hoc ipsummet eò intorquens dictum, 1 *Cor.9.v.9.* Atat aliâ nunc tandem viâ, licèt non multùm mitiori, grassari cœpit nuperorum temporum severitas, non obturando illorum ora, nè omnino edant, sed indicendo silentium, vocémq; quam pluribus obstruendo, quâ saltem victum & pabulum esui necessarium comparare queant.

---

* Excurs. LXVI.

Josh. 6. v. 24. *Urbem autem & omnia quæ inventa sunt in eâ succenderunt, absq; auro & argento & vasis aureis quæ in ærarium Domini consecrarunt.*

FAcit hìc exactè Joshua juxta mandatum Domini paulò ante *v.* 17. Urbem Jerichontis vi captam succendit, incolas ferro penitus abolevit; Hoc est quod civitatem in *Anathema* ponere ibidem dicit; *Sitq; Civitas hæc Anathema, & omnia quæ in eâ sunt, Domino:* Adeo ut nemo postea fundamenta ejusdem auderet rursus locare.

Fecit autem quod alibi & inter exteros debellatis

bellatis hostibus fecisse ex more victores legemus. Sic P. Scipio Africanus in eversione Carthaginis, ut testatur Cicero *de leg. Agrar. orat.* 2. *consecravit eam de consilii sui sententiâ: ut ipse locus eorum qui cum hâc urbe (Româ) de imperio certârunt, vestigia calamitatis ostenderet.* Subjungit Zonaras *Tom.* 2. in eodem perstans argumento; Καὶ πᾶσα δὲ ἄρδην ἀνέςατος γέγονε καὶ ἐπάρατον τὸ ἐψηφίσθη τὸ ἐπ' αὐτὴν κατοικῆσαί τινα. *Quin diris subjecta est, ut nullus eam restitueret unquam,* (sicut & de Jerichunte planè factum est) vel in eâ restitutâ rursus habitaret.

Sed proximè huc accedit, remq; adeo attingit prorsus, ejusdem (semper) Carthaginis excidium commemorans Appianus *in l. de Bell. Punic.* Σκιπίων δὲ ἐπεὶ κατέσκαπτο Καρχηδὼν, ἐπὶ μὲν τινὰ ἡμερῶν ἀριθμὸν ἐπιτρεψάμενος τῇ ςρατιᾷ ὅσα μὴ χρυσὸς, ἢ ἄργυρος, ἢ ἀναθήματα ἦν --- *Dirutâ Carthagine, præda per aliquot dies concessa est militi, excepto auro, argento, donariis* ---- Et paulo post, Ἀποδόμενος δὲ τὴν λείαν τὴν περισσὴν, ὅπλα καὶ μηχανήματα, καὶ ναῦς ἀχρήςους Ἄρει καὶ Ἀθηνᾷ διαζωσάμενος, αὐτὸς ἔκαιε κατὰ τὰ πάτρια· *Prædâ deinde quæ supererat divenditâ, scuta, machinas, & naves inutiles Marti Minervæq; sacratas, accinctus cremavit more patrio.* Rursus de Syllæ victoriâ contra Archelaum ad Chæroneam acquisitâ, *in l. de Bell. Mithrid.* Σύλλας δὲ πολλῶν μὲν αἰχμαλώτων,

πολ-

πολλῶν δὲ ὅπλων καὶ λείας κρατῶν, τὰ μὲν ἀχρεῖα σορευθέντα ---- *Imperator magno numero captivorum, magnâ prædâ caterâ, multisque spoliis potitus, inutilia quæque coacervata, Romano more accinctus cremavit, Diis nempe præsidibus sacrata.* Eadem penè verbatim habet præfatus Author *in l. de Bell. Hispan.* ubi L. Mummii victoriam recenset adversùs Lusitanos comparatam: Et eundem deniq; modum cremandi devota hostium spolia, commemorat Livius in expugnatione Samnitum, *l.* 10. *c.* 29.

Sed nec tantùm in obsidionum vel præliorum exitu, quod priùs, solebant hoc modo rerum partarum portiones quasdam devovere: Erat ubi ob prægrande aliquod scelus vel in pace admissum, terras, fruges, domos Anathemate percellebant. Unum pro cunctis sufficiat, Amphictyonum illud factum, communis Græciæ concilii, sub interdicto quasi ponentium totam Phocensium regionem, quòd sacratos quosdam Cyrrhæ in viciniâ agros contra fas æquúmq; exarassent, de quo multa Diod. Siculus *l.* 16. & Æschines *in orat. contra Ctesiph.*

Sed nolò longiùs prosequi posteriorem istam devovendi consuetudinem, ne assumentum, quod aiunt, panno majus evadat. Prior sola è textu est, quam attigimus suprà, rigida satis & severa quidem, nisi Deus ipse jussisset; quâq; non alia magis sævientis belli damnosum ferè exitum declarat, ad extremam usq; progredientis

entis devastationem eorum omnium quorumcumq; quæ aliàs haud fecerint ad bellantium ipsorum utilitatem.

---

* Excurs. LXVII.

Josh. 4. v. 9. *Præterea duodecim lapides posuit Joshua in medio Jordanis alveo.*

Erat quod διεξοδικῶς, atque in transitu dici posset (si vellem modò) de Aris seu statuis quas in fœderibus sanciendis prisci olim solenniter erigebant. Sic Iacob accepit lapides, & erexit ex iis statuam, fœdus iniens cum Labane socero suo, *Gen.* 31. *v.* 45. Ταῦτα ὤμοσαν, καὶ βωμοὺς ἐπὶ τοῖς ὅρκοις ἵδρυσαν---*Jurarunt in hac mutuò* (Romulus & Tatius) *& jurati Aras insuper extruxerant.* D. Halicarnas. *l.* 2. Sed de his haud plura; Quæstio jam est de Aris aliâ ratione conditis, & in recordationem præstantioris cujuspiam moliminis, aut patrati, aut saltem suscepti.

Cùm igitur Ioshua, comitante universo Israelitarum populo, Iordanis flumen transiret, inter transeundum extruxit ibidem Aram, & in medio Iordanis curavit locandam; Aliam statim post in Gilgal, *v.* 20. ubi prima à transitu castra posuerunt. Ad eundem modum tribus illæ duæ cum semisse discessuræ

suræ jam à fratribus in terram possessionis suæ Altare etiam cis Jordanis ripas moliuntur, *c.* 22. *v.* 10. Nec hoc ubilibet in locis prædictis ad religiosi alicujus erga Deum cultûs officium, sed gratitudinis causâ, & in durabilius, quod dixi, rei gestæ monumentum.

Aras hujusmodi quamplures similíque de causâ apud Exteros confieri solitas deprehendemus non rarò inter legendum: *βωμὸς seu* στηλίδας, h. e. memoriales columnas appellabant. Sic legimus de Arâ quam Sesostris Ægyptius erexit, cùm vicinas regiones circumquaq; armis domando peragrasset, Herodot. *l.* 2. *c.* 502. De Liberi Patris apud Indos Diod. Sicul. *l.* 3. Herculis, apud Europæos, *Ibid.* Cæsaris, in Pyrenæis montibus, Dio. *l.* 41. Immensæ struis plurimorum lapidum, (quod & habet *Textus*) à Græcis redeuntibus ab expeditione Asiaticâ in hunc ipsum finem alicubi congestæ meminit Xenophon de Exped. Cyri *l.* 4. Ultra omnes conjunctiùs propiúsq; adeo ad lemma propositum, Arrianus de Exped. Alexand. *l.* 5. cui accedit Q. Curtius *l.* 9. ubi Aras duodecim in extremis Indiæ oris, (postquam finîsset nempe Asianam profectionem,) totidem ab eo Diis juxta Oraxim flumen sacratas commemorant; Quomodò & hìc Joshua duodenas pariter, duodecem tribubus numero æquales, in medio Jordanis torrente excitavit.

O Frustra

Fruſtrà ſit teſtimonia plura huc corradere, cùm Strabo *l.* 3. tanquam rei communis, & omnino antiquis uſitatiſſimæ mentionem faciat. Ἔθος γὰρ παλαιὸν ὑπῆρξε τὸ τίθεσθαι τοιούτους ὅρους ---- *Veteribus*, inquit ille, *in more prorſus fuit, ut per hujuſmodi Aras ſive columnas victorioſis ſuis progreſſibus quaſi limites imponerent.*

Nec itaque mirum ſi Joſhua in tantâ ſucceſſus fælicitate, traductâ per rapidi fluentis alveum tam innumerâ populi multitudine, tale quid commentus ſit: Nec hoc tamen rurſus quò gloriabundus oſtentaret facti magnitudinem, ſicut illi; ſed potiùs (quod & priùs dixi) ut ſic grati animi teſtimonium erga ſoſpitatorem Deum, venturæ linqueret poſteritati. Mirandum id magis, quòd inter tot ſalutis & conſervationis beneficia quæ nos cotidiè recipimus, ne tantillam quidem ad Joſhuæ exemplar, ſaltem vel in cordibus noſtris, gratæ recordationis Aram unquam extruimus.

Excurs. LXVIII.

Josh. 7. v. 6. *Joshua verò scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram ---- tam ipse quàm omnes seniores Israel, miserúntq; pulverem super capita sua.*

CUm multa fuerint & varia luctûs, atq; adeo indignationis etiam quandoq; indicia, veteribus olim usitata, concisio corporis, detonsio crinium, &c. (de quibus anteà) tum inter alia duo ista præcipuè, scissio vestium, & conspersio pulveris super caput, hìc conjunctæ. Sic 1 *Sam.* 4. *v.* 12. *Currens autem vir de Benjamin ex acie venit in Silo die illâ, scissâ veste, & conspersus pulvere caput.* Rursus *Job* 2. *v.* 12. *Cúmq; elevassent procul oculos suos* (Amici Job,) *non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, Scissisq; vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum.* Ubique ferè duo hæc conjuncta reperire est, ideoq; non incongruum erit si in tractatu simul jungantur.

De priori facile negotium est, si quis Gentilium mores hâc ex parte retractabit paululùm. Augustus deprecans à se Dictaturæ potestatem, quam unanimi & pleno consensu collatum in eum ibat populus, quum nullâ aliâ ratione, neque precibus, neque mi-

nis posset, illorum vota inhibere, τὴν ἐσθῆτα προκατεῤῥήξατο, *vestem suam discidit. Dio. l.* 54. Idem auditâ Varianâ clade, τήν τε ἐσθῆτα περιεῤῥήξατο, καὶ πένθος μέγα---- *etiam vestem laceravit, inque magno luctu fuit propter amissum* exercitum. Xiphil. *in Vit.* Fimbria contra Syllam initurus pugnam, & jam desertus penè à transfugâ exercitu, καταῤῥήξας τὸν χιτωνίσκον ἑκάστοις προσέπιπτεν---- *discissâ tunicâ suppliciter prehensabat singulos.* App. *in l. de Bell. Mithrid.* Pompeius junior crebrò Menodorum nomine ciens, ut unicè sibi dum viveret constantem in benevolentiâ, τὴν ἐσθῆτα κατεῤῥήξατο, *vestem disrupit. Id. de Bell. Civil. l.* 5.

—*Flevi rupique sinus, & pectora planxi,*
Et secui madidas ungue notante genas.
Ovid. Ep. 5.

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,
Auxilióque vocare Deos. Æn. 5.

De ruptione sive scissione vestium hæc in gustum satis sint. Sequitur pars altera de conspersione pulveris aut cineris & hujusmodi, quibus homines deplorantes non ferendas suas quandoq; miserias, capita fœdabant pro more; *Sederunt in terrâ, conticuerunt seniores filiæ Sion; Cooperuerunt pulvere capita sua. Lam.* 2. *v.* 10. *Et fregit in scrupis dentes meos, Cooperuit me cinere. c.* 3. *v.* 10.

Αμφο-

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κονὶν αἰθαλόεσσαν
χεύατο κακκεφαλῆς. ----
Ambabus autem manibus capiens pulverem atrum,
Fudit super Caput——*Iliad.* 18. Cui quasi vestigia ejus à tergo arctè premens, succedit Nonius:
Καὶ κόνιν αἰθαλόεσσαν ἑῆς κατέχευε καρήνυ.
Dionys. l. 49.
------- Κατὰ μὲν ὄνυξιν
Ἦ λοκίσμεθ᾽, ἀμφὶ δὲ σποδὸν
Κάρα κεχύμεθα· Eurip. in *Suppl. Act.* 3. Quod Latinâ versione postea donans Seneca in Troad. *Act.* 1.

——*Solvimus omnes*
Lacerum multo funere crinem,
Coma dimisso est libera nodo,
Sparsítque crinis fervidus ora.

Claudat agmen Epigrammatistarum quotquot doctissimus Catullus:

—*Primùm multas expromam mente querelas,*
Canitiem terrâ atque infuso pulvere turpans,
Nostros ut luctus——

Plura adjici possent de modo illo insuper quo utebantur interdum, *sedendi* & *volutandi* se in pulvere, *Is.* 47. *v.* 1. *Mich.* 1. *v.* 10. Sed mihi nequaquam placet (id quod multoties dixi) peregrini alicujus atque alieni prorsus argumenti materiam undecunq; accumulanti, extra lineas, ut aiunt, propositi subjecti aberrare.

Excurſ. LXIX.

Jud. 5. v. 1. *Cecinerúntq; Debora & Barac filius Abinoam in illo die, dicentes.*

NOn primi, nec primò ediderunt hujuſmodi lætitiæ bellicum ſpecimen, Debora & Barac. Fecerunt hoc longè antea Moſes cum cæteris Iſraelitis, *Exod.* 15. *v.* 1. ob Ægyptiorum in Rubro mari ſubmerſionem. *Tunc cecinit Moſes & filii Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt--.* Deinde *v.* 20. 21. *Sumpſit Maria ſoror Aaronis tympanum in manu ſuâ, egreſſaque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & Choris —Quibus præcinebat, dicens, cantemus Domino—.*

Fecerunt ſic itaque Debora & Barac ad domeſticum planè exemplar, & ſuæ gentis: Sed & fecerunt id quod aliis quoque præter Judæos ubivis facere ſolenne fuit. Καλλινίκους Ἐπῳδὰς, ἐπινικίους ᾠδὰς vocabant hujuſmodi cantiones.

-------- Δεινὴ γὰρ,
Οὔτοι ῥᾳδίως γε συμβαλὼν,
Ἐχθρᾶν τὶς αὐτῇ, καλλίνικον ἄσεται.
Gravis eſt (Medæa,) nec quiſquam hoſtium
Cùm eâ congrediens facilè poſt victoriam canet. Eurip. *in Med.* Καὶ ὅπως γε καὶ τὸν πρόσπλουν ἀσφαλῆ ποιήσηται, τάς τε πρώ-

ρας

ρας, ὡς καὶ κεκρατηκυῖα, κατέςεψε, καὶ ᾠδὰς τινὲς ἐπινικίυς ὑπ' αὐλητῶν ᾖδεν--- *Cleopatra --- ut tutò in Ægyptum adnavigare posset, victoriam mentita proras coronaverat, cantionésque victoriâ obtentâ usurpari consuetas tibiis concini jusserat. Dio. l.* 51.

Idem volunt ubique Autores, licèt aliis quandoq; utentes vocabulis, ut sc. adjunctum insuper plerunq; morem sacrificandi, spectacula populo exhibendi, & similia, pariter indigitent: τὰ νικητήρια ἤγαγε ἐν τῷ θεάτρῳ, μονομάχυς συνέβαλον ---- *Triumphavit exultans, & gladiatores in theatro commisit.* Xiphil. *in Trajan.* Καὶ ἐπινίκια ἔθυσεν, ὡς δὲ τὸν πόλεμον κατωρθωκὼς, *Et votiva sacra pro victoriâ Diis persolvit* (Lucullus,) *ac si jam debellatum esset.* App. *in l. de Bell. Mithrid.* Καρχηδονίων μετὰ τὴν νίκην τὺς καλλίςυς τῶν αἰχμαλωτῶν θυόντων χαριςήρια τοῖς θεοῖς--- *Carthaginenses quod solent à partâ victoriâ ad gratiarum vota Diis exsolvenda, captivorum pulcherrimos immolantes--*. D. Sic. *l.* 2. Βυθύτει ὡς Ευαγγέλια --- *Nuntiatâ victoriâ* (Agesilaus) *boves mactabat, quasi gratulatoria sacra faciens.* Xenoph. *Hist. Græc. l.* 4.

Ut omittam libens obruámq; silentio crebros non ita pridem inter nos Pæanas, & multiplicata votorum solennia quæ Deo obtulimus, cùm luctum & lachrymas potiùs tristis vincendi causa deposceret: Unum illud ἐπινίκιον, velut proprium suúmq; Christianis com-

commendatum velim, quod adeo Apoſtolus ipſe nobis dictavit, 1 *Cor.* 15. in ore atque in animo ſemper habendum: *Ubi eſt, mors, victoria tua? Ubi eſt, mors, ſtimulus tuus? Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

Excurſ. LXX.

Jud. 5. v. 10. *Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in judicio, & ambulatis in viâ, loquimini.*

MOris erat, uti videtur, inter Judæos, ut qui honore & potentiâ aliquo modo præſtarent, non tam equis muliſve, quàm aſinis in ſolennioribus ſuis proceſſibus vehentes incederent. Id ſc. ſingulare poteſtatis ſpecimen, ea præcipuæ dignitatis teſſera quædam ſive indicium fuit. Sic rurſus *c.* 10. *v.* 4. *Erant autem* (Iairo ſc. Gileaditæ) *triginta filii ſedentes ſuper triginta pullos aſinorum, principes triginta civitatum.* Quod idem de Abdone dicitur, *c.* 12. *v.* 9. *Qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum.*

Vix reperire eſt tale aliquid perſcrutanti ſcriptores Ethnicos; contrà potiùs, quàm deridiculè & quanto contemptui habuere ſemper ejuſmodi vectionem. *Cumai deprehenſam*

hensam in adulterio mulierem quamcunque in forum proferebant, --- dein asino impositam circa urbem circumducebant. Plutarch. *in Q. Græc.* M. Aquilium legatum Romanorum, *captum, vinctúmq; in asino circumvehebat rex Mithridates.* App. *in l. de Bell. Mithrid.* Frequens est in ludibrioso isto more propalando *Zonaras*, itemq; *Nicetas Choniates*, quorum utriusq; multifaria in hoc genere exempla lubens prætereo.

Quàm longè diversa ista praxis ab illâ quam *Textus* hìc præfert! Cum altera ludibrii, summæ altera dignitatis παράδειγμα exhibeat: Quod tamen non adeo mirandum est; Mores plerunq; variantur cum gentibus, & quod in unâ sibilis excipitur, id in aliâ sæpenumerò plausu & honore maximo dignantur. Scorodotæ utebantur asinis ad bella & prælia facienda, sicut nos utimur equis, ut refert Ælianus Hist. Animal. *l.* 12. *c.* 34. Antiquitùs, (quod plus est) regum principúmq; filii arietibus insidentes vectabantur, teste Homero *Odyss.* 12.

----Σχεδόθεν οἱ ἦλθεν Ἀθήνη
Ἀνδρὶ δέμας ἐικυῖα νέῳ ἐπιβώτορι μήλων.

----Prope autem eum venit Minerva,
Viro corpore similis juveni, pastori ovium.

Ἐπιβήτορι substituit commentator, idque ex mente Hesychii, ὅτι πρῶτον ἐπὶ τῶν κριῶν ἱππεύειν ἐμάνθανον, *quia primùm equitare discentes, arietes inscendebant.*

Sed ad rem; Quicquid sit de exteris eorúm-

rúmq; consuetudine hâc ex parte, non ampliùs disquiro. Certum est Judaici populi primores ita solenniter assuevisse, quod vel *Textus* satis confirmat; utrùm verò id ex more gentis tantùm fecerunt, an porro in peculiare aliquod dignitatis suæ supra cæteros symbolum atque indigitamentum; an denique, ut ita humilitatem & mansuetudinem animi cum tantâ sublimitate conjunctam ostenderent, (qualiter certè Christus Dominus noster fecit, *Math.* 21. *v.* 5. *Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi, mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis asinæ:*) hæc & hujusmodi sagacioribus Scripturæ interpretibus scrutanda relinquo.

Excurs. LXXI.

Jud. 7. v. 5. *Cúmque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gideon, Qui linguâ lambunt aquas sicut canes solent lambere, separabis eos seorsum.*

Quare aut quâ ratione lambentes de more canum, tanquam magis strenuos bellóque aptos, omissis cæteris præcipuè conscribi ad prælium mox à Gideone suscipiendum mandavit hic Dominus Deus, accuratè satis, quantùm tenuitas argumenti patiatur, ad locum

cum ipsum disserit Sextinus Amama. Mei instituti non est, (nisi perparcè admodùm & quasi in transitu) rerum causas ullibi, sive humanas sive divinas, solicitiùs exquirere: Id tantùm incumbit, ut res ipsas qualescunq; consentaneis quibusdam παραδείγμασι hinc illinc è Gentilis literaturæ penu collectis, aut confirmem aliquo modo, aut saltem illustrem.

Varios refert modos Aristoteles *De Hist. Animal. l.* 8. *c.* 6. quibus inter bibendum utantur varia animalcula, quomodò alia morsu, alia sorptu, alia deniq; lambendo potum suum attrahant: πίνει δὲ τῶν ζώων τὰ μὲν λάπτοντα, τὰ δε --- Idqué omninò prout dentes habeant serratos vel exertos, alióve modo compaginatos. Morem verò hunc lambendi non tantùm brutis animantibus attribuit Strabo *l.* 16. sed etiam integris hominum Nationibus. Ἰχθυοφάγοι, inquit ille, ῥιφθέντες πρηνεῖς πίνουσι βοῶν δίκην ---- *Icthyophagi autem proni projecti more boum bibunt.* Consimilem ferè bibendi consuetudinem narrat Achil. Tatius *l.* 4. apud Ægyptios circa Nilum habitantes valuisse: Ἐθαύμασα δ᾽ αὐτοῦ καὶ τὰ τὸν τρόπον τοῦ πότου, ὅτε γὰρ ἀρύσαντες πίνειν ἐθέλουσι, οὔτε ἐκ πωμάτων ---- *Quin ipsum quoque illorum bibendi morem admiratus sum; neq; enim cadis aut poculis, sed suâ ipsorum manu bibituri utuntur.*

Αὐτὰρ

Αὐτὰρ ὅ γ' ἄμφω χεῖρε πέδῳ καὶ στέρνον ἐρείσας,
Ρωγάδος ἐκ πέτρης πίεν ἄσπετον, ὄφρα βαθεῖαν.
Νηδὺν φορβάδι ἶσος ἐπιπροπεσὼν ἐκορέσθη.

Ille autem (Hercules) manu utrâq; & pectore in humum nisus,
E fissili saxo bibit ductim, profundum in ventrem, velutì pecus pascale, affatim ingurgitans & appronatus. Apoll. *Arg. l.* 4.

His igitur aliísque ejusdem farinæ compluribus instantiis quæ proferri possent, vel leviter perpensis, nil adeo mirandum erit de more isto bibendi quem Gideonis milites hic adhibuerunt, præsertim sic coacti sævæ sitis necessitate, & vasorum insuper potoriorum usu carentes: (Qualiter accidit fatigatis Darii militibus cùm insequentes hostes fugerent, *passim ad omnes rivos prosternentibus corpora, & præterfluentem aquam hianti ore captantibus*, ut narrat *Q. Curtius l.* 4.) Sed potius inquam de ratione seu causâ mysterii observabilis in isto more. Eam vero, sicut dixi, aliunde petendam relinquo, nè vel *dictum dicere*, quod aiunt, aut porro in messem alienæ prorsus materiæ falcem immisisse existimer.

Excurs.

Excurſ. LXXII.

Jud. 11. v. 30. *Votum vovit Domino* (Iephthe,) *ſi tradideris filios Aman in manus, Quicunque fuerit primùm egreſſus de foribus domus meæ.*——

QUàm crebri veteres, ſive Judæi, ſive Ethnici, in votis ſolennibus concipiendis, præcipuè quotieſcunq; ſuſcepti forsàn negotii exitus in ambiguo ſtetit, vanus eſſem ſi rem per ſe ſatis manifeſtam conarer inſuper longiori ſermonis ambage firmare. Nec rurſus poteſt id quenquam latere, quàm conſuetè Gentiles, deos tum deprecandi, tum promerendi causâ, totum ejuſmodi officium humano ſanguine peregerunt, ſacrificia hoc modo in crudeliſſimam plerumque vertentes laniēnam: Sed quòd vir divinæ legis omnino callens, qualis proculdubiò Jeptha fuit, votum, ut hìc, tam atrox & inhumanum filiæ ſuæ immolandæ faceret, aut factum denuo impleret, vix fidem inter ſanos homines poſſet mereri, niſi modus aliquis commolliendæ rei appareret.

Sunt qui dicant primò Iephtam non voviſſe filiam ſuam immolandam, ſed illud tantùm quod primùm occurreret: Non vovit quidem *directè*, ſed vovit nihilominus quod in eventu tantundem valeret: & quamvis inhumanæ

humanæ crudelitatis notam effugiat fortaſſis, tamen temeritatis ſummæ nunquam vitabit. Deinde adjiciunt, Iephtæ filiam non fuiſſe reverà mactatam, & luctum illum in montibus bimeſtrem quem ob virginitatem ſuam deflendam inivit, quaſi alio fine, alióq; propoſito ſuſceptam interpretantur.

Hìc in diverſas partes abeunt Autores: Antiquorum plerique aſſerunt, & inter eos Ioſephus *Antiqu. l.* 5. *c.* 9. cujus utique Gentile teſtimonium maximi eſſe momenti meritò debeat. Quin & Epiphanius *Hæreſ.* 78. celebrationem hujuſce rei tanquam verè factæ, uſq; ad ſua tempora in Sicimis urbe duràſſe teſtatur; Litem ego, quod aiunt, relinquo ſub judice indeciſam uſq;. Utut & luctum illum prævium & mactationem ipſam poſtea, ſi modò mactata fuit, facile ſit quærenti, extraneis, Ethnicíſq; adeo exemplis aliquo uſq, ſaltem æquare: Mitto famoſam illam decantatamq; Poetis Iphigeniæ in Aulide immolationem: prætereo ea quæcunq; hujus generis Pauſanias in περιηγήσει ſuâ Græciæ hìc & illìc narrando interſerit; ſicut & illa quàm multa quæ eôdem ſpectantia ſimul congeſſit Plutarchus in deſcriptione *vit. Pelopidæ.* Aptiſſimum & omnibus numeris par occurrit illud Idomenei, quod refert *Natal. Comes* (undecunque acceperat) *l.* 1. *c.* 18. Ait illum in reditu à Trojano bello variis ſævíſq; tempeſtatibus jactatum, quò irata maris numine placaret, voviſſe Neptuno quicquid

ſe

ſe ei incolumi littus attingenti primùm offerret: Id votum infæliciter cecidit in filii unici caput, quem ideo promiſſi exolvendi gratiâ, neci dedit.

Porro mactatam hoc modo Iepthæ filiam, virgines virginem poſtea lugubriter deflebant, idque annui ritus obſervatione, ut habetur *v.* 40. Ἁρπαλικῆς ᾠδῆς meminit Athenæus *l.* 4. cantionis cujuſdam ſolennioris factæ in memoriam Harpalices virginis, contabeſcentis amore, & in virginitate ſuâ tandem defunctæ. Idem de Iphinoe Acathoi filiâ, virgine extinctâ, refert Pauſanias in Attic. ſive *l.* 1. ad cujus tumulum, καθέστηκε δὲ τὰς κόρας πρὸς τὸ τῆς Ἰφινόης μνῆμα προσφέρειν πρὸ γάμου, καὶ ---- *Patrio ritu puellæ ante nuptias mittebant inferias, criniſq; primitias tondebant.* Certè hæc & ſimilia, licét non attingant prorſus, tamen quàm maximè accedunt ad Jepthæ cauſam, & non omnino diſparem lugendi ritum oſtentant.

Excurſ. LXXIII.

Ruth 4. v. 1. *Aſcendit ergo Booz ad portam, & ſedit ibi.*

NOn uniuſmodi, vel loci, vel rerum tractandarum reſpectu, erat apud antiquos conſultatio. Alibi in foro, aut in curiis

riis atque basilicis conveniebant, sicut Romani; alibi in theatris plerunque, sicut Græci, *ubi ex more locus consultationi* (eorum) *præbebatur*, ut expressè docet Frontinus, Stratag. *l.* 3. *c.* 2. Morem populi utrobiq; diversum satis apertè paucis enarrat Ausonius, in *Lud. Sapient. Prolog.*

Nostris negotiis sua loca sortitò data,
Campus comitiis, ut conscriptis curia,
Forum atq; rostra separat jus Civium.
Una est Athenis atq; in omni Græciâ
Ad consulendum publici sedes loci,
Quibus Theatrum Curiæ præbet vicem.

Præter hunc morem quo in curiis vel aliàs in theatris cœtus celebrabant, Romanis Græcisque usitatum, habebant Judæi suum sibi peculiarem coeundi in portis urbium. Hâc de causâ ascendit hic ad portam Booz, ut *Seniores sc. ibi populi conveniret*, *v.* 10. Sic Deut. 25. v. 7. *Quòd si noluerit levir accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & interpellabit majores natu, dicetq;*—. 2 *Sam.* 19. *v.* 8. *Surrexit rex & sedit in portâ*——*venitque universa multitudo coram rege.* Deniq; *Job* 29. *v.* 7. *Quando procedebam ad portam civitatis, & in plateam, ponebant Cathedram mihi.*

Affinitate quâdam huic conjunctam, imò germanam omnimodò, licet alibi & inter exteros, consuetudinem reperire. Id imprimis vel satis manifestat factum illud Hemmoris

moris & Sichemi ex gente Hivitarum, in negotio Dinæ filiæ Jacob, quam Hemor in uxorem cupidè petebat, *Gen.* 34. *v.* 20. *Ingressique portam urbis Hemor & Sichem locuti sunt ad populum.* πυλαικῶν ὀχλαγωγιῶν, *conventuum popularium ad portas*, in tali aliquo sensu meminit Plutarchus in *vit. Pyrrhi.* Ἐν ᾧ ἡ μὲν βουλὴ ἐκάθητο ἐν τῇ ἀγορᾶς σοᾷ ---- *Dum Senatus*, inquit, *in fori porticu sederet.* Xenoph. *Hist. Græc. l.* 5. Qui in fori porticu, non in curiâ, sedent, prope est ac si in portâ sedissent. Virgilius de Didone loquens, *Æn.* 1.

Tum foribus Divæ, mediâ testudine templi,
Septa armis, solioq; altè subnixa resedit,
Jura dabat legesq; viris——

Fores, ubi jura legésq; populo administrari solenne fuit, invenimus quidem, sed nondum portas. Rem acu prorsus tangit Mæonius vates, *Il.* 3.

Ἕιατο δημογέροντες ἐπὶ Σκαιῇσι πύλησι
Γήραϊ δὲ πολέμοιο πεπαυμενοι, ἀλλ᾽ ἀγορηταὶ
Εσθλοὶ ------

Sedebant seniores populi in Scæis portis,
Ob senectutem jam à bello cessantes, sed concionatores
Optimi———Rursus, *l.* 6.

--------- οὕνεκ᾽ ἄριστοι
Πᾶσαν ἐπ᾽ ἴθυν ἐστε, μάχεσθάι τε φρονεειν τε,
Στῆτε ἀυτȣ͂, καὶ λαὸν ἐρύκατε πρὸ πυλαῶν.

——— *Quia præstantissimi*
Omnem ad motum estis, & ad pugnandum
& ad consulendum,
State illic, & populum inhibete ante portas.

Quomodò nimirum Rex David *subsistens in portâ* Civitatis, 2 *Sam.* 18. *v.* 4. allocutus est populum exeuntem in prælium, & de salute Absolonis filii sui sollicitè præcepit.

Plura licebat forsan hujusmodi huc spectantia ex eodem haurire fonte: Sed stultus labor est, quod aiunt, ineptiarum, nec vellem itaque in re tam minutulâ nimis haberi curiosus. Τὸ μὲν γὰρ καλῶς ἐν καλαῖς ὑποθέσεσι λέγοντας εὐδοκιμεῖν, κἂν ὡς μῆκος ὁ λόγος ὀδεύῃ, ἀλλ' οὖν ἐπαίνων οὐκ ἐκπέπτωκε· τὸ δ' ἐν ἀτόποις καὶ κιβδήλοις ------ *Nam bonum argumentum bene tractare*, ut scitè Niceph. Gregor. Hist. Rom. l. 9. *quantumvis prolixè id fiat, gloriam parit, nec laude suâ caret: In nugis verò & rebus absurdis idem facere, nec laudis quicquam habet, & haud injuriâ deridetur.*

Excurs.

Excurs. LXXIV.

1 Sam. 2. 1. *Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.*

SÆpe admodum in Scripturâ occurrit Phrasiologia istiusmodi de cornuum exaltatione. Sic infrà rursus *v.* 10. *Dominus judicabit fines terræ, dabit fortitudinem regi sua, & extollet cornu uncti sui,* Psalm 89. v. 18. *Nam Deus roboris eorum tu es, & in benevolentiâ tuâ exaltabitur cornu nostrum.* Mich. 4. v. 14. *Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum reddam ferreum—& comminues populos multos, &c.* Quibus locis & similibus eximia proculdubiò potentia quædam vel dignitas, aut collata à Deo in sanctos suos, aut aliàs conferenda, ubiq; indigitatur.

Causa verò figurativæ ejusmodi dictionis, par ubivis eademq; pro certo est; ea nempe vis quorundam animalium quâ in cornibus præcipuè pollent: vel ideo à naturâ concessis, sicuti docet Aristoteles *Hist. Animal. l.* 4. *c.* 8. ut se cum eis defendant, aliísq; incommodent; Quod alia dentibus, alia unguibus faciunt, hæc, sic disponente naturæ providentiâ, suis cornibus efficiunt.

Cornu hìc dicit Hanna, (ut id quoq; obiter includam) *& exaltatum est cornu meum,*

non cornua. Ita Psalm. 92. v. 10. *Attollis tanquam monocerotis cornu meum*—— Et Numb. 23. v. 22. *Deus eduxit* (populum) *de Ægypto, vires ejus sunt ut vires monocerotis.* Tanta vis Monoceroti est in unico illo suo cornu, ut tradunt Historici, quòd eo propellat sternátque omnia. Ἐστὶ μὲν γὰρ καὶ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἐρρωμαλέον· Ἀλκὴ γ' οἱ τοῦ κέρατος ἀμαχός ἐστι· *Nam & reliqui corporis maximo robore preditus est, & cornu inprimis inexpugnabili armatur.* Æl. *Hist. Animal. l.* 16. *c.* 20.

Sed ut redeam in viam; Poëtæ atque alii ejusdem farinæ fabulosi scriptores, cùm vim & robur excellentius cujusvis rei velint notare, cornuum expressionem adhibent. Ταυρόκερον θεὸν Bacchum appellat Euripides. *Bacch. Act.* 1. & Orpheus in *Hymn.*

------ ἁνίκα μοῖραι
τέλεσαν ταυρόκερον θεόν.
——*Quando Parcæ*
Cornigerum initiarunt deum.

Cujus rei rationem reddens Athenæus *l.* 1. Ἀπὸ τοῦ κατὰ μέθην θὲ κατασήματος, καὶ ταύρῳ παρεικάζουσι τὸν Διόνυσον, καὶ ---- *Bacchum veteres*, inquit ille, *quoniam ad violentiam temulentos concitat, nunc cum tauro comparant, nunc cum pantherâ.*

Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque, & addis cornua pauperi.
Horat. *l.* 3. *Od.* 21.

Eodem

Eodem modo & ratione rapidioribus quibusque fluminibus passim cornua affinxere: atque inde *cornigera* plerunque eorundem simulachra facta sunt, *eò quod sint atrocia, ut tauri*, docente Festo *in Verb.*

Etiam ipsis denique dæmonibus, (Diis suis viz.) cornua affinxerunt, (malè illud prophetæ Habacub applicantes. *c.* 3. *v.* 4. *Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus*; ut rectè observavit Jul. Firmicus in l. *de Error. Prof. Relig.*) quod & adhuc figmentum à vulgo retinetur; verùm utrùm hoc ad præferocem dæmonum potentiam exprimendam, ut dictum est, an porro ludibrii gratiâ, & deformis cujusdam habitûs circa eos animo subjiciendi, in medio relinquo.

Excurs. LXXV.

1 Sam. *6.* v. 4. *Responderúntque illi, juxta numerum provinciarum Philistinorum quinque Hæmorhoidas facietis, & quinque mures aureos.*

Quâ occasione permoti fecerunt hoc Philistini, docebit suprà inspectio capitis 5. *v.* 6. Nempe, durante apud eos captivâ Arcâ, Hæmorhoidum & murium illos supplicio Deus affecerat; quorum altero eorum

corpora, altero agros segetésque graviter infestabat. Remittunt itaque Arcam denuo, quam cepissent; nec vacuam tamen audent omnino remittere, sed refertam eam onerant sigillis quibusdam aureis, quæ calamitati utrobique incumbenti responderent. Neque hoc rursus eo fine, quò Deum ullatenus promererentur, quem aut nesciebant prorsus, aut quod pejus est, neglectui habebant; sed arte suâ magicâ confisi, Telesmatum usu talium, (sicuti vocabant) suppetias sibi quæsitum ibant.

Ratio horum conficiendorum erat talis, docente Scaligero *Ep*. 180. & 226. Figuris ejusmodi intentus conficiendis, sive æri, sive auro eas incideret, horoscopum cæli inprimis servabat: Sic fabricaturus Telesma adversùs scorpiorum ictus, faciebat id horoscopante Scorpio; adversùs morsus canis rabidi, materiam Caniculæ effigie signabat, sydere nimirum Caniculæ tunc in cælis similiter dominante: Sigillum ipsum, ϛοιχεῖον, factorem dicebant, ϛοιχειωματικόν· Atque ad hunc planè modum Philistini etiam, quod verisimile est, Hæmorhoidas suas & mures hic compararunt.

Abundant Historicorum scripta in curiosulis hujusmodi inventis recensendis. Præcelluisse in his Apollonium Thyanæum tradit Cedrenus: Unum illud inter cætera disertè commemorat Theodor. Metochites in *l. Hist. Romanæ*, quo rogatus ab incolis Byzantii,

zantii, ſcorpios pulicéſque quibus valde infeſtabantur, ſcorpio æneo fabrefacto ejecit. Idem fecit Antiochiæ, eodem ibidem referente Metochite. Urbem Pariſiorum quaſi conſecratam fuiſſe antiquitus narrat Greg. Turonenſis *Hiſt. l.* 8. ut non incendium ibi prævaleret, ſi nec ſerpens, nec glis apparuiſſet: tandem fortè cùm cuniculus fontis emundaretur, & cœnum, quo repletum fuerat, auferretur, *ſerpentem gliremque aneum repererunt; quibus ablatis & glires ibi deinceps innumeri apparuerunt, & poſtea urbs incendia perferre cœpit.*

Talia prorſus fuerunt illa ϛοιχειώδη τῆς πόλεως φυλακτήρια, *Apotelesmatica urbis* (Conſtantipol.) *veluti propugnacula*, æneæ ſc. quædam ſtatuæ, quibus manentibus, in fatis erat urbem dirui non poſſe, ut Nic. Choniates *in Balduin.* Τῆς τυχῆς ἄγαλμα, ſive *fortunæ ſimulachrum*, magicâ arte ad cælorum aſpectum elaboratum, eâdem poſteà in urbe, eâdemq; de causâ habitum refert Zonaras *Tom.* 3. *in vit. Conſtantin.* Palladium illud Trojanum, de quo tam multa omnigeni ſcriptores, & in cujus unicâ præſentiâ ſalus urbis aliàs perituræ conſtare credebatur, quid aliud fuit, quàm ſimulachrnm aliquod ejuſmodi; ἀῤῥήτοις τισὶ καὶ δαιμονιώδεσι μυϛηρίοις τετελεσμένον, (ut loquitur Cedrenus,) *ineffabilibus & divinis ibi myſteriis conſecratum?* Breviter, & ut verbo dicam, mos is fuit antiquis ſacratiſſimus in condendis urbibus, (quod &

ex Appian. *l. de Bell. Syr.* & ex Zonar. *Tom.* 3. colligere eſt) ut horam captarent auſpicatam, Teleſma fatale componerent, & denique ſignatum aliquod hoc modo figmentum plerunque includerent, conferens multùm, uti putabant, ad diuturniorem ipſius urbis ſecuritatem.

Sed de Teleſmatum confectione hæc ſatis ſint. Interim revocant ante dicta mihi in mentem hiſtoriam ſerpentis illius ænei *Num.* 21. *v.* 4. quem in deſerto Moſes vivorum ſerpentum morſu vulneratis erexit, cum certâ ſpe ſanitatis priſtinæ ad intuentes redundaturæ. Non ideo hoc dico, ac ſi ſyderex aliquâ artis vi infusâ valuiſſe fictitium hunc ſerpentem ſuſpicer: Typus erat, quod benè novi, benedicti noſtri Salvatoris in crucem poſtea tollendi; & quicquid remedii ſalutiferi dolentibus conferebat, id totum in virtute ſuperni Numinis præſtitiſſe credo. Veruntamen, ſi quis modum uſumq; rei rectè perpendat, non abſimilis omnino facturæ à Teleſmaticis iſtiuſmodi inventis, nec ſine quodam ad ea reſpectu confectum fuiſſe, opinor, judicabit.

Excurſ.

Excurs. LXXVI.

1 Sam.9.v.2. *Huic verò erat filius nomine Saul, elegans & bonus, adeo ut nemo esset è filiis Israelis elegantior eo, ab humeris suis versùs, altior erat toto populo.*

ORaculo omni certius est, dicente ipso Domino, 1 *Sam.*16.(quo tempore etiam Davidem tunc in regem elegit,) quod *Deus non videt sicut homo videt; homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* Et rursus Psalm. 197. v. 10. *Non potentiâ viri delectatur* (Deus,) *non crura præstantis viri accipit.* Interim vix adducor ut credam, quasi frustrâ aut sine omni prorsus ratione tam accurata personæ Saulis delineatio hîc adjecta foret. Et quamquam ad gratiæ prærogativam parum ea valeat, coram aspectu Dei, tamen ad honores & dignitates etiam summas capessendas, multùm semper apud antiquos valuisse reperiemus: Eò usque ut formæ eximium decorem, velut præcipuum regiæ potestatis tum acquirendæ adjumentum, tum adeptæ ornamentum atq; insigne præclarum ubiq; tradiderunt.

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος ------ ut rem proverbialiter effert Porphyrius *Isag.c.2. primùm quidem species digna est imperio.*

Οἱόν

Οἱόν τοι μέγα εἶδος ἐπιτρέπει ------

Sicut te hæc præstans forma decet—Theoc. Idyl. 25. Agamemnonis personam contuitus fortè Priamus *Il.* 3.

Καλὸν δ' ὧτω ἐγὼν ὅπω ἴδον ὀφθαλμοῖσι
Οὐδ' ὧτω γεραρόν, βασιλῆι γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν.

Oculis adeo formosum (inquit) *nondum conspexi*
Aut sic venerabilem, regiam dignitatem præ se fert. Super ipsissimis quibus Homeri versibus rectè observat Athenæus *l.* 13. in more fuisse apud antiquos, ut pro formæ dignitate præstantissimos quosvis in regium culmen subveherent.

Facile erat hoc ipsum aliundè comportatis instantiis abunde firmare. Æthiopes, narrante *Herodoto l.* 3. *c.* 26. τὸν ἂν ἀςῶν κρίνωσι μέγιςόν τε εἶναι, καὶ κατὰ τὸ μέγεθος ἔχειν τὴν ἰσχὺν, τῦτον ---- *Quem è popularibus maximum, & pro magnitudine validum judicabant, eum assumebant regem.* Huic suffragatur apertè de iisdem differens D. Siculus *l.* 3. & Strabo *l.* 17. Apud Indos porro, βασιλέα τε καὶ τὸν κάλλιςον αἱρεῖσθαι--- *regem pulcherrimum eligi consuevisse*, author est idem Strabo, *l.* 15. De Xerxe Persarum rege mirum quid tradit prædictus Herodotus *l.* 7. Ὅτι ἀνδρέων ἐϊσέων τοσῦτέων μυριάδέων, κάλλεός τε ἕνεκα καὶ -- *quod in exercitu suo in quo tot millia virorum essent, nemo erat qui aut formâ aut magnitudine corporis cum Xerxe ipso posset contendere, tanquam dignior qui illud imperium*

perium obtineret. Verbo rem totam expedit Xenophon in *l. de Conviv.* μαίνεσθαι δὲ μὴ τοὺς καλοὺς τοὺς στρατηγοὺς αἱρουμένους, *insanos esse dicens, qui non formosos Imperatores eligerent.* Cujus moris denique rationem scitè reddit M. Tyrius *Differt.* 9. & quâ proculdubiò ita facientes olim nitebantur, ὅτ᾽ ἐστὶ σωμάτων ὥρα οὐδὲν ἄλλο ἢ μελλούσης ἀρετῆς ἄνθος, καὶ οἱονεὶ προοίμιον κάλλους ἀρειοτέρου, *quippe quia pulchritudo corporis nihil aliud reverà sit quàm futuræ flos virtutis, & majoris intrà pulchritudinis quasi proœmium:* Imò, liceat addere, pignus quodammodo, & certissima quandoq; Arrha.

Tantò itaque in honore, & tali de causâ, fuit apud veteres venusta corporis habitudo; Quod poetis sæpenumerò ansam dedit, tales in scenam producendi principes viros, ratione eximiæ suæ pulchritudinis nimirùm spectabiles, qualis ad amussim hìc depingitur rex Saul;

——— Ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε
Ἔξοχος Ἀργείων κεφαλὴν ἠδ᾽ εὐρέας ὤμους.
——— *Vir (Ajax) latusq; magnusq;*
Eminens super cæteros capite & latos humeros.
Il. 3.
——— *Medio dux agmine Turnus*
Vertitur arma ferens, & toto vertice suprà est.

Æn. l. 8. Non ovum ovo similius est, aut ficus ficui, quod aiunt, quàm poetica horum utriusq; adumbratio, si cum illâ Saulis in Textu conferetur.

Excurs.

Excurs. LXXVII.

1 Sam. 10. v. 1. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput (Saulis) & exosculatus est eum, & ait, Ecce, unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem.*

MOs fuit in populo Israelitico receptissimus, ut reges eorum in regiæ dignitatis culmen unctione olei solenniter inaugurarentur: Sic Saul in Textu prolato; Sic David ejus successor *c.* 16. *v.* 13. Sic Salomon, qui habenas ibi regiminis tertius suscepit, 1 *Reg.* 1. *v.* 39. Et sic deinceps cæteri; quod nullo modo in dubium vocare fas est. Utrùm verò mos iste apud exteros quoque tunc temporum invaluit, ab illis similiter in regum constitutione usitatus, non satis bene commemini. Interim siquis rationem fortè consuetæ ejusmodi solennitatis requirat, tunc inter Judæos, deinde apud Christianos, (quod constat,) etiam diu abhinc invalescentis, Cyprian. in *L. de unct. Chrism.* Niceph. Greg. *l.* 2. in Ang. Theodor. *l.* 3. in Theodor. filio. Nic. Choniat. in Alex. Comnen. *l.* 1. possum aliquas proferre, sed utrùm probandas aliquo modo, an secus, lector sanè dijudicet.

Prima eáque communis est, quòd cultus

sc.

ſc.& reverentiæ majoris teſtandæ gratiâ oleum infundebant rebus quibuſcunq;, ſeu ſaxa, ſeu ſtipites eſſent, quæ modò in ſacrorum numero haberent. Inde eſt quod Jacob *Gen.* 28. ubi loci collocutus eſt cum eo Dominus, aſſumit ſtatim lapidem (cervical ſuum ſuper quod dormiverat,) & *erigit eum in ſtatuam, atque oleo perfundit.* Idem fecit eodem planè poſtea modo, *Gen.* 35. *v.* 14. Non ipſum ſacerdotem modò ſacerdotiſve filios oleo inunxit Moſes, *Exod.* 40. ſed etiam vaſa ſingula ſeu inſtrumenta ibi tabernaculi uſui deſervientia. Gentiles præcipuè eminebant in hoc more res ſacratas qualeſcunq; delibuendi unguine; de quo ſuprà alibi, quod memini, nonnulla congeſſi. Et quid mirum itaque ſi hoc eodem modo tractabant principes ſuos, utpote in ſumma poſitos ſtatione, & ſupra cæteros omnino venerandos, ut quod de Auguſto dicitur, vel vivos adhuc *conſecrare* quaſi viderentur?

Rurſus, oleum, (tanta eſt præcellentia hujus liquoris) tanquam ros cœli supernè dilabens, uſquequaque habitum fuit; Illud, in quo maximè inter fructus quoſcunq; benedictio Dei ad homines defluere judicabatur. (*Det tibi Deus de rore cæli* (ex oleo) *& de pinguedine terræ---Gen.*27.*v.*18.) ideóque in teſſeram fortè, & peculiare quoddam benedictionis ſignum hìc adhibitum.

Deinde, oleo inungebant pro more palæſtritas, pugiles, & luctatores in quovis genere,

nere, quò habiliores eos redderent per ſingula membra ad certamen propoſitum alicriter ſuſcipiendum. Nulli homini certior incumbit neceſſitas pugnæ contra pericula & ingruentes cotidiè difficultates, quàm principi: Ὥστε οὐδενὶ τῶν ἀθλητῶν οὕτω προσήκει τὸ σῶμα γυμνάζειν, ὡς βασιλεῦσι τὴν ψυχήν· *Quare nulli pugili tam convenit corpus exercere, quàm regibus ingenium ſuum*, ut rectè Iſocrates in Orat ad Nicocl. Quod ſignabat illis igitur *unctio* iſtiuſmodi, quâ tanquam ad luctam ſæpiſſime obeundam inſtruebantur.

Poſtremò, oleum, quod ferunt, cæteris quibuſque ſupernat liquoribus, ſive aquæ, ſive vini, vel cujuſcunq; tandem naturæ aut conditionis exiſtat. Sanè Rex pro loci dignitate, ut dixi, ſupereminet reliquis mortalium, quantùm Saul hìc noſter procerâ corporis ſui ſtaturâ cæteram populi multitudinem fertur anteiſſe.

Denique (quod nec etiam prætereundum eſt) effudit hìc oleum Samuel ſpecialiter ſuper caput Saulis; Caput omnino ſapientiæ ſedes ſemper viſa eſt, Minervæ ſacra, inter reliquas partes longè præſtantiſſima. Et diffudit porro benedictionis iſtud liquamen ſuper caput ejus potiſſimè, ut ſic faciliùs quaſi in membra ſubjecti ſibi populi decurſum haberet.

Confeci qualitercunque rem propoſitam, cur Samuel ſc. Saulem in regem inaugurans, oleo eum perfudit, & cur Saulis caput præcipuè;

cipuè; Voto finiendum erit, ut quandoquidem de oleo habetur sermo, Deus nos *oleo* saltem salutiferæ suæ *gratiæ*, 1 Jo. 2. v. 27. perfundat primùm, & deinde magis & magis usq; perungat.

Excurs. LXXVIII.

1 Sam. 10. v. 20. *Fecitque Samuel ut accederent omnes Tribus Israelis, & cecidit sors Tribus Benjamin.*

MOrem hìc attingit obiter S. pagina, quo reges aliique primarii Rectores populi ubicunq; ferè constituebantur. Is autem duplex fuit, ut docet Aristoteles *Pol. l. 4. c. 16.* ἢ αἱρέσει, ἢ κλήρῳ, *electione aut sorte*; vel quod eòdem redit, κλήρῳ καὶ χειροτονίᾳ, Xenoph. in *l. de Athen. Rep. sorte aut suffragiis.* Illos sic constitutos κληρωτοὺς, hos κεχειροτονημένους vocabant. Prioris generis fuit quodammodo ista Saulis in regem creatio; Nec enim in suffragia ibant Tribus, sive tacitè, sive vivâ voce prolata, sed tantùm sortes ducebant. Sors, ita benignè dispensante divino numine, primò Saulis Tribum, deinde Saulem ipsum è Tribu suâ cæteris omnibus quibuscunque prætulit, & in regiam sedem evexit.

Nolo hìc ad examen vocare, quod faciunt

unt Politici, duplicis præfatæ constitutionis discrimen, aut utra alteri dignitate præstet, discutere; Quamquam Socrates, teste Xenophonte in Memorabil. *l.* 1. omnino μωρῶν seu *stultorum* esse dixit, τοὺς μὲν τῆς πόλεως ἀπὸ κυάμων καθίςασθαι---- *magistratus civitati fabâ vel sortitione preficere: quando*, (ut ibi argumentando pergit) *nemo gubernatoris operâ uti vult sorte lecti, neque tibicinis, neque in cæteris rebus hujusmodi, in quibus si erretur, tamen multò minora detrimenta capiuntur, quàm si peccetur in Republicâ:* Quam ipsam rem eodem argumentationis genere (forsan & inde sumpto,) persequitur Philo Jud. *l. de Creat. Princip.* additq; nusquam igitur sagacissimum legislatorem Mosen in decretis sanxisse, ut magistratuum solennis designatio hoc tam incertâ sortitionis viâ procederet.

Nec rursus in animo est, varia sortitionum genera percurrere, sive quæ forensibus in usu erant, in urnam vel situlam sortes jaciendo, sive quæ militibus, quibus pro more castrensi in cassidem mittebantur.

Κλήρους δ' ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλομεν ὦκα
Sortem autem in galeâ ferreâ concussimus celeriter. Odyss. 10.

Et jam sortitus Protheus versarat ahenâ
Casside, jamq; locus cuiq; est & limitis ordo.
Stat. *Theb. l.* 6.

Nec ut denique hæc utrobivis peragebant; nonnunquam astragalis calculisve, interdum fabis,

sabis, unde κυάμῳ λαχεῖν ex communi loquendi formulâ, & κυάμευται, qui sic prælati, dicebantur.

Sed illud mihi hìc imprimis observatu dignum videtur, quomodo Deus in hâc prælatione Saulis ad regnum Israeliticum, utrumq; simul, *electionem* & *sortitionem*, sapienter conjunxit. Ipse nimirum primùm elegit Saulem, eumq; ungendum curavit à Samuele, *v.* 1. Deinde populum ad sortes vocari fecit, & quod ipse prius confecerat, succedaneâ illi postea operâ stabilitum eunt. Tale quid, inverso tantùm ordine, legimus apud Æthiopas in electione regum suorum inolevisse, tradente D. Siculo *l.* 3. Οἱ μὲν γὰρ ἱερεῖς ἐξ αὐτῶν τοὺς ἀρίστους προκρίνουσιν· ἐκ δὲ τῶν καταλεχθέντων ---- *Nam sacerdotes*, inquit ille, *optimos quosq; decernunt: Quemcunque autem electorum Deus commessabundus pro more circumductus apprehenderit, eum populus regem statim salutat.*

Deus & populus (quod pro certo tenendum est) concurrant usq; oportet, in principum constitutione; Deus, vel apertè, ut hìc, vel saltem clam, designando: populus, id postea ratum habendo. Ubi, aut Deus absfuerit non designans primitùs, (quæ quidem designatio ejus in legitimis ad dignitatem promovendi viis semper supponi debet) aut populus denuo non concurrat liberè, seu votis, seu sortitione factâ, non tam electio ea sanè,

quâm rapina, & nequissima summæ potestatis invasio; meritò judicanda venit.

Excurs. LXXIX.

1 Sam. 16. v. 23. *Erat autem quum esset malus spiritus in Saule, ut David accipiens* (citharam) *pulsaret manu suâ, unde respirabat Saul, & bene erat ei, recedente ab eo spiritu malo.*

FAtigatus Saul incursu crebro mali dæmonis, levimen unicum angoris sui obtinuit, tum quotiescunque David adstando coram eo, scitè, quod callebat, manu suâ citharam tractaret. Elisæus postea, 1 *Reg*. 3. propheraturus ex dictamine boni spiritus, citharædum conduxit, qui fidibus ei præcineret. Etiam totam illam prophetarum turbam, quibus obviam factus est Saul digressus statim à Samuele, suprà *c.* 10. *v.* 5. *ad Psalterium & tympanum*, ad *tibiam* & *citharam* prophetantes invenimus. Putârunt olim, utì videtur, contemperatos dulciter musicæ sonos in utamque partem multùm valere. Et quidem ita se res habuit tunc temporum, quod satis liquet vel per allegatas instantias, semperque se habet.

Non consilii mei est, quamvis oblata occasio valde sollicitat, in meritissimas Mu-

sicæ

ſicæ laudes expatiari. Id faciant alii, quibus majus otium, meliorque dicendi ſuppetit facultas. Adeat interim, ſi cui volupe eſt, M. Capellam *Philolog. l. 9.* perquàm floridè ſuper hâc ipsâ re diſſertantem; Multifarias ille ibidem Muſices vires deprædicat, tum in demulcendis ægris animi affectibus, tum in perſanandis dolorificis corporis morbis, tum denique in alliciendis captandiſque feris animalculis. Immo ad ſuperos ipſos uſque vim poteſtatémque ejus extendit, utpote quâ delectent ſeſe, & capiantur maximè.

Μέλποντες ἑκάεργον, ὁ δὲ φρένα τέρπετ᾽ ἀκούων.
Cantantes Phœbum, huic mulcebant gaudia pectus. Hom.

Sed his omiſſis alia præſtò eſt conſiderationis methodus, eáque ſubjectæ materiæ magis accommoda; Dæmoniacum iſtum ſpiritum quo Saul vexabatur, non alium fuiſſe putat Joſephus, *Antiq. l. 6. c. 9.* quàm πάθη δεινὰ καὶ δαιμόνια, πνιγμοὺς αὐτῷ καὶ στραγγάλας ἐπιφέροντα. *Gravem aliquem morbum à dæmone ſc. immiſſum, à quo parum aberat, quin præfocaretur interdum, ac penè ſtrangularetur.* Malum aliquod hujuſmodi corporale fortaſſis fuit (& ſic inter cæteros intelligit Gr. Nazianzenus Orat. 24. in obitum S. Baſilii) *colaphizatio* illa angeli Satanæ de quâ conqueritur Apoſtolus Paulus, 1 *Cor.* 12.

Jam verò quomodò Dæmoniacum illum Saulis (qualemcunque) morbum vi artis muſicæ expulerit David, ea demum diſquiſitionis

onis summa cardo est, & vel meta unica. Magnam animæ nostræ cum Musicâ cognationem seu propinquitatem intercedere docet Aristoteles *Pol. l.* 8. *c.* 5. Adeo ut reverà harmoniam quandam eam esse, aut saltem in harmoniâ positam nonnulli Philosophorum opinati sint. Idem tradit Macrobius, Platonicis prorsus innixus fundamentis, ad *Somn. Scip. l.* 2. *c.* 3. Hinc accidit propter arctam ejusmodi *συγγένειαν* vel cognationem animæ cum Musicâ, ut miris modis ad illius sonos afficiatur ista, elevetur, decidat, hilarescat, mæreat, in se coeat quodammodo, & rursus dilatetur. Cùm itaque David hoc modo coram Saule ciendo musicos sonos navaret operam, mala animi affectio quâ solito more torquebatur Saul, ablegatâ quasi aliò acrioris sensus perceptione, interea cessabat. Hujus opinionis assertorem strenuum habemus Jul. Scaligerum, *Exercit.* 348. nec aliâ ratione Musicam etiam morbos corporis curare, contra *Cardanum* tuetur id negantem, aut videri saltem aliquando curâsse.

Utut, nihil interim loci opinio talis veneficorum magicis incantamentis relinquit; Illic quicquid agunt, non verborum *melico* concentu aliquo, eo modo quo dictum est, efficiunt, sed verba tantùm, tanquam vehiculum quoddam, (quod verendum est) dæmoniacæ operationis simul concurrentis, sive scientes, sive inscii, usurpant. Hìc, concentu mero, *καὶ τῇ ἡδονῇ φυσικῇ*, (ut loquitur Philoso-

phus

phus ubi suprà) *voluptate quâdam naturali*, rapit animum quocùnque velit modulatior Musicæ sonus, & in affectus omnes transmutat; Tam efficax simul atque innoxia vis ejus est in operando: Nec mirum itaque si accersitus hìc David ad Saulem malè affectum persanandum, eam præcipuè in curatione illius adhibuit.

Excurs. LXXX.

1 Sam. 18. v. 25. *Et dixit Saul Davidi, Non delectatur rex dote nisi centum præputiis Philistinorum.*

NEc nova prorsus nec inusitata antiquis fuit consuetudo ista quam hìc attingit Scriptura, proponendi nubiles filias suas sub conditione plerunque gloriosi alicujus facinoris suscipiendi, quod procis sc. priusquam eas ducendi potestas facta esset, incubuit præstare. Sic Caleb antè Deut. 15. v. 16. filiam suam nuptui proponens, sub pari eam conditione proposuit Heroici alicujus facinoris perpetrandi. *Dixitque Caleb qui percusserit Cariath-sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.*

Nec verò Hebræis tantùm hoc, utì videtur, in more fuit, sed similem etiam conciliandarum nuptiarum ritum habuerunt Ethnici.

Nota satis est historia Danai, de qua D. Siculus *l.* 4. elocantis unicam suam filiam Hippodamiam, certamine procis proposito, quo victus vitæ jacturam faceret, victor puellæ nuptias obtineret. Simile quid de Clisthene filias suas nuptui elocante narrat Herodotus *l.* 6. *c.* 127.

Οὕτω δ' ἐδίδου Λίβυς ἁρμόζων
Νυμφίον ἄνδρα ------
Sic etiam Libys (sive Antæus Libycus)
Dedit filiæ copulans sponsum virum. Pind. *Pyth. Od.* 9.

Cursûs certamen (quod sequitur) procis edixit, filiámque in extremâ stadii metâ collocavit, additâ conditione, ut quicunque reliquos antevertens primus virginis vestem attigisset, eam futuram sibi in conjugem abduceret.

Non opus est ut insuper adjiciam, quamquam similis omnino texturæ, exemplum Danai, referente Pausaniâ in *Laconic.* eodem planè modo filiarum nuptias procurantis. Cæterùm non cursu hìc sed prælio dices, & sanguine Davidi uxor capienda proponitur. Sive cursu, sive prælio, parum interest, ad consuetum facti morem quod spectat; Interim aliud quid præterea occurrit in loci contextu, levi forsan animadversionis stricturâ haud indignum. Neq; enim Saul Davidi suo genero, quod nobis in usu est, sed David Sauli pro uxore quam accepturus erat, dotem in se solvendam recepit.

Ex

Ex more planè veterum. Sic enim *Gen.* 34. *v.* 12. *Augete dotem*, (inquit Sichem caussam suam agens apud fratres Dinæ quam deperibat penitus, amore ejus inflammatus) *& libenter tribuam quod petieritis, tantùm date mihi puellam hanc uxorem.* Et rursus, *Si seduxerit quis virginem desponsatam, dormiveritque cum eâ, dotabit eam, & habebit eam uxorem. Exod.* 22. *v.* 16. *Dotem non uxor marito*, ut ait Tacitus, de Moribus Germanorum loquens, *sed uxori maritus offert.* Pausanias in loco paulò suprà citato, γυναῖκα οὐδεὶς ἤθελεν ἐξ αὐτῶν θυγατέρων διὰ τὸ μίασμα ἀναγαγέσθαι· Διέπεμπε δὴ ὁ Δαναὸς ἕδνων ἄνευ δώσειν, ἣ ἂν ἕκαστος --- *Danaus cùm nanscisci non posset qui ipsius filias ducerent, dimisit qui nuntiarent nullum se à viris sponsalium nomine munus poscere, sed ut nuberent cuicunq; filiæ, prout ambientium illis formæ placuissent.*

Ἠγάγετο πρὸς δώματ᾽ ἐπεὶ πόρε μυρία ἕδνα;
Deduxit (uxorem) *domum postquam sponsalia munera dedisset quamplurima.* Actorides apud Homer *Il.* 16. Iterum Odyss. *l.* 8.
Εἰσόκε μάλα πάντα πατὴρ ἀποδώσει ἕεδνα,
Ὅσσα οἱ ἐγγυάλιξα κυνώποδος εἵνεκα κούρης.
Donec mihi omnem pater retribuat dotem,
Quantum illi præbui ob impudentem puellam.

Quid plura? David hic posteà, quod certum est, centum hoc modo occisorum in prælio hostium præputia, id stipulante Saule, in dotem persolvit. *v.* 27. quibus solutis,

Michol, regis filiam, prout convenerat, in uxorem denuo accepit. Iniquum sanè & parum optabile licitationis genus, sicut interdum evenit, ut pro tali merce pretium aliquod qualecunque numeretur.

Excurs. LXXXI.

1 Sam. 19. v. 24. *Et exuit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetavit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nudus totâ die & nocte.*

ADdubitari nonnihil potest quonam spiritu hìc afflatus Saul prophetavit. Spiritus quidem Dei dicitur suprà v. 23. Sed spiritus quoque Dei dicitur, à Deo saltem missus, *malus* ille *spiritus* in ore prophetarum 1 *Reg.* 22. cùm in gratiam Achabi contra regem Syriæ mendaciter prophetarent. Certè malus vir fuit Saul iste, (φαύλῳ δ' οὐ θέμις ἑρμηνεῖ γενέσθαι— *malum autem virum non fas est esse interpretem Numinis,* ait Philo) & malo insuper consilio inductus venerat ad perimendos Dei prophetas. Ad hæc, insani potius actitavit partes quàm prophetæ, exuendo vestes, & furentium more humi nudus iacendo diù noctúque. Inter prophetas ergo potuit esse, quod & dicitur in clau-

sulâ

ſulâ versûs, ſed non ita ut verè è numero prophetarum fuiſſe cenſeatur.

Verum eſt illud Apoſtoli Petri 2 *Pet.* 1. *SanctosDei homines prout acti erant à Sancto Spiritu olim locutos fuiſſe:* ὥσπερ ὄργανον κυθάρας τινὸς ἢ λύρας, quaſi inſtrumentum quoddam citharæ vel lyræ, divino plectro è cœlo pulſatos, Juſt. Mart. in *Paran. ad Græc.* Συνχρησαμένου τοῦ πνεύματος, ὡσεὶ καὶ αὐλήτης αὐλὸν ἐμπνεῦσαι, *Quum Deus eis ſeu organis uteretur, ut tibiis ad inflandum uti ſolet Tibicen;* Athenag. in *Apolog.*

——Non hæ noſtro de pectore voces,
Ille canit cui me famulari——Stat. *Theb. l.* 10.

Verùm rurſus, ut acti hoc modo à Spiritu *locuti ſunt homines Dei*, quod ſuprà 2 *Pet.* 1. ita & ſpiritum iſtum *ſubjectum ſibi habuere*, docente Apoſtolo Paulo 1 *Cor.* 14. *v.* 32. Quod dictum Apoſtoli, quantùm ad poſteriorem ſc. illius clauſulam, cumprimis intelligo de *verbis* ſeu *modo* locutionis à prophetis adhibito; Atque hinc, ut opinor; tam notabilis apud eos ſcriptionis & Styli diverſitas initium traxit, dum quiſque peculiarem ſibi genium in proferendo res utcunque divinitus conceptas ſectabatur. Nec enim, quod certum eſt, debacchantium prorſus ritu, aut mente ullatenus alienatâ res ignotas, & quas ipſi non capiebant, temere effutierunt. *Quis enim mentis emotæ*, ut rectè argumentatur Lactantius *de Falſ.*

Falf. Rel. l. 1. *c.* 4. *non modò futura præcinere, sed etiam cohærentia loqui possit?* quod tamen prophetæ Dei ubique clarissimè fecerunt. Ὁ προφήτης μετὰ καταστάσεως λογισμῶν καὶ παρακολουθήσεως ἐλάλει, *Verus propheta*, inquit Epiphanius, *cùm sui compos, tum ea quæ dicebat intelligens, futura nuntiabat. Hæres.* 48. Contrà, τὸ εἰς ἔκστασιν καὶ μανικὴν ἄγειν κατάστασιν ---- *Extra se rapi, & velut magicis artibus furiari*, (sicut Pythia illa solebat vates) *id quod loquatur non intelligentem, non est opus divini spiritus*, Orig. *contra Cels. l.* 7. Καὶ γὰρ λέγουσι μὲν πολλὰ καὶ καλῶς, ἴσασι δ᾽ οὐδὲν ὧν λέγουσι· *Nam multa quidem hi dicunt atque præclara*, ait Plato in Apol, *sed eorum quæ dicunt nihil intelligunt.*

Clarissimè multò prophetandi ista duo genera inter se distinguit, & pulchrè depingit Eusebius *Demonstrat. Evang. l.* 5. *in proœm.* Τὸ μὲν πονηρὸν δαιμόνιον οἷον σκότους οἰκεῖον, σκότον ἀχλὺν περιβάλλον τῇ ψυχῇ διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως --- *Dæmonium tanquam tenebrarum amicum, animam tenebris & caligine involvens accessu suo, quemcunque sibi subjecerat, à naturali usu rationis deturbabat; Itaque ille tanquam omni sensu spoliatus factúsque amens, quid à se diceretur, vel ageretur, neutiquam intelligentiâ consequebatur.* Τὸ δὲ ἀληθῶς καὶ ἔνθεον πνεῦμα ---- *Verum autem divinúsque spiritus*—*ad quamcunque animam accesserit, in eâ novum ac splendidissimum lucis diem comparat*—.

Unde

Unde quàm maximè sobrii sunt, & vigilant, & præ aliis omnibus, quæ cavunt, ipsi intuentur.

Ad prioris generis quod attinet, dæmoniacos ejusmodi vates ἐνθέȣς, ἐνθουσιαστὰς communiter vocabant, φοιβαστικȣ̀ς D. Longinus περὶ ὕψ· c. 11. quasi præpotente numinis afflatu abreptos extra se, & ad insaniam quodammodo, (qualis hìc conditio Saulis erat) adactos.

Insanam vatem aspicies quæ rupe sub altâ Fata canit. Æn. 3. Ubi Servius in locum; *A Græcorum*, inquit, *Etymologiâ tractum, qui μάντεις ἀπὸ τῆς μανίας appellarunt, unde & adhuc qui inspirari solent infatuari dicuntur*: quod ipsummet verbatim habet Justinus *Hist. l.* 93. & ulteriùs à Fatuâ sic dictâ, fatidicâ uxore Fauni deducit.

Nec insanos nec fatuos ego dixerim, nostri seculi Enthusiastas. Abstinere à malis & mordacibus dictis boni moris est. Illud tantùm dicam; Si quis insulsa & putida illorum dogmata cotidiè palam emanantia seriò perpendat, aut insanire eos opinetur necesse est, aut quod proximum est, vertigine quâdam captos prorsus delirare.

Excurs.

Excurs. LXXXII.

1 Sam. 20. v. 6. *Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei, Rogavit me David ut iret celeriter in Bethelem civitatem suam, quia victimæ solennes sunt ibi universis contribulibus suis.*

VIctimæ, ut reddunt aliqui; *convivium*, ut alii: Sed parum interest ad rei intellectum; quippe, primò sacrificium, deinde convivium, (de solennibus loquor) apud antiquos plerunque pro more consueto sequebantur. Festa autem convivalia hujusmodi alia erant, (nè longiùs evager) sodalitiis quibusdam seu particularibus civium collegiis propria: Alia non contribules tantùm urbis aut loci cujuscunque, sed propiùs, affines & eâdem quotquot prognatos stirpe spectabant.

Festa prioris generis, Ἀπατούρια φράτρικα vocabant usitatè: Ἀπατούρια ἀγούσης τῆς πόλεως καλοῦσί σε οἱ φράτορες ἡμέτεροι συνεορτάζοντα --- *Apaturiorum festum agit civitas, invitant te contribules ad idem festum concelebrandum*, Herodot. *in vit. Homeri.* Τῶν δὲ νῦν δείπνων προνοοῦντες, οἱ νομοθέται, τά τε φιλετικὰ δεῖπνα, καὶ τὰ δεσμοτικὰ προσέταξαν· Ἔτι δὲ τοὺς θιάσους καὶ τὰ φρατρικὰ-- *Inter cœnas quæ nostrâ memoriâ celebrantur, providè legislatores*

res, Phileticas, Populares, Thiasos contribulum, ac Orgeonicas permiserunt, Athen. *l.* 5.

Posterioris generis Festa, magísq; privata, (feriæ propriæ familiarum, ut rem explicatiùs tradit Macrob. Saturnal. *l.* 1. *c.* 12.) erant ea quæ *Charistia* nuncupabant Romani. *Convivium etiam solenne majores instituerunt, ut ait Val. Maximus, idque Charistia appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur.* Solennis hujusmodi conventûs statim ibi causam subjicit dignam relatu; *Ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensa & inter hilaritatem animorum fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur. l.* 2. *c.* 1.

Proxima cognati dixere Charistia chari,
Et venit ad socios turba propinqua deos.

Ovid. Fast. l. 2.

Sic enim, ut suprà insinuavimus, solennioribus quibusque conviviis præmittebant sacrorum celebrationem: Et sicut convivia, ita & sacra separata & propria in unaquâque familiâ habuere. *Gentilitia sacrificia* nominat Cicero, *in Orat. de Harusp. Resp.* θυσίας πατρίας, D. Halicarnasseus *l.* 9. quales nempe familia Claudia, vel Æmilia, vel Julia, aut quævis denique gens juxta ritum majorum suorum separatim exercebat. Hoc est quod Διὸς ὁμογνίας κοινωνεῖν dicit Plutarchus, *Jovis congeneris atque domestici participes esse*, Plutarch. *Sympos. l.* 5. *Qu.* 5.

Tale

Tale aliquod festum erat id quod David hic assimulat, festum familiæ Jesse adsitum & Gentilitium. Habemus nos quoque plura cotidie festa, sumptuosa, splendida; sed non *Charistica*, quod verendum est; Ubi enim amor, ubi pervetusta illa charitas, festorum assueta comes, & socia certissima? Convivamur plerunque, sicut & jejunamus, ad rixas & jurgia, ad cædes & devastationes, nec amicitias illic, quod solebat, contrahimus, sed pestifera nimis sæpe imbibimus tunc odia, & postea acuitamus.

Excurs. LXXXIII.

1 Sam. 21. v. 9. *Et dixit Sacerdos, Ecce hic gladius Goliæ Philistini quem percussisti in convalle, est involutus pallio post Ephod.*

INops & inermis fugiens David à conspectu iracundi Saulis, in viâ arma quærit, & quæsita invenit; Ibi vero invenit, ubi ipse antea deposuerat, intra velum Tabernaculi pone Ephod sacrata: Erat hic nempe locus, uti videtur, vel consimilis aliquis (è sacratioribus semper) non ineptus omnino habitus receptaculum, in quo Armorum spolia ab hostibus capta reponerent: Illic David spolia sua infert

fert de Goliâ capta, & illic Philiſtini, *in templo Aſtaroth*, occiſi in prœlio Saulis arma poſuerunt, 1. *Sam.* 31. *v.* 10.

Sed Ethnicorũ hâc ex parte inſtituta ſi porro probando multùm ſatagerem, viderer fortaſſis, idque non immeritò, operoſiùs nugari. Nullum eorum ſcriptum, nulla penè pagina, non ſcatet teſtimoniis illò ſpectantibus. Sed pauca igitur è multis ſufficient.

Multáque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculáque, clypeique, ereptáque roſtra carinis.
Virg. *Æn. l.* 6.

Cujus veſtigiis preſſim inhærens diligentiſſimus ejus imitator Sil. *Italicus*:

In foribus ſacris primóque in limine templi,
Captivi currus, belli decus, armaq; rapta
Pugnantum ducibus ſævæq; in morte ſecures,
Perfoſſi clypei, ſervantia tela cruorem,
Plauſtraque portarum pendent —— *l.* 1.
—————— *Arma paternis*
Poſtibus, & fixos ſuperûm ad penetralia currus.
Vellere amor ——. Stat. *Theb. l.* 3.
Rupta quies populi, ſtratiſq; excita juventus.
Diripiunt ſacris affixa penatibus Arma. Lucan. *l.* 1.

Nec verò Arma tantùm hoc modo hoſtibus in bello detracta, ſeu communi, ſeu proprio & ſingulari Marte, (qualia illa *opima ſpolia* Romanis ſic vocata, qualéque iſtud Davidis ex

Goliâ

Goliâ fuit,) suspensa in delubris suis solebant reponere: sed & alia quoque, aliisque de causis, tam sua, quàm hostium. Olympias Philippi regis uxor, gladium illum quo rex percussus est à Pausaniâ, Apollini sub nomine Myrtalis suspendi curavit, Justin. ex *Trog.* *l.* 10. Scævini ferrum in se promptum, sed fæliciter evitatũ, in Capitolio posteà sacravit Nero, *Tacit. Annal.* *l.* 18. Pugionem quo fratrem Getam suum confoderat immanissimus patricida, Diis, si placet, dicavit Antoninus, narrante Zonarâ in vit. T. 2. Sic alii aliàs, nec opus est ut plures commemorem.

Est denique, quod observare licebit, coronidis loco hic addendum, de more quodam veteribus usitatissimo: Is fuit ejusmodi, ut cuicunque arti, studio, vel professioni homines semet tradidissent, postquam eos denuo satietas aliqua aut tædium fortè cepisset ejusce professionis, genuina quisque suæ artis instrumenta, Deo seu Deæ alicui ejusdem artis præsidi suspenderent dicarentque. Quò forsan referri potest Threneticum illud psalmistæ, *Psalm.* 137. *v.* 1, 2.

Super flumen Babylonis illìc sedimus, & flevimus, dum recordaremur te ô Sion,

In salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra.

Excurs.

Excurſ. LXXXIV.

1 Sam. 23. v. 9. *Quod cùm David reſciſſet, quòd pararet ei Saul malum, dixit ad Abiather ſarcerdotem, applica Ephod.*

NIl opus eſt ut deſudemus multùm inquirendo, cujuſmodi erat veſtimentum iſtud Ephod. Satis evolutam planámque rem exhibet divinus Moſes, *Exod.* 28. *v.* 6, 7, *&c. Facient autem* (inquit) *ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto & byſſo retortâ, opere polymito. Duas oras junctas habebit in utroque latere ſummitatum*—. Multa ſuper eodem, unà cum Teraphim, ſcitu non indigna diſſerit Sanctus Hieronymus in *Ep.* 14. *ad Marcel.* Huic Ephod annexum erat *Rationale judicii*, cui inſerebantur prætereà pretioſi quidam lapides, *Urim & Thummim* continentes, & per eos Deus certiſſima petentibus reſponſa dabat.

De modo hujuſmodi reſponſionis nonnulla affert Joſephus Antiqu. *l.* 3. *c.* 10. Plura P. Cunæus de *Republ. Hebr. l.* 2. *c.* 2. Peritè, ut ſolet, & doctè: Sed clariſſimè inter omnes, ut mihi videtur, (certè quantùm ad mediocrem rei intellectum ſufficiat,) Anaſtaſius Sinaita *Qu.* 40. Ἀποβλέπων εἰς τὸ Ἐφὼδ ἠρώτα τὸν Θεὸν τὸ ἐρώτημα· καὶ μὲν εἰ εὐάρεστον

ἦν τῷ Θεῷ τὸ ἐρώτημα, ἤστραπτεν ὁ Αδάμας ὁ λίθος, καὶ ἐφεγγοβόλει ἀκτῖνας ἐκπέμπων· εἰ δὲ οὐκ ἦν εὐάρεστον --- *Aspiciens*, inquit, *ad Ephod* (sacerdos) *Deum consulebat: Si quæstio Deo grata esset, statim fulgurabat Adamas, & lucem ejaculantes mittebat radios; Si autem Deo non placebat, manebat lapis in suo ordine: Sin verò erat populum gladio traditurus, fiebat sanguinolentus; Sin aliter mortiferum quidpiam erat eventurum, fiebat niger.*

Quàm verè & ad amussim hìc omnia dixerit, vel minùs, penès Authorem fides esto; Certè mirabilis erat utcunque vaticinationis iste modus, & cui par extra S. paginæ pomæria vix alibi extat. Narrat quidem Ælianus *Var. Hist. l.* 14. *c.* 39. consuevisse Ægyptiorum sacerdotum principes solenniter gestare, Ἄγαλμα περὶ τὴν αὐχένα ἐκ σαφείρου λίθου, ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα ἀλήθεια· *Imaginem circa collum ex Saphiro gemmâ confectam, quæ vocabatur Veritas.* Exprimit hoc bene satis morem ipsum gestaminis Hebræis Pontificibus in Rationali usitatum, *(Ponésq; in Rationali judicii, Doctrinam & veritatem, Exod.* 28. *v.* 30.*)* Sed interim nihil ibi habetur de modo vaticinationis alicujus per illud fieri solitæ, qualem Textus insinuat. Tantùm, quod memini in hanc causam, Lucianus in *l. de Syr. Deâ*, simile quid de Apollinis signo ibi commemorat, gestibus quibusdam responsa edentis, prout rursum, prorsum, huc aut illuc se commoverat.

Sed

Sed ut missum faciam responsionis modum qualemcunque per Ephod fieri solitæ, res alia porro in *Textu* observatione nostrâ digna occurrit, quomodo nempe David hìc in angustiis positus, & adventantem mox hostem sollicitè opperiens, ad Deum statim se conferat, mentem ejus inprimis sciscitaturus. Ita suprà *v*. 2. & 4. cùm *Keilæ* civitatem adire in animo habuisset, sed metu anxius de perfidiâ Keilitarum tenebatur; Et sæpius alibi 2 Sam. 2. v. 1. c. 5. v. 19, 23, &c. ut verbo dicam, quotiescunque difficilius aliquod negotium incidisset, non sine majoris ope consilii auspicandum.

Fecit id quidem quod omnibus, & in omnibus negotiis faciendum usque incumbit: *A Jove principium* semper esse debet, nec sine illius auspiciis fas est ut quidquam ordiamur. Ipsi Gentiles, quamvis alioquin à veritate longè remoti, tamen in hoc eam aliquatenus attigerunt, quòd in omnibus suis cœptis, quotiescunque grandius aliquid molirentur, Oracula consultum mitterent, aut saltem à sacrificiis & votis priùs solenniter factis auspicarentur: Hoc à Græcis, hoc à Barbaris semper factum observat Cicero de Divin. *l*. 1. παρὰ γὰρ ἱερὰ καὶ οἰωνὰς ἐν σαυτῷ μηδέποτε, μητ᾽ ἐν στρατιᾷ κινδυνεύσῃς· *Absque sacrificiis & auguriis nec privatim nec publicè aliquid tentato:* Xenoph. in *Cyropæd. l.* 1. Idem de Athieniensibus similiter in Magistra-

tuum suorum constitutione tradit Thucydides *l.* 8. & Scholiastes in Aristophan. *Acharn. Act.* 1. *Sc.* 2. Romanis adeo hoc in more erat, ut nè Senatum quidem antiquitus liceret habere, priusquam hostiam immolassent, eâque litassent prosperè, ut docet Gellius ex Varrone *l.* 14. *c.* 7. Id ipsum lege sanxit Augustus, *ut priusquam consideret quisq;* (Senatorum,) *ture ac mero supplicaret apud Aram ejus Dei in cujus templo coiretur.* Suet. in *August.* *c.* 35. Ejusdem planè moris quantùm ad precum solennia, longè antea, & sub *Coss.* religiosè servati, meminit T. Livius *l.* 39. *c.* 13. & D. Halicarnasseus *l.* 10.

Hæc & his similia exemplo itaque nobis esse possint in negotiis quibuslibet, arduis præcipuè aggrediundis, unde exordia conatuum nostrorum, & primos quasi impetus petamus; Οὐκ ἀφ᾽ ἡμῶν αὐτῶν, *non à nobismetipsis*, quod satis præposterè hìc in consilium dat Imperator Philosophus, in *l. de vit. suâ* 10. 55. 38. sed à Deo nempe qui rerum omnium Ipse reverà principium & fons est unicè: Nequaquam fas sit ullibi fælicem alioquin & prosperum exitum sperare, ubi in ipso statim suscepti negotii limine peccatur.

Excurs.

Excurs. LXXXV.

1. Sam. 28. v. 23. *Qui renuit, & ait, non comedam; coegerunt autem, & sedit rex ad comedendum panem.*

NOn adeo rectè forsitan hunc locum verterunt aliquot Interpretes, *Et surgens de terrâ* (Saul) *recubuit in lecto* — quod & alibi faciunt, ubi alia loca eodem vel pari sensu occurrunt; Fecerunt, verum est, consideratione habitâ vulgati illius moris, quo discumbendi in conviviis antiqui ferè utebantur; Quinimmo κατακεῖσθαι, accumbere, & κατακλεῖσθαι, acclinari, conviviorum propria erant, ut docet Athenæus. *l.* 1. Atqui verò ἐκάθισεν hic verbum in Textu est. Ἀνέστη καὶ ἐκάθισεν --- *Surrexit & sedit*: ἐπὶ τον δίφρον, super *sellam*, non *lectum*, quod etiam notandum est. Sic suprà *c.* 20. *v.* 24. καὶ ἐκάθισεν ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τὴν καθέδραν ---- *Cumq; sedisset rex* (ad edendum) *super cathedram.* Iterum 1. *Reg.* 13. *v.* 20. καὶ ἐγένετο αὐτῶν καθημένων ἐπὶ τῆς τραπέζης -- *Et cùm sederent ad mensam.* Denique, nè plura accumulem, *Gen.* 43. *v.* 39. ἐκάθισεν δ' ἐναντίον αὐτοῦ -- *sederunt* (fratres Josephi sc. ab illo ad mensam invitati) *coram eo.* Ad quem locum Philo Judæus in *l. Joseph.* Ἑξῆς δὲ προσ-

τάξαντ© κτλ τὰς ἡλικίας καθέζεσθαι (μήπω τῶν ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων) ἐθαύμαζον --- *Jussi deinde sedere juxta ætatis ordinem*, (nondum enim, inquit ille, *discumbendi mos receptus erat*) *mirabantur*.

Autoritatem Philonis facilè eludit doctissimus Casaubonus, *Exerc.* 16. quasi frugi more hic excepisset Josephus fratres suos, tanquam peregrinos & advenas, non quomodo in lautis & opulentis conviviis solebat fieri. Et bellè huc facit illud Plautinum in *Stich. Act.* 5. *sc.* 4.

— Strategum te facio huic convivio:
Nimium lepidè in mentem venit, potius in subsellio
Cynicè acipiamur, quàm in lectis. Servi & pueri, & sordidati Cynici, atque hujusmodi, plerunque ad mensam non accubabant. Sunto hæc, ut sunt, verissima: Nihilominus reliqui duo loci producti, & quotquot alii ejusdem monetæ, integri adhuc & inconcussi manent.

Accedit huc insuper Gentilium vetus consuetudo, sive Græci, sive Latini in censum veniant, qui licèt communiter in lectis discumbentes convivabantur, tamen non omnino nec usque, etiam cùm lautissimè cœnabant; καθίζονται δ' ἐν ταῖς συνδείπνοις οἱ ἥρωες, οὐ κατακέκλινται, ait Athenæus Deipnosoph. *l.* 1. *Sedebant in cœnis heroes antiqui, non accumbebant.* Præcipuè hoc cùm rerum agendarum

necessitas

necessitas forsan incumberet, vel aliàs aliter se exercendi tempestiva aliqua avocaret opportunitas; Ideoque Alexander, quod in *vit.* ejus rectè observavit Plutarchus, cœnabat quidem κατακλινόμενος, sive accumbens, καθήμενος verò sive sedens plerunque prandebat.

Sed pergo; Homerus Penelopen inducit *Odys.* 1. positis ad mensam sedilibus procos suos excipientem;

--- κλισμὸς τε θρόνους τε. Circe pari modo Ulyssem cum sociis ejus sedentes convivio accipit.

Εἷσε δὲ με εἰσαγαγοῦσα ἐπὶ θρόνου ἀργυροήλου
καλοῦ, δαιδαλέου, ὑπὸ δὲ θρῆνυς ποσὶν ἦεν;
σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα.

Collocavit autem me introductum ad thronum argenteum;
Pulchrum, fabrefactum, scabellum sub pedibus erat;
Panem veneranda proma apposuit ferens.

Odys. 10.

Hæc sacra sedes epulis, hìc ariete cæso,
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Æn. 6. Ubi Servius in locum, *Majores*, inquit, *nostri sedentes epulabantur.*

Ut rem itaque breviter in argumenti quasi *statum* conjiciam; Quod veteres Græci & Latini, non obstante receptiori discumbendi more, fecerunt planè, illud ipsum hìc Saulem

Saulem & alios alibi è Judæorum populo, interdum & pro occasione fecisse, non iniquè suspicemur.

Excurs. LXXXVI.

2. Sam. 1. v. 18. *Et præcepit ut docerent filios Judæ planctum.*

VErba hæc, ut aliqui volunt interpretum originali Scripturæ inhærentes, artem quandam peculiarem arcum peritè tractandi exhibent, quam nempe rex David excogitavit, eâque populum Israelitarum curavit posteà erudiendum, & prætereà nihil. Alii qui penitiùs, nec sine Lynceis oculis Textum perlustrârunt, de formulâ cujusdam *funebris Cantici* ab eo compositi in memoriam Jonathanis Saulis Regis filii, & familiaris sui amicissimi, nuper in prælio contra Philistinos succumbentis, intelligunt: *Arcûsque* adeo nomine insigniti, signante eximiam in arcu peritiam quâ præcelluerat Jonathan supra cæteros quoscunque, *v.* 22. Quippe alias hiulca & desultoria, inquiunt, videatur hîc loquendi methodus, ut cùm in proximè præcedente versu dixisset divinus *Scriptor*, de planctu Davidis super Saul & Jonathan occisis, tam subitò & inexpectatò in sermonem alterius prorsus materiæ transiret. Per arcum itaque, ut dixi, intelligi volunt cantionem aliquam funebrem

funebrem, *Arcum* ſic dictam. Sic 2. *Chron.* 35. *v.* 25. *Lamentatus eſt etiam Jeremias propter Joſiam, dixeruntq; omnes muſici & muſicæ in lamentationibus ſuis de Joſiâ.* Tale quid Joſephus de ſeipſo factum narrat, (falſâ ſuæ mortis inter concives crebreſcente famâ) tanquam de re notâ, Judæiſque ſatis familiari, *De Bell. Jud. l.* 3. *c.* 15.

Planè ab illis, nec aliunde, ad Gentiles tranſivit mos conſimilis, ut docet Scaliger in *Caſtigat.* ſuis ad Feſt. Inde lugubres illæ næniæ, tam Græcis quàm Latinis in funeribus uſitatæ, quibus defunctorum tunc, honoratiorum præcipuè, laudes memorabantur. Ἀοιδῶν θρηνητικῶν, h. e. *funebrium cantilenarum* inter Ægyptios, meminit Herodotus *l.* 2. *c.* 79. *Nænia*, inquit Feſtus, *eſt carmen quod in funere laudandi gratiâ ad tibiam canitur. Præficarum* verò mulierum erât, ſicut addit Nonius in *verb.* mulierum ſc. ad hoc ipſum munus aſſignatarum, ut funebres hujuſmodi laudes ſuper mortuis jam mox efferendis decantarent.

Sed de his, quæ & qualeſnam fuerunt, alibi ſe dabit magis congrua aliquid diſſerendi occaſio. Interim, quódque propiùs ad lemma propoſiti diſcurſûs accedit, non in funeribus ipſis tantùm concinebant tales Nænias, ſed poſteà quoque repetitis & annuis vicibus; unde ſequitur in præfato *l. Paralipôm. c.* 35. *Dixeruntque omnes Muſici & Muſicæ in lamentationibus ſuis de Joſiâ dicta uſque in hanc diem, quæ dederunt pro ſtatuto in Iſraele:* nempe

nempe quod certis & perpetuis vicibus annuatim observaretur. Facit huc disertè illud de Jepthæ filiâ *Jud.* 11. *v.* 14. *De anno in annum ibant filiæ Israelitarum ad plangendum filiam Jepthæ.*

Juxta hunc morem habebant etiam Ethnici solennes suos publicitus hymnos quos in laudes præstantium olim virorum statutis temporibus concinerent: quales fuerunt illi Orphei, Homeri, Callimachi, apud Autores suos præfatos reperiendi; Habebant & privatim mæstos suos *Elegos* in cognatorum atque affinium quondam memoriam cantari solitos;

Nænia funereis satis officiosa querelis,
Annua nè tacitus munera prætereas. Auson. *in Parental.*

Affulget hinc ex præmissis suprà (ni fallor) lux aliqua Salvatoris illi dicto, *Luc.* 7. *v.* 32. *Cantavimus vobis tibiis, & non saltastis; lamentavimus, & non plorastis:* De cantu & saltatione in funebribus exequiis adhiberi consuetis non omnino incommodè intelligi potest. Sic enim (quod omiseram) solebant utrumque, ut tum ad tibiæ modos *concinerent* defuncti laudes, tum *saltando* easdem exprimerent. Am. Marcellinus *l.* 19. *Saltando & cantando tristia quædam genera Næniarum, regium juvenem* (extinctum) *lamentârunt.*

Excurs.

Excurs. LXXXVII.

2. Sam. 5. v. 6. *Non ingredieris huc nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes: Non ingredietur David huc.*

SCio quid Josephus senserit de hoc loco, vir, quod fatendum est, nec sine ratione adstipulante, rerum Judaicarum satis peritus; quippe qui à teneris (sicuti ipse testatur in *vit.* suâ) multifariâ eruditione imbutus erat, domesticarum traditionum notitiâ proculdubiò potissimè. Ille itaq; *Antiqu. l.7.c.3.* nudè ac simpliciter de cæcis claudísque reverà dictum intelligit, quos in contemptum Davidis ostentabant circumsessi Jebusitæ, quasi satis validos urbis tam egregiè per se aliàs munitæ defensores. Veruntamen cùm alii quàm plures ad Idola id referant, quæ servabant incolæ tanquam *Tutelares* loci Deos, (Et tali prorsus modo salsè ea irridens describit Psalmista, *Psalm.* 115. *v.* 4, 5, 6. *Simulachra Gentilium argentum & aurum, oculos habent & non vident, pedes habent & non ambulant*) accipiam in præsens Allegoricam istam interpretationem, atque in eâ parumper consistam.

Mos antiquis fuit, ut sicut tutelam cujusque civitatis certo alicui Deorum numini assignabant, *Tutano* vel *Tutelmo* inde dicto, ita immunes se à periculo tutósque arbitrabantur

bantur, quousque Deus ille aut non sponte discederet, aut aliàs magicis hostium incantamentis non fuisset prolectus. Nam primò, quòd ultro discederent nonnunquam abirentque, ingruente sc. fatali urbis necessitate, notissimum est illud Virgilii *Æn.* 2.

Excessere omnes adytis, Arisque relictis,
Dii quibus imperium hoc steterat —
——— *Sin fata repugnent,*
Et jam damnatâ cessit Carthagine Mavors.
Sil. Ital. *l.* 2.

Ἀλλ᾽ οὖν θεοὺς τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεως
ἐκλείπειν λόγος ---.
Captâ urbe Deos discedere constans fama est.
Æschyl.

Sic imminente jam mox Hierosolymarum fatali excidio, audita est vox clamantium, *Transeamus hinc*, ut narrat Hegesippus, *l.* 9. *c.* 49. Quòd autem solebant porro carminibus certis, quum obsidione premerent civitatem quampiam, Tutelares ejusdem Deos evocare, docet ex professo Macrobius, *Saturnal. l.* 3. *c.* 9. Atq; ibidem insuper carmen ipsũ istiusmodi evocationis recenset.

Quocircà in occursum utriusque infortunii quod posset contingere, uno modo, sicut & alibi notavi, validissimis vinculis constrictos suos Deos tenebant, teste Plutarcho *in Qu. Rom.* & Q. Curtio, *l.* 4. Alio, celabant eorum nomina, silentio penitus obruentes, nè incantantium forinsecus illecebris obnoxia paterent. *In oppugnationibus,*

ait

ait Plinius Hist. *l.* 28. *c.* 3. *ante omnia solitum à Romanis sacerdotibus evocari Deum in cujus tutelâ id oppidum esset --- Constátque ideò occultatum in cujus tutelá Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent.* Addit Sempronius de eâdem Româ loquens, in *l. de Divis. Ital.* quòd vel ob hanc causam igitur, nec verum ejus nomen, nec nominis origo cuiquam mortalium unquam innotuit.

Tam sollicitè cauti erant prisci Gentiles in conservando patrios suos Deos, ne aut ultro evolarent, aut aliter subdolis hostium artificiis abducerentur: Atque tales fortè erant Jebusitis (aut si non erant, saltem ut nunc, posuimus fuisse) cæci isti & claudi civitatis suæ custodes. Verùm non talis noster, quod gaudendum est, omnipotens Deus, nec *claudus*, nec *cæcus*, nec *dormiens*. *Non dormitat custos noster: Ecce non dormitat neque dormit custos Israel,* Psal. 121. v. 3, & 4.

Excurs. LXXXVIII.

2 Sam. *6*. v. 14. *Et saltabat totis viribus ante Dominum: Porro David erat accinctus Ephod lineo.*

QUòd musicam & musica instrumenta adhibuerunt veteres (pro more) in divini cultus exercitio, id satis constat ex scrip-

toribus

toribus tum sacris, tum profanis, quod postea debito & suo in loco ostendemus; Sed de saltatione non adeo usquequaque patet in usu eam fuisse inter sacrorum solennia; tametsi hìc David, (quod certum est) in maximo religionis opere, cùm nempe Arcam Dei in locum quem ei parasset comportaret, talem omnino gestum repræsentavit. Fecit id quidem quod derisit uxor Michol, sed fecit tamen quod valde complacuit Domino. Nudavit saltando invenustas corporis partes, at magis inde syncerum animi affectum conspicunm Deo reddidit.

Habuerunt quoque Ethnici assuetos saltandi modulos, quibus Deos suos demereri summopere studebant; Nil opus est ut Saliorum ancilia Martis gestantium Pyrrychiam quasi saltationem, eo fine planè à Romanis institutam, in medium adducam, de quâ copiosè satis D. Halicarnass. *l.* 7.

Tum Salii ad cantus incensa Altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis. Æn. 8.

Salissubulos vocat Catullus:

Sic tibi bonus ex tuâ pons libidine fiat
In quo vel Salissubuli sacra suscipiunto. Nec rursus necesse est ut Historicos ludos cum obscænis gestibus motibúsque corporis recenseam, ad placandam cælestium numinum iram, sævæ pestis occasione inductos primitus, ut tradit Livius *l.* 7. *c.* 2. Nec denique ut cum Cornel. Agrippâ *c.* 18. censum ineam, vel nomenclaturam quodammodo faciam eorum

orum qui saltandi morem religiosis suis actibus apposuerunt, Corybantum in Phrygiâ, Curetum in Cretâ, Brachmannorum in Indiâ: aut cui numinum, & quali ritu peculiari atque proprio, quod præstat Athenæus Deipnosoph. *l.* 14.

Succinctè & verbo quasi rem omnem expedit Lucianus in *l. de Saltat:* εὖ λέγειν ὅτι τελετὴν ἀρχαίαν ὀυδεμίαν ἐστὶν εὑρεῖν ἄνευ ὀρχήσεως --- *Mitto illud, apud veteres nullas fuisse celebratas festivitates aut ceremonias citra saltationem*: Rationem ibidem subnectit; Ὀρφέως δηλάδη, καὶ Μουσαίου, καὶ τῶν τότε ἀρίστων ὀρχηστῶν καταστησαμένων ---- *quippe quòd Orpheus & Musæus optimi tunc saltatores religionem constituerunt.* Plausibiliorem aliquantò affert Servius in Virgil. Eclog. 4.

Vina novum fundam calathis arvisia nectar,
Saltantes satyros imitabitur Alphesibæus.

Hæc tibi semper erunt—&c. Ut in religionibus saltaretur, inquit, *hæc ratio est. Nullam majores nostri partem corporis esse voluerunt qua non sentiret religionem; nam cantus ad animum, saltatio ad mobilitatem corporis pertinet.*

Morem ejusmodi, ut nimis lascivum, & Christiana sacra minùs decentem nequaquam probo. Sed rursus recessum illum incivilem & rudem prorsus, quo in contrarios actus descivimus, non possumlaudare: Nullâ adhibitâ gestûs cæremoniâ, nullâ decorâ

cor-

corporis conformitate, irruimus potiùs in ſacrata loca quàm intramus, quaſi nullum omnino Deo (quod priùs,) obſequium corporis, ſed tantùm ſpiritûs & internæ ſc. mentis cultum deberemus.

Excurſ. LXXXIX.

2 Sam. 6. v. 19. *Et diſtribuit toti multitudini Iſraelitarum tam viris quàm mulieribus, cuique tractam panis unam, & fruſtum carnis, & lagenam.*

REgaliter ſanè & munificè hìc tractat ſuos ſubditos David, quod & iterum habemus commemoratum, 1 *Chron.* 16. v. 13. Vix aut ne vix ullos prætereà inſequentum principum comperiemus feciſſe ſimiliter; non quod æquè munifici non fuerunt forſitan, (quis illud negat?) ſed quia non eundem omnes, quantum ullibi legere eſt, publicæ largitionis modum cum Davide obſervârunt, ſic diſtributim & per portiones certas ſua munera in populum erogandi: Quam tamen conſuetudinem inter veteres valuiſſe olim, nemo niſi rerum geſtarum planè tyro ignorat.

Quid enim aliud ſibi velint *Donativa* & *Congiaria* illa, principum munifica dona, de

de quibus tam multa apud Authores passim. Quamvis propriè loquendo aliud quid *Donativum* sonat, aliud *Congiarium*: *Donativum* erat militum tantùm; *congiarium* reliquæ promiscuè plebis, ut succinctè discrimen explicat C. Tacitus *Annal. l.* 12. *c.* 9. Et quia de congiariis tam opportunè incidit sermo, libet aliqua de iis ex Suetonio, ex eóque tantùm, ne pedem ultrà in præsens movendo, annotare. Nemo meliùs, nemo luculentiùs rem expediet.

Tria ille largitionis genera notat, quibus solebant principes populum donare, licèt ea permixta sæpius & conjuncta; *viscerationis*, *epuli*, & *congiarii*. *Adjecit epulum ac viscerationem*, in *vitâ Jul. c.* 38. *Visceratio* nimirum crudæ carnis distributio erat; *Epulum* discumbentibus, aut cœna, aut prandium dabatur. *Prandium deinde mille mensis, & congiarium trecenos nummos viritim dedit.* Tiber. *c.* 20. Hoc est quod alibi diverso nomine *Missilium* indigitat, in Caligul. *c.* 18. *Sparsit & missilia variarum rerum*—— σφαίρια σμικρὰ γεγραμμένα, utì vocat Xiphilinus in Neron. *Tesseras* hìc noster in eodem, *c.* 11. quibus sc. inscribebantur tituli rerum dividendarum, & prout quisque collegerat, ita ostenso postea Symbolo res accipiebant. Colligit ac proponit tria ista simul, in *Domitian. c.* 4. *Congiarium nummorum trecentorum ter dedit, atque inter spectacula muneris largissimum epulum: Septimontiali*

tiali sacrorum quidem, Senatui equitique panariis, plebi sportellis cum opsonio distributis, initium vescendi primus fecit.

Ex quibus singulis, si rite inter se conferantur, facilè patebit, *visceratiōnem* in crudis opsoniis, *Epulum* in assis coctisve, *congiarium* in notulis seu tesseris rerum distribuendarum constitisse. In primo omnino genere ponenda est hæc Davidis largitio, ut qui non rectâ cœnâ sive convivio populum accepit, nec rursus tesseras tantùm rerum recipiendarum tradidit, sed ipsas crudè carnes unà cum vino cæterísque portionatim divisis, unicuique è populo domum ferendas impertivit.

Qualiscunque fuit, gratias Christo Domino qui præclariùs longè convivium populo suo exhibendum moriturus reliquit, non carnis bubulæ, aut vini omphacini, aut aliûs denique cujuscunque crassioris pabuli, sed *carnis* & *sanguinis* proprii, quibus, si quando, abunde saturati, non est quòd lautissimis regum epulis quicquam invideamus.

Excurs.

Excurs. C.

2. Sam. 8. v. 5. *Factíque sunt Moabitæ Davidis servi offerentes munera.*

NOn operam & oleum perdam fortassis, si locutionis hujus originem verámque rationem paucis discutiam; Exhibetur hic idem loquendi modus infrà *v. 6. Fuerúntque Syri Davidis servi, offerentes munus.* Sic etiam 1. *Reg. 4. v. 21. Salomon autem erat dominus super omnia regna, à flumine terra Philistæorum usque ad terminum Ægypti; afferebant munera & serviebant Salomoni omnibus diebus vitæ ejus.* Vulgata reddit priora duo loca *Tributi* vocabulo, quòd sc. tributum afferebant. Sed non adeo rectè forsitan; ξένια habent Septuaginta utrobique: Aliud verò est xenium, aliud tributum. Xenia propriè erant dona, qualia hospes olim hospiti, initæ amicitiæ quasi pignora tribuebat usitatissimè. ——— οἷα φίλοι ξεῖνοι ξείνοισι διδῶσι. Hom. *Odyss.* 1. Hujusmodi fuerunt ea, quibus regina Sabæorum Salomonem munificè impertiit, 2. *Chron.* 9. hospitio nuper ab eo regaliter accepta.

Xeniorum in hoc vel non absimili sensu frequens apud Xenophontem mentio occurrit, ubicunq; circumvicinæ gentes redeuntem per suas regiones bellicosam Græcorum manum

num missis muneribus excipiunt, ad amicitiæ fœdus eos pellicientes: Σιωπεῖς ξένια πέμπουσι τοῖς Ἕλλησιν --. Euped. *l.* 6. *Siopenses mittunt Græcis hospitalia munera.* Deinde paulò post, Ἐνταῦθα τοῖς Ἕλλησιν οἱ Ἡρακλεῶται ξένια πέμπουσιν· *Mittunt huc Græcis Heracleenses hospitalia munera.* Καὶ τὰ ξένια ἃ ἧκε παρὰ τῶν Τιβαρηνῶν, οὐκ ἐδέχοντο· *Munera verò quæ à Tiberanis mittebantur, non accipiebant.*

Hoc modo & juxta hanc consuetudinem donandi invicem munera, Ἐδέξατο (Αρέτας) τὸν Γάλλον φιλικῶς, καὶ δῶρα προσήνεγκεν, ait Strabo, *l.* 16. *Gallum* (Romanorum ducem) *amicè suscepit* (Aretas) *& dona obtulit.* Καὶ οἱ Ἰνδοὶ προκηρυκευσάμενοι πρότερον φιλίαν, τότε ἐσπείσαντο, δῶρα πέμποντες --- *Indi pacem quam antea per oratores petierant, tunc interposito fædere, sanxerunt* (cum Augusto) *dona mittentes.* Eodèm planè spectat, quod & eodem ferè tempore contigit, donorum oblatio, *Math.* 2. *v.* 11. quæ Magi ab oriente in cultûs & obsequii testimonium attulerunt Christo Salvatori nostro. *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.*

Atqui dicet aliquis, præmissis non obstantibus, quòd servi hìc fuerunt Davidis Moabitæ, victi, domiti ab eo, ideo tributarii, tributáque adeo, non dona ad eum ferebant. Utrunque potuerunt facere satis bene,

bene, si res bene distinguantur. *Philistai afferebant Jehosaphat munera, & vectigal argenti*, 2. Chron. 17. v. 11. ταῦτα μὲν ὦν τοι δῶρα πάρεξ τοῦ φόρου βασιλεῖ ἐκόμιζον---. *Hæc (Arabes) dona*, (ait Herodotus *l.* 3. *c.* 97. diversimoda ibidem enumerans) *præter tributum regi portabant.* Et Thucydides *l.* 2. apertè distinguit inter φόρον & δῶρα, *Tributa* & *munera*, quæ utraque, ut narrat ille, Sitalcas rex Thracum capiebat annuatim ex subjectis sibi ditionibus. Sic igitur & Moabitæ tributum, nihil dubii est, pendebant Davidi, tanquam servi ejus & subditi: Sed, quod initio dixi, dona quædam prætereà, quæ ultro & sponte forsitan, benevolentiæ suæ magis testandæ gratiâ offerebant, hìc in Textu designantur.

Excurs. CI.

2. Sam. 8. v. 2. *Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo, coæquans terra.*

PHraseos sive dicti illius rationem, *Psalm.* 60. *v.* 8. *Moab pollubrum est, supra Edomæum projiciam calceum*, sensu haud longè ab hoc in Textu dissimili, prorsus non inquiro. Peculiaris quippe locutio est, si conferatur cum *vers.* ibi sexto, & Hebraica pla-

pè, nisi quòd quantùm ad priorem clausulam, Plauti illud in *Mosch.* *Act.* 2. *sc.* 1. videatur eam quadantenus attingere---, *Jam ego vos pro matulâ habebo*: Rursus in *Pers.* *Act.* 4. *sc.* 3. loquens de homine abjecto, vili, adeóque nihili,

Nunquam ego tam matulam esse credidi;
Quid times? ---. Et quantùm ad posteriorem, per quam extrema Moabitarum subjectio insinuatur, illud Trogi *l.* 12. ubi Alexandri Magni auspicatissima cœpta deprædicat: *Nullam urbem*, inquit, *obsedit quam non expugnaverit, nullam gentem adiit quam non calcaverit.*

Sed missis his, res est jam de divisione agrorum Moabiticorum per schœnum vel funem: Cujus consuetudinis, satis usitatæ, saltem in bello occupatis terris dividundis habetur & alibi mentio, *Psalm.* 77. *v.* 55. *Ejecit à facie eorum gentes, & sorte divisit eis terram in funiculo divisionis.* Sic *Am.* 7. *v.* 17. *Filii filiæque tui in gladio cadent, & terra tua funiculo dividetur.* Atque in hoc more etiam commemorando crebri sunt scriptores exteri. *Fines dicti*, ait *Isidorus Hispalensis Etymol.* *l.* 15. *c.* 14. *eò quòd agros funiculis olim diviserant.* Veritatem rei agnosco, sed etymologiam verbi vix defenderim.

---- Ἐγὼ δέ τοί οὔ τι μεγαίρω,
Δώσω σοι Τεγέην ποσσίκροτον ὀρχήσασθαι
Καὶ καλὸν πεδίον σχοίνῳ διαμετρήσασθαι,
— *Tibi ego haud invidero quidquam,*
Saltandam Tegeam plantâ plaudente daturus,

Utque

Utq; queas campum metiri fune feracem. Herodot. ex *Oracul. Apoll. l.* 1. *c.* 66.

Finitores autem vocabantur qui agros hoc modo dividebant sorte possessuris, ut Nonius tradit in *verb.* eorúmque sæpius meminit Cicero in orat. *de Leg. Agrar.*

Ejus nunc regionis limites, confinia

Determinabo, ei rei factus sum finitor. Plaut. in *Pœnul.* σχοῖνον verò appellabant funiculum quo fiebant divisiones istiusmodi: μέτρον δ' ἐστὶ τοῦ ὁδοῦ μεχρὶ νῦν, *Nomen mensuræ viarum hoc est hactenus*, ut habet Athenæus *l.* 13. Nec enim, uti videtur, ad agrorum tantùm partitionem utebantur funiculis, sed quod & adhuc faciunt, in viarum limitibus constituendis. Inde *Parasangæ* —— *Astari*, *Schœni*, dimensionum nomina ad vias spectantium, quod docet præfatus Athenæus in *loc. ubi suprà.*

Atque hinc denique ex his & similibus, clariùs (forsan) aliquantulùm elucescit intellectus Apostoloci illius dicti 2. *Cor.* 10. *v.* 13, 14. quid sibi velit, & quâ ratione loquendi subnixus adhibuit.

Nos non gloriabimur de iis quæ mensura nostra non sunt, sed secundùm modum nobis ad regulam dimensum, i. e. ejus quam distribuit nobis Deus mensuræ; gloriabimur nos pervenisse ad vos etiam usque;

Non enim ac si non pervenissemus usque ad vos, extendimus nos ipsos ultra quam deceat &c. Ubi ad Agrarias ejusmodi dimensiones quales

prænotavimus, fune aut perticâ fieri solitas, collimâsse sermone suo Apostolum, planum æquè est ac quod planissimum.

Excurs. CII.

2 Sam. 11. v. 10. *Fuit autem vespertino tempore quum surrexisset David à cubili, & obambulans in tecto domûs regiæ mulierem lavantem se vidisset*——.

SUrgens è strato David, ubi socors meridiasset aliquamdiu, ascendit statim ad sublimia domus suæ; Ita luxum plerunque consequitur ambitio, nec facilè modesta aut humilia spirant, quos luxuriæ contagio semel infecit. Sed ascensus iste Davidis gravissimæ ejus, proh dolor! prælusit ruinæ: Ascendebat enim tantùm ut caderet, visâ inde, tanquam è speculâ, Bersheba Uriæ uxore, quam illico deperiit.

Verùm quomodò potuit, quis dicet, rex David Bershebam inde despicere? Aut quomodò reverâ omnino in tecto sive extimâ domûs superficie consistere? Nisi fortè Schœnobaten fuisse, vel funambulum, vel hujusmodi quempiam ponamus. Quanquam & hoc alibi sæpius factum reperiamus licet, aut saltem quod non longè abit, *C. 16. v. 22.* *Tetende-*

Tetenderunt Absoloni tentorium super tecta ejus, (ἐπὶ τὸ δῶμα) *Jud.* 16. *v.* 27. Erat domus plena viris & mulieribus — *Super tectum autem* (ἐπὶ δώματος) *quasi tria millia virorum & mulierum, qui spectabant quando luderet Samson. Jer.* 19. *v.* 13. *Et erunt domus Jerusalem domúsque regum Judæ, ut locus Topheti, immundissimæ, omnes domus illæ super quarum tecta* (ἐπὶ δωμάτων) *adoleverunt toti cælorum exercitui.* Et hinc planè affulget lux aliqua Salvatoris illi dicto, *Mat.* 10. *v.* 27. *Quicquid dico vobis in tenebris, id vos dicite in luce, & quicquid in aures vestras audistis, prædicate in tectis.* Sicut & illi Evangelistæ Lucæ de Petro loquentis, *Act.* 10. *v.* 9. *Ascendit autem Petrus in superiora domus ut oraret.* Δῶμα vox est ubique, quæ in his & hujusmodi locis nec totam, nec adeo qualemcunq; domûs partem denotat, sed ipsam planè summitatem.

Ut hæc quæ dicta sunt hactenus, clariùs aliquantulùm intelligantur, sciendum est alium fuisse morem exstruendi domos inter Judæos, quàm qui apud nos in usu est, docente Hieronymo *in Ep. ad Suniam & Fretel.* Cui suffragatur *Anselmus* super *Math.* 10. Ibi sc. fiebant tecta desuper plana, & ad libram quasi depressa, non in cacumen surgentia, sicut nostra solent. Quin porro, & muro quodam seu loricâ quâdam cingebantur, ut homines ibidem securiùs ver-

saren-

sarentur, jubente id Domino, *Deut.* 22. *v.* 8. *Cùm ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tuâ, & sis reus, labente alio, & in præceps ruente.* Sic domuum suarum, sic etiam Templi forsitan habebant munita fastigia: & ad hunc modum argutè conjiciunt aliqui, (quàm verè haud dixerim,) peribolis seu clathris vallatum fuisse pinnaculum illud, super quod sublatum Salvatorem nostrum Diabolus constituit, *Math.* 4. *v.* 7.

Pauca hujusmodi structuræ vestigia, & quidem quàm pauca, reperiemus notata à scriptoribus Ethnicis: Subinnuit aliquid huc spectans Vitruvius de Ægyptiorum ædificiis loquens, *l.* 6. *c.* 10. Apertiùs aliquantulùm D. Halicarnassensis *l.* 10. Οἱ δὲ τὰ ςέγη τῶν οἰκιῶν κατεῖλον ἅμα γυναιξὶν ὡς ἀπὸ τούτων ἀγωνιζόμενοι ---- *(Romani) vero unà cum fœminis domorum tecta occupârunt, ex iis contra ingruentes (Sabinos) pugnaturi.*

Evado ad summi fastigia culminis, unde
Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.

Æn. l. 2. Atque huc congruè Æsopus in fabulâ quadam suâ, ubi hœdum introducit ἐπὶ τινὸς δώματος ἑςότα, καὶ ---- *Stantem nimirum super tecto domus, & inde lupo,* (quod poterat) securiùs convitiantem. Sed planissimè omnium *Euripides, Helen. Act.* 2. ex personâ ibidem Menelai naufragi & mendici;

Ἰδὼν

Ἰδὼν δὲ δῶμα περιφερὲς θριγκοῖς τόδε,
Πύλας τε σεμνὰς ἀνδρὸς ὀλβίου τινὸς,
Προσῆλθον -----.

-*Conspicatus itaq; altis rotundam pinnis domum*
Hanc, portásq; opulenti cujusdam viri,
Accessi ———.

In tali igitur omnino crepidine suæ domûs, pro more Judaicæ tunc structuræ præcipuè usitatâ, spatiabatur hic David; Et sicut ab initio observavi, quod ad luxum & delitias condiderat ornaveratq;, (Ea etiam nostrorum inanium Mechanematum plerunque sors est) id tandem ad jacturam castitatis & turpe prorsus famæ suæ dispendium concessit.

Excurs. CIII.

2 Sam. 13. v. 18. *Erat autem induta (Tamar) tunicâ versicolore; sic enim induebantur filiæ regis virgines.*

NOn occurrit semel ejusmodi locus Scripturæ, in quo vestium diversicolorum fit mentio. *Gen.* 37. *v.* 3. *Israel autem diligebat Josephum præ omnibus filiis suis, eò quòd filius ipsi esset in senectute natus, fecerátque ei tunicam versicolorem.* *Jud.* 5. *v.* 30. *Forsan nunc dividit spolia — vestes diversorum colorum traduntur Siseræ in prædam, & supellex varia ad*

ad ornanda colla congeritur. Ejuſdem ſimiliſve texturæ fuit proculdubiò veſtis illa Babylonica quam Achan clàm ſurripuit, *Joſh.* 7. *v.* 21.

Erant, uti videtur, veſtes multicolores, ſive acu pictæ more Phrygionico, ſive aliter diverſimodis ſegmentis intertextæ, in uſu plurimo apud orientaliores præcipuè populos: Etiam inſuper in deliciis & honore maximo, utpote quas non tam privati & è plebe homines, quàm principes & primores populi, ſive luxûs, ſive diſcriminis alicujus cauſâ, plerumque geſtabant. Δημόκριτος ὁ Ἐφέσιος --- διηγούμενος περὶ τῆς χλιδῆς αὐτῶν, καὶ ὧν ἐφόρουν βαπτῶν ἱματίων, γράφει καὶ τάδε. τὰ δὲ τῶν Ἰώνων ---. *Democritus Epheſius cùm memoraſſet Epheſiorum mollitiem ac luxuriam, veſtéſque ab iis variis coloribus infectas geſtari, hac tandem ſubnectit; veſtes Ionum purpurei coloris fuiſſe & violacei, tum etiam croceas intextis rhombis* —. *Athen. l.* 10. ποικίλην ἐνδυμενίαν, vocat Polybius *l.* 5. *Variegatum veſtitum*, de Ægyptiis ibi loquens.

Αὐτὴ δ' εἰς θάλαμον κατεβήσατο κηώεντα·
Ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν
Σιδονίων ---.

Ipſa autem (Hecuba) in thalamum deſcendit odoribus flagrantem,
Ubi erant pepli variè picti, opera mulierum
Sidoniarum

Sidoniarum —— *Il.* 6.
Δαιδαλέων ῥέξασα περὶ στήθεσι χιτῶνα.
Variam scindens (Hero) circa pectora tunicam. Musæ. Erotopægn.
Progreditur Dido magnâ stipante catervâ,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo. *Æn. l.* 10.

Hunc morem vestes polymitas seu diversi coloris gestandi, clarissimè imprimis oculis subjicit D. Siculus, ubi de Gallis loquitur, *l.* 5. Ἐσθῆσι δὲ χρῶνται καταπληκτικαῖς, χιτῶνας μὲν βαπτοὺς, χρώμασι παντοδαποῖς διηνθισμένους, καὶ ---. *Vestitus illis mirificus: Tunicas enim variis imbutas coloribus, ac seu floribus aspersas, caligasque, (braccas illis nominatas) gestant: Saga etiam virgata* h. e. in virgarum modum, discoloribus currentibus colorum regulis & ductibus variegata.

Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis
Virgatis lucent sagulis —. *Æn.* 8.
—— *Nostrósque toros virgata tenebit,*
Et plaustro direpta nurus. Val. Flacc. Arg. l. 4.

Hoc itaque modo delectati sunt veteres diversicolorum usu vestium. Nec erant forsan culpandi: permittenda est quæque gens propriæ suæ vestitûs rationi. Sed tamen ut in civilibus verísque corporis indumentis concedi rectè potest ejusmodi variegatio, ita nequaquam in Christi inconsutili tunicâ, Ecclesiæ

clesiæ simplici & synceerâ doctrinâ erit toleranda. Procul omnino, procul esto malè consuta simul opinionum ista diversitas, quâ quot homines, tot penè religiones inter nos nuper succreverunt: Ne quod Deus longè antea præsago ore increpans damnavit, *Jer.* 12. *v.* 9. Ecclesia nostra *avi tinctæ & discolori* similis, prorsus à cæteris explodenda reddatur.

Excurs. CIV.

2 Sam. 14. v. 2. *Misit Joab Tekoam, & assumsit inde mulierem astutam, dixitque ei, age quæso lugentem, & indue te vestibus lugubribus, & esto sicut mulier jam dies multos lugens de mortuo.*

NEque nova aut hesterna est consuetudo illa, quâ venditantes quasi dolorem nostrum, quem ex amicorum obitu concepimus, externo eum corporis amictu indicamus; Nec rursus Judæorum populo tantùm adscita, quamvis in eâ servandâ, illi quidem, quod verisimile est, satis diligentes fuere, ut colligere est ex *Gen.* 38. *v.* 19. *Is.* 61. *v.* 3. sed ubique & inter omnes viguit. *Anthracinus*, inquit Nonius, *niger, à Græco ἄνθραξ, & est lugentium vestis.*

Γόσιν

Πᾶσιν δὲ Θεσσαλοῖσιν ὧν ἐγὼ κρατῶ,
Πένθος γυναικὸς τῆς δὲ κοινοῦσθαι λέγω
Κουρᾷ ξυρήκει, καὶ μελαμπέπλῳ στολῇ.
Omnes autem Thessalos quibus ego impero;
Hujus luctus jubeo esse participes,
Coma rasurâ, & pullis amiculis. Eurip. *in Alc. Act.* 4.
Πένθος γὰρ ἡμῖν ἐστὶ, καὶ κουρὰν βλέπεις,
μελαμπέπλους στολμούς τε ----
In luctu enim sumus, rasuram quippe vides pullumq; vestitum. Id. Μελανεικυείμονα vestem ejusmodi vocat Aristophanes in *Ran.* lepidâ utens verborum structurâ, *Act.* 5. *Sc.* 2. *Funestam vestem* Pacuvius.
Sed quænam est hæc mulier funestâ veste, tonsu lugubri? In *Amphytruone.*
Induitúrque atras vestes, & inane sepulchrum Constituit———. *Ovid. Metam. l.* 6.

Sed nec ipsi soli ad hunc modum atris vestibus induebantur, qui in luctu primas tenebant, quin etiam alii quotquot funus comitabantur, plebeii & pedissequæ cujuscunque ordinis. Primò, *Atrata plebes comparebat in funere Germanici,*—ut rem gestam enarrat Tacitus *Ann. l.* 3. *c.* 1. Lictores deinde, ad quos spectabat ex officio suo modum & ordinem exequiarum curare:

———*Dum ficus prima calórque*
Designatorem decorat lictoribus atris. Hor. *l.* 1. *Ep.* 7. Ipse denique efferendus ricinio vel nigro pallio integebatur, ταφήιον φᾶρος id appellat

pellat poetarum princeps, *Odyss.* 19. quale Laërti capulari seni, & in viciniâ Orci jam posito, Penelope ibi (ex more) in antecessum quasi parat.

——Nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesq;
Urgebam—*Æn. l.* 9.

Est ubi reperiemus nonnunquam & apud nonnullas gentes, etiam vestes albas in usu fuisse lugentibus, Plutarch. in *Quest.* Plato de *Leg. l.* 12. Sed quidem, ut mihi videtur, non congruâ satis similitudine quæ esse debet inter internum mentis habitum, & alterum illum externi vestitus; Lætitiæ enim istud potiùs indumentum est & jucundantis animi, nec tam dolorem utentium propriè, quàm luxum indicat. Tekoa hìc certè, quod verisimillimum est, quódque pro more gentis erat Judaicæ, pullas seu atratas vestes jussa est sibi assumere, ut sic fictitio saltem indutu, verum luctum meliùs assimularet.

Excurs. CV.

2 Sam. 18. v. 17. *Assumpseruntque Absolonem, & projicientes eum in sylvâ in quandam fossam magnam, statuerunt super eum cumulum lapidum magnum valde.*

QUo modo Achanem suprà, *Josh.* 7. *v.* 26. & regem urbis Hai c. 8. v. 29. eodem hìc Absolonem congesto ingenti lapidum acervo tumulârunt; utrosque apprimè noxios, quod constat, & vel ultimâ pœnâ meritò afficiendos: Non ita tamen fortassis, ac si in opprobrium, atque adeo posthumum quasi supplicium, (Absolonis præsertim,) tale aliquod fecissent; Neque enim credibile est Davidem patrem ejus longè amantissimum permissurum fuisse ut cumulus tam infamis usque consisteret, quem tamen diruisse eum postea, aut digniori aliquo commutâsse sepulchro, nusquam reperiemus.

Fecerunt itaque, utì verisimile est, juxta morem & receptam seculi consuetudinem in quo degebant, tunc quando lapideas hujusmodi congeries, non tam in dedecus vel infamiam, quàm in honorem defunctis cedere arbitrabantur. Ita Gentiles planè; Σωροὶ δ' ὑπὸ πόλιν λίθων εἰσὶ διεστηκότες ἐπ' ἀλλήλων.

λήλων· Ἐγενήθησαν δὲ ἐν πολέμῳ πεσοῦσιν ἀνδράσιν εἰς τιμήν. *Infra oppidum per intervalla sunt congestis lapidibus tumuli, quos in honorem peremptorum in prælio hominum factos apparet.* Pausan. *in Arcad.* Καὶ τὰ τοῦ Λαΐου δὲ μνήματα, καὶ τοῦ οἰκέτου ἑπομένου, ταῦτα ἔτι ἐν μεσαιτάτῳ τῆς τριόδου, καὶ ἐπ' αὐτῶν λίθοι λογάδες σεσωρευμένοι· *Laii certè & servuli qui eum sequebatur, sepulchra in medio extant, congestis in tumulum selectis lapidibus; Id. in Phocic.* Ἐὰν ἀποθάνῃ Γάλλος, οἱ ἑταῖροι ἀείροντες εἰς τὰ προάστεια φέρουσι, θέμενοι δ' αὐτὸν καὶ τὸ φέρετρον τοῦ ἐκόμισαν, ὕπερθε λίθους βάλλουσι. Postquam *Gallus quispiam mortuus est, socii sublatum in suburbana afferunt; Ibi deposito ipso & feretro quo elatus est, lapides supernè injiciunt, atq; retro domùm abeunt.* Lucian. *in Deâ Syr.*

Mos huic affinis, ejusdèmque planè prosapiæ is erat, quo vastos immensósque quodammodò terræ aggeres in loco, ubi demortuos sepelissent, extruebant, hôc plus honoris eis accedere autumantes, quò majorem telluris molem coacervassent; Eousque progrediente hominum in hoc genere luxûs ambitione, ut Plato in *l. de Leg.* 12. ejusmodi aggerum altitudinem lege definierit.

Πολύχωστον ἂν εἶχες τάφον ----
Exaggeratum valde sortitus es tumulum ----
Æschyl.



Oi

Οἱ μὲν ἐν χώστοις τάφοις
Κεῖνται πεσόντες.
Alii quidem in aggestis tumulis
Jacent mortui. Eurip. in *Ref.* Et hinc χῶμα Græcè loquentibus, idem quod *sepulchrum*, ut nulli non cognitum est; χώματα μεγάλα ἃ καλοῦσι τάφους. *Athen. l.* 14.

Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus --- *Æn.* 3. Et rursus *l.* 11.
--- *Fuit ingens monte sub alto*
Regis Dircenni terreno ex aggere bustum.

Verùm, ut illud repetam quod sub initio attigi, & ibi consistam; Fatendum est nonnunquam, etiam sontes imprimis, ad hunc modum tumulare consuevisse; supplicii cujusdam peculiaris argumento. Sic Juliani mortem ægrè ferentes Carreni, *lapidibus* statim *obruerunt nuntium*, *ingentémque præterea lapidum acervum super extinctum excitarunt*, ut narrat Sosymus *Hist. l.* 3. Aliàs, sepultorum jampridem busta lapidare solitos, in contemptum atque infamiam mortuorum, si nempe infames vixissent;

Quisquis amas, scabris hoc bustum cædito saxis,
Mistáque cum saxis adjice verba mala.
Propert. *l.* 4.
πέτροις τε λεύει μνῆμα λάϊνον πατρὸς.
--- *Insultat monumento,*

Saxisque petit saxeum bustum patris. Euripid.

Sed hoc, ut dixi priùs, non erat Absolonis fatum, quamquam rebellis & improbi, tamen honoratiore donati sepulturâ: cùm si nefaria ejus commissa adversùs patrem principémque simul, æquâ in lance perpendantur, meruerat certè (quod & usque merentur consimilis vesaniæ pestifera ubicunque terrarum capita) ut non tantùm mortuus, sed etiam vivus lapidibus obrueretur.

Excurs. CVI.

2. Sam. 18. v. 18. *Porro Absolon erexerat sibi cùm adhuc viveret statuam quæ est in valle regis: Dixerat enim, Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei.*

FEcit id in vitâ suâ Absolon sibi statuam erigendo, quod sorsan rectiùs hæres illius, vel alius quispiam defuncto præstitisset; Nec enim certè ullâ aliâ id fecit ratione, quàm ut memoriæ suæ in posterum consuleret, quod & in ipso Textu apertè profitetur. Nimirum talis erat antiquis mos consecrandi posteritati defunctorum memorias: Non tantùm in sepulchris condebant mortuos, quò

quò eos *è vivorum conspectu* eximerent, quod dicitur *Gen.* 23. *v.* 24. sed columnas vel statuas insuper, sicut nos hodiè cippos, duraturæ monumenta famæ imponebant, facta & nomina mortuorum incisa continentes. *Erexitque Jacob columnam super sepulchrum ejus; hæc est columna Rachelis usque in præsentem diem, Gen.* 33. v. 20.

Frequens est in hujusmodi statuis commemorandis Pausan. in *Attic. sive* περιήγησ· *l.* 1. Tali monumento (nec enim honoratiori poterant) ornarunt trecentos illos simul, qui sub Leonidâ duce contra Persas fortiter pugnantes ad Thermopylas occubuerunt. Καὶ νῦν τὸ πολυάνδριον ἐκείνων ἐςὶ, καὶ ςῆλαι, καὶ ἡ θρυλλουμένη ἐπιγραφὴ τῆ Λακεδαιμονίων ςήλη --. *Etiamnum polyandrium eorum extat, ac columnæ, & inscriptio columnæ Lacedæmoniorum illa, omnium ore decantata. Strab. l.* 9. Πλὴν τὰ πρὸ τῶν πόλεων ἐκεῖνα τὰ χώματα ὁρᾷς, καὶ τὰς ςήλας καὶ πυραμίδας; ἐκεῖνα πάντα νεκροδοχεῖα καὶ --- *Cæterùm tumulos illos ante urbes vides, tum columnas & pyramidas? Omnia illa mortuorum sunt receptacula, cadaverúmque tentoria.* Lucian. *in Char.* Rem totam, unà cum ratione rei annexâ succinctè tradit Servius ad illud Virgilii Æn. *l.* 11,

Fuit ingens monte sub alto
Regis Dircenni terreno ex aggere bustum.

Apud majores, inquit, *nobiles aut sub montibus,*

aut in montibus sepeliebantur, undè natum est ut super cadavera aut pyramides fierent, vel ingentes collocarentur lacunna.

Columnas porro ad hunc modum super tumulis excitatas solebant ornatûs gratiâ sertis & corollis prætexere. Ἔστι δὲ οὐ πολὺ ἀπὸ τοῦ Διπύλου οὐ μέγα τὸ χῶμα, καὶ ἡ στήλη χαμαὶ, πλὴν ἀλλ' ἐστεπται γε ἀεί. *Est autem non procul ab ædibus Dipyli tumulus non magnus, & statua humi sita, verùm subinde recentibus sertis redimita.* Lucian. in *Scythâ*. Simile quid iterum habet in *Dialog. de mercede conducto.*

Μὴ μύρα στήλῃ στεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου,
Ζῶντι μοι, εἴτι θέλεις, χάρισαι --
Non unguentum, non coronas lapideis columnis exhibe;
Viventi mihi, si quid voles, præsta -- Antholog. *l.* 2. *c.* 47.

Erat denique ubi vice columnarum, *Hermas*, *Aras*, & similia (nisi si & hæc quoque columnis accensenda sint) subjectis tumulis inædificabant. *In eo monumento solium porphyretici marmoris, superstante lunensi Arâ.* Sueton. in *Neron. c.* 50.

Ex quo relliquias, divinaque ossa parentis
Condidimus terra, mæstasque sacravimus Aras.
Æn. *l.* 3.

Quàm propè accessit, vel rursus aliquà demutavit, in bustuariis hujusmodi substructionibus nostra ætas, non tanti est ut per singula

gula scrupulosiùs inquiram; Pro certo illud sumendum est, quod, si quid luxuriæ aut ineptæ vanitatis apud veteres eminuit, idneque hìc nec aliàs imitando effingere, missum fecimus.

Excurs. CVII.

1 Reg. 2. v. 2. *Ego ingrediar viam universæ terræ, confortare, & esto vir.*

EXuturus jam statim mortalis suæ vitæ conditionem rex David, molliore quodam & apto quidem utitur vocabulo, non mortem appellans mutationem hujusmodi, sed è vitâ migrationem. Abeo, inquit, vel *ingredior viam universæ terræ*; Sic ante eum Joshua, *Josh.* 23. *v.* 14. & post eum filius ejus Salomon, *Ecclesiast.* 12. *v.* 5. *Quoniam abit homo in domum æternitatis suæ —.*

Nec verò illi tantùm, aut alii quotquot sanctioris eloquii normam servantes ita locuti sunt; Eundem sermonis tenorem tenuerunt quoque profani scriptores quàm sæpissime, dum aut tristem è vitâ exitum edulcare quasi dictionis mollitie; aut, quod res est, ipsam mortis veram conditionem sic exprimere conantur.

Εἰ γὰρ ὑπολείψομαι, ἢ πρὸς ἀλγείας νόσον

κτήσῃ τιν', οἰχόμεσθα ---
Si enim me deseras, aut morbum assiduitate
Aliquem tibi concilies, perjimus.

Euripid. *Orest. Act.* 1.

Ὑμεῖς δὲ τὴν θανοῦσαν, ὡς νομίζεται,
προσείπατ' ἐξιοῦσαν ὑστάτην ὁδόν.
Vos autem, consuetum ut hactenus fuit,
Linguâ prosequimini extremâ exeuntem viâ.

Id. in Alcest. Act. 3.

Εἰσέτι νῦν γὰρ ἄγος Κόλχοισιν ὄρωρεν
Ἀνέρας οἰχομένους πυρὶ καίομεν ---
Nam in hodiernum usque religioni est Colchis
Discedentes mares igni exurere --- Apoll. Rhod. *l.* 3.

Τί δ' ἐστιν; *Quid verò est?*
βέβηκεν; *Obiitne?* Sophocl. *Ædip. Col.*
Βέβηκεν, οὐκ ἔτ' ἔστιν Ἀδμήτου γυνή.
Excessit, non est ampliùs Admeti uxor.

Eurip. in *Alcest.*

Ea mortem obiit, è medio abiit. Terent. Phorm. Act. 5. *sc.* 9. *Cæsar cùm Britanniam peragraret, nec Oceano fœlicitatem suam continere posset, audivit decessisse filiam*, h. e. mortuam esse. Senec. *Consol. ad Marc. c.* 14.

Passim se ingerunt attentè veteres perlegenti ejusmodi locutiones. Sed quid pluribus opus sit, cùm Tertullianus *l. de Testim. Anim. c.* 4. communiter & loco proverbii usurpatum antiquis memorat, quoties de nuper defunctis sermonem haberent, *Abiit jam, & reverti debet.* Maximè verò & in genuino

præcipuè

præcipuè ſenſu tunc uti licebit, quando de bonorum exitu mentio intervenerit. Siquidem illorum reverà finis, οὐκ ἐκφορὰ, ἀλλὰ προπομπὴ, (quomodo amabant loqui veteres Chriſtiani) non tam mors dicenda ſit, quàm decedentium commigratio. Rectè Philo in verba illa Dei ad Abrahamum, *Gen.* 15. *v.* 15. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bonâ*-- Δογματικῶς δὲ τὸν ἀστεῖον οὐκ ἀποθνήσκοντα, ἀλλ' ἀπερχόμενον εἰσήγαγεν, ἵν' ἄσβεστον καὶ ἀθάνατον --- *Ineſt dogma*, inquit, *his verbis, bonum virum non mori, ſed abire, ut oſtendat inextinguibile & immortale genus perpurgatæ animæ, quæ hinc in cœlum proficiſcitur, abſque diſſolutione & corruptione quam mors videtur inducere.*

Faxit Deus, ut cùm fatalis illa & ultima ſupra caput ſteterit hora, talis mihi & tam optabilis contingat animæ à corpore ſeparatio, in quâ non tam vitæ meæ, quàm mortalitati tantùm finis imponatur; nec itaque tam propriè mori tum dicar, quàm exire.

Excurs. CVIII.

1 Reg. 2. v. 19. *Venit ergo Bersheba ad Regem Salomonem, & sedit (rex) super thronum suum, positúsque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus.*

NEmini dubium esse potest, quin honoris ergô atque majoris reverentiæ causâ matrem hic à dextrâ suâ sessuram Salomon locavit. Quippe ea semper fuit dexteræ opinio apud veteres, ut sive in sessu, sive etiam in incessu, ubique fere præponeretur. Utrùm verò ea dignitas naturæ alicujus insitæ privilegio assignari debeat, Διὰ τὸ ἰσχυρότερον εἶναι τὴν φύσιν τῶν δεξιῶν, *quia dextera pars sit omnino majoris roboris,* quod docet Aristoteles de *Partib. Animal. l. 3. c. 9.* An forsan aliunde, & ex solâ hominum consuetudine initium cepit, id non multùm laboro; Philosophicas rationes mitto, factum probare aggredior.

Suetonius in Nerone *c.* 18. ad rem aptissimè. *Tiridatem,* inquit, *perductum in theatrum, ac rursus supplicantem, juxta se latere dextro collocavit.*

Hic magnus sedet Æneas, secúmque volutat
Eventus belli varios, Palláśque sinistro

Affixus

Affixus lateri———. *Æn. l.* 10.

τὸν χορὸν ὡ᾽πόλλων, ὅτι οἱ κατὰ θυμὸν ἀείδει,
Τιμήσει, δύναται γάρ, ἐπεὶ Διῒ δέξιος ἧσαι.

Quum chorus ad votum cantârit, Apollo decôrem
Addet, namq; potest, dexter quando assidet alto
Ille Jovi———. Callimach. *in Apoll.*

Nec porro mos alius incedentium erat, quàm fuit, uti dixi, sedentibus: locus qui à dextrâ est ibi quoque honoratior habebatur;

Divitis hic servi claudit latus, ingenuorum,
Filius—. Juven. *Sat.* 3. *Clausit latus*, h. e. à lævâ comitatus est, & honoratiore loco decessit. Suetonius in Claudio *c.* 22. *A. Plautio ovationem decrevit, ingressoq; in urbem obviàm progressus, & in Capitolium eunti, & inde revertenti, latus texit. Eutropius* autem de re eâdem loquens, *Triumphum ipse prosecutus est, & Capitolium conscendenti lævus incessit.*

Ita sedebant, itàq; incedebant, ut qui digniores censerentur dextram utrobique obtinerent. De tali nempe hominum congressu loquimur, ubi simul convenientium numerus binarium non excessit. Alioqui si tres vel plures convenissent, medius præ reliquis locus honestior aliquantò judicabatur. Cæsar, Lepidus, & Antonius, narrante Appiano, Ἐς τὸ μέσον ἧεσαν ἐν τῷ περιόπτῳ, καὶ συνήδρευεν οἱ τρεῖς, Καῖσαρ ἐν μέσῳ ---- *Progressi in medium locum conspicuum consederunt soli hi tres,*

tres, Cæsar propter magistratum in medio. De Bell. Civil. l. 4. Ita & Sylla cum Ariobarzanem Cappadocum regem & Orobazum Parthorum legatum venientes in consilium exciperet, μέσος ἀμφοῖν καθεζόμενος ἐχρημάτιζε, *Medius inter duos sedens audientiam dedit*, quamvis non sine superbiæ aliquâ aspersâ labe, quam inde contraxit, ut refert Plutarchus in ejus *vit. Hiempsal, qui minimus ætate erat, naturâ ferox, dextrâ Adherbalem adsedit, nè medius ex tribus, quod & apud Numidas honori ducitur, Jugurtha foret; Salust. in Jugurth.* Utrumque morem simul complectitur Ovidius *Fast. l.* 5.

Jura dabat populo senior, finitaq; certis
Legibus est ætas unde petatur honos:
Et medius juvenum, non indignantibus ipsis,
Ibat, & interior si comes unus erat.

Vel ex his itaque quæ suprà præmisimus elucescit aliquanto clariùs, quantùm sc. receptæ inter homines consuetudinis paritas lucem augere potest; Quomodo & quâ ratione Christus Dominus dicatur toties in Scripturis alicubi *stare, Act.* 7. *v.* 55. alibi *sedere, Coloss.* 3. *v.* 1. sed ubique *à dextrâ sui patris*; nempe ob majorem demonstrationem potentiæ & gloriæ, quam exaltatus denuo in cælis, condignum meritorum suorum præmium, à Deo accepit, & in æternum habebit.

Excurſ. CIX.

1 Reg. 10. v. 1. *Audiens autem Regina Shebæ famam Salomonis, & nominis Jehovæ, venit ad probandum eum ænigmatibus.*

VIx quiſpiam rectè intelliget quare hìc Regina Shebæ tam longo ſuſcepto itinere, probandi Salomonis gratiâ, peregrè advenit, niſi ſi idem unà mores tunc atque inſtituta Orientaliotis populi huc ſpectantia, rite calluerit: Nec enim certè aut ſui aut ſapientiæ ſuæ freta tantùm opinione, hoc aggreſſa eſt; Ægrè ſic evitaſſet calumniam audacis nimiùm, (quod ſæpius ſolet,) & præfidentis fœminæ: Sed fecit itaque pro loci & temporis quo vixit conſuetudine; Ita enim moris fuit tunc temporum, ut illuſtres principéſque viri nodoſas quæſtiones, & præcipuæ quaſvis difficultatis, enucleandas mutuò tranſmitterent: Γρίφους, Αἰνίγματα, ſolebant vocare.

De Problematicis ejuſmodi quæſitis, etiam in privatis conſeſſibus, ſc. inter menſas olim proponi ſolitis, idque ſub conſtitutâ vel præmii vel pœnæ mercede, non erit hìc diſſerendi locus; Satìs in hujuſce moris declarationem Plutarch. in *Sympoſ. l.* 1. *Qu.* 1. *Athen. l.* 10. *Macrob. Saturnal. l.* 7. *c.* 1. *&c.*

&c. Non minùs cibatum mentis eruditis colloquiis alendæ, tunc, uti videtur, in commessationibus suis curabant, quàm pastum corporis. Talis erat prorsus epulatio illa quā Samson sociis suis indixit, *Judic.* 14. *v.* 12. tali interpositâ conditione: *Proponam vobis problema, quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta Syndonas, & triginta tunicas: sin autem*—.

Porro, quod ad prioris modi captiosa problemata spectat & magis solennia quasi, ultrà citráque sive missa invicem, sive allata, (qualia hic Textus indigitat,) multus est in commemorando Josephus, *Antiqu. Jud. l.* 8. *c.* 8. & contra Appion. *l.* 1. &c. Hiramus rex Tyri, sæpius, quod narrat ille utrobique, perplexis istiusmodi captiunculis Salomonem tentabat. Rem morémque rei simul clarissimè omnium intellectui subjicit Planudes in *vit. Æsopi c.* 24. Κατ᾽ ἐκείνους γὰρ τοὺς χρόνους οἱ βασιλεῖς πρὸς ἀλλήλους εἰρήνην ἔχοντες, καὶ τέρψεως χάριν, προβλήματα τῶν σοφιστικῶν πρὸς ἀλλήλους γράφοντες πέμπουσιν· Ἅπερ οἱ μὲν ἀπολυόμενοι---. *Illis,* inquit, *temporibus reges inter se pacem habentes, atque delectationis gratiâ, quæstiones invicem sophisticas mittebant; quas qui solverent, tributa pacta à mittentibus accipiebant, qui verò non, æqualia præbebant.* Multifarias hujusmodi quæstiunculas tentandi illos gratiâ, & ut suummet exerceret acumen, Gymnosophistis apud Indos proposuit

posuit Alexander, de quibus Plutarchus in *vit. ejus*: & consimilis farinæ quàmplures septuaginta senioribus Ptolomæus, narrante Aristeâ: sed prætereo.

Et sanè quid adeo novum hìc videri possit, cùm in ejusmodi spinosioribus loquelis, universam antiqui seculi prosapiam multùm sibi placuisse constet, sive profana, sive divina scripta intueamur? Sapientum quos vocant, inter Gentiles, hoc testantur memorabilia effata, concisis & tenebricosis plerunque sententiis inclusa; E quibus nonnulla recenset Laertius *l.* 1. *in vit. Thal.* alia, in *vit. Pittaci.* Et generatim pronuntiat Pausanias in Archadic. Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι᾽ αἰνιγμάτων πάλαι --- *Græcorum Sapientes sic olim existimatos, de industriâ rerum narrationes ambagibus involvere voluisse.* Nec huic quidem multò diversum de divinis eloquiis judicium profert Cl. Alexandr. *l.* 5. Ὅτι σχεδὸν ἡ πᾶσα ὧδε πῶς θεσπίζεται γραφή --- *quòd ferè universa hoc modo oracula sua* (*per ænigmata sc.*) *divina Scriptura efferat.* Istius planè generis (inter cætera) est contractior ille loquendi modus, symbolicis passim & parœmialibus constans dictis, quo sapientiam suam alligavit Salomon, ideóque *proverbia* nuncupamus.

Benedictus sit ille mundi Redemptor, qui quamquam in parabolis multa nos edocuit, sicuti moris erat, tamen ea pleraque posteà ex-

explicuit aut Ipse, aut ministri ejus, Apostoli, ne aliàs, *videntes non videremus*, (quod dicitur) *nec audiremus, audientes:* Sed juxta promissum suum *Jo.* 16. *v.* 25. apertè & planè tendentibus ad salutis metam veritatis viam enuntiavit.

Excurs. CX.

1 Reg. 10. v. 18. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & obduxit eum auro depuratissimo.*

F*Ecit eum de Ebore*, h. e. ex dente Elephantino, ut sonant verba Hebraicè sumpta: Nec immeritò; Quippe cùm ex omnibus elephanti ossibus fiat ebur, tum præcipuè ex prominentibus ejus dentibus, uti docet Cardanus *de Subtil. l.* 10. Ubi tamen in *Textu* vocem dentium in laxiore significatu, & ad gustum vulgi sumi oportere volunt nonnulli; Aliàs, non *dentes* propriè, sed *cornua* inquiunt, appellari debuerant.

Sunt utrinque validi assertores adversis viribus mutuò compugnantes. Ex unâ parte, negante sc. stat inprimis Pausanias in *Eliac.* ubi rem audacter asserit, & multifariis deinde rationibus firmare nititur. Huic succenturiatus quasi accedit *Var. de lingu. Latin. c.*6.

cor-

cornutos quadrupedes, elephantos appellans: *Nam quos dentes dicunt*, ait ille, *sunt cornua.*

Ἄλλοι μὲν πλήθυς ὀλοὰς ἐνέφησαν ὀδόντας
Γλαζόμενοι, νῶιν δὲ κεράατα μυθήσασθαι
Εὔαδεν ——.

Alii quidem è vulgo exitiosos nominant dentes
Per errorem, vobis autem cornua vocare
Visum est ——. Oppian. *Cyneget. l.* 2.

Ex alterâ parte stat sagacissimus naturæ interpres Aristoteles passim in *Hist. Animal. l.* 2. *c.* 5. *l.* 9. *c.* 1. &c. dentes cognominans. Τιτρώσκει τοῖς ὀδοῦσιν, ὥσπερ οἱ ταῦροι τοῖς κέρασι. *Non secus in omnes dentibus sævit* (Elephas,) *quàm cornibus solent tauri.* Polyb. *Hist. l.* 5. Philostratus in vitâ Apollon. Thyan. *l.* 1. negotium utrinque seriò eventilat, & tandem concludit asserendo dentes esse.

Plurimus ereptis elephas inglorius errat
Dentibus —. Claud. *de Laud. Stil. l.* 3.

—— *Putere videntur*
Unguenta atq; rosa, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis quos mittit porta Syenas.
Juven. *Sat.* 11.

Inter utrasq; partes hærere in medio quasi videtur Ælianus, modò dentes, modò cornua appellans. Οἱ μὲν ὀδόντας φασὶν, οἱ δὲ κέρατα, *Alii dentes, alii cornua vocant, Hist. Animal. l.* 4. *c.* 31. Τὸ κάλλος τῶν ὀδόντων ἢ κεράτων, *Dentium sive cornuum amplitudo, l.* 7. *c.* 2.

At *l.* 11. *c.* 37. Τὸν ἐλέφαντα ὀ φημι ὀδόντας ἔχειν, ἀλλὰ κέρατα· *Elephantas dicendum est potiùs dentes quàm cornua habere.*

In tam grandi controversiâ, tam nullius momenti, non operæ pretium erit, ut argumenta quæ utrinsecus proferri solent, in fascem colligam; Authores, ut visum est, non conveniunt: cúmque tam æquis frontibus utrinque consistant, ineantur, si placet, suffragia, (semoto ad præsens rationum pondere,) & per me licet, libera cuique opinandi potestas esto.

Excurs. CXI.

1 Reg. 12. v. 11. *Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.*

QUàm imprudenter, si non omnino stolidè, rem hìc gessit Rehoboam, minacibus verbis irritando populum ex se satis seditioni pronum, cùm nè mitissimis quidem (quod satis nos experientia docuit) aliquando potest cohiberi, id sc. discutiant Politici. Interim de supplicii modo quod isthic interminatur, varia occurrunt passim, aut consimilia planè, aut non abludentia longè, (quid enim attineat aliena prorsus conquirere?) apud Autores specimina.

Flagel-

Flagellorum *taxillatorum*, h. e. officula vel taxillos habentium connexos, meminit Athenæus *l.* 9. ῥάβδοις καὶ ἱμᾶσιν ἀςραγαλώτοις μαςιγοῦνται· *Virgis lorisq; quibus tali colligati erant, verberantur.* Rursus *l.* 12. & Lucianus in *Tragopod.* Sed clarissimè Apuleius *Metam. l.* 8. *Arrepto deniq; flagro, quod semiviris illis* (Cybeles Sacerdotibus) *proprium gestamen est, contortis tæniis lanosi velleris prolixè fimbriatum, & multijugis talis oviū taxillatū, indidem sese multimodis commulcat ictibus.* Taureas sive flagra de bubulâ pelle confecta memorat Eutropius, & inter cætera castigationum genera excogitasse ea Tarquinium Priscum refert. Βούνευρα nuncupat Cedrenus.

—*Taurea punit,*
Continuò flexi crimen facinusq; capilli. Juv. *Sat.* 6.

Plumbatæ fuerunt genus flagelli in cujus summitate ponebatur glans plumbea, quâ, verberibus affecti, præcipuè cruciabantur.

Tundatur, inquit, tergum crebris ictibus,
Plumboq; cervix verberata extuberet. Prud. *in Roman. Martyr.* Aliud denique pœnæ genus prioribus affine, erat *fustigatio*, sive *fustuarium*, militare imprimis supplicium; *Fustuarium meretur*, inquit T. Livius *l.* 5. *qui signa relinquit, aut præsidio decedit.*

Verùm tandem inter tot & talia suppliciorum genera, eáque acerbissima, ubi, dices,

ces, castigatio ista *scorpiaca*, quam Textus indigitat? De Scorpionibus quiddam narrat *Plinius l.* 11. *c.* 23. quòd ex omnibus partibus caudâ lædat maximè. Cujus rei gratiâ, & quò sæviores ictus infligat, septem vel sex ut plurimùm internodiis eam distinctam gerit. Idem commemorat *Ælianus l.* 11. *c.* 25. Scorpionem itaque fortassis hìc vocavit Rhehoboam castigationis ejus morem quem in populum posteà designabat, aut ad exprimendam sc. acrimoniam pœnæ summam, (juxta illud *Revel.* 6. *v.* 20. *Et cruciatus eorum ut cruciatus scorpii, cùm percusserit hominem*) aut aliàs ob similitudinem ipsius instrumenti quo usurus erat, cum vero scorpione, utpote tali modo interstincti nodis, & ad verbera fortiùs imprimenda aptati. Perappositè huc Isidorus Hispalensis *Orig. l.* 5. *Virga, si est nodosa vel aculeata, scorpio -- vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infigitur.*

Quicquid sit, certè apprehenderunt nos istiusmodi omnino tempora; Passi sumus nonnihil antehac, (si modò passi sumus) circa jura & libertates nostras, etsi tunc forsan, plusquàm causa merebatur, querebundi. Jam verò in quo tandem rerum statu collocati simus, sat dixisse est, quòd qualiscunque sit, nil prorsus dicamus.

Excurſ. CXII.

1 Reg. 18. v. 28. *Clamabant ergo voce magnâ, & incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.*

QUinam iſti fuerant qui ſic mutilabant carnes ſuas. & *ſacrificium in tormentum* mutabant, ut loquitur Minutius, patet *ſuprà v.* 25. Baalitas fuiſſe, Baalis, aliàs Beli Phœnicii, mniſtros nequiſſimos. *Et incidebant ſe*, inquit Textus, *juxta ritum ſuum*: Non ita quaſi illi ſoli, Baalitæ ſc. hunc ſervaſſent morem, ſed illi unà cum aliis Ethnicorũ, quibus vel ipſi exemplum præbuerunt tam nefariæ conſuetudinis, vel aliàs imitabantur; Nota res eſt ſatìs cuivis vel è Scholâ tyrunculo, de Cybeles magnæ Matris, de Iſidis, de Bellonæ cruentis ſacris, quæ, ſaltem eorum nonnulla, egregiè depingit Apuleius *Metamorph. l.* 8. Lucianus in Syria Deâ, & non abſimilis dementiæ in ſacrificiis exerceri ſolitæ ab Ægyptiis meminit *Herodotus l.* 2. Entheo nimirum furore agitati proprio ſuo ſanguine Diis litabant, cùm fero & alienato homines ſenſu, meliori aut magis congruo non poſſent. Acriter ſacrificalem ejuſmodi in ſuis inſaniam perſtringit Seneca, citante Auguſtino *de Civ. Dei l.* 6. *c.* 10. *Ille*, inquit, *viriles ſibi partes*

amputat, *ille lacertos secat* -- *Tantus est perturbatæ mentis è sedibus suis pulsæ furor*, &c.

Sed præ cæteris omnibus in hoc genere insanæ crudelitatis machinamentis, præcipua occurrit Lacedæmoniorum illa διαμαστίγωσις, quâ selectissimos quosque ex cœtu nobilium adolescentes, solemnitate annuâ perductos ad Aram, flagris ibi atrociter cædebant: Adeóque qui plagas fortissimè pertulissent, ii majore in honore erant apud universos, & βωμονῖκαι inde vocabantur, utì tradit Hyginus *Fabul.* 261. Plutarchus *in Lycurg.* narrat se vidisse quosdam hoc modo multiplices ibi inter plagas gloriosâ æmulatione perlatas expirasse. Tanta erat parentum, vel eorum qui suadebant, sævitia, nec minor in cæsis, licèt perversa, clari nominis affectatio.

Sed ideo inter Lacædemonios forsan invaluit mos istiusmodi qualiscunque, quò faciliùs juventus illorum patientiam edisceret, & vulneribus in bello postea accipiendis assuesceret; Ità rem alicubi leniter componit Nicetas in Comment. suo in Nazianz. Orat. Interim verò quid excusationis hìc dabunt pontificii sui furoris, dum ita se sub specie pœnitentiæ, crebris, quod solent, commulcant verberibus, & carnificinam quandam in corpora sua exercent? Certè hoc non est *rationale illud servitium* quod Apostolus requirit, *Rom.* 12. *v.* 1. Quin porro, aut nimio plus merentes se exinde somnient necesse

cesse est; aut quod iniquius est, Deum valde crudelem suspicentur atq; immitem.

Nihil habeo in præsens & sub manu quasi, quod meliùs objiciam fanaticis istis cujuscunque generis, quam illud Minutii *suprà* laudati; *Qui sanguine suo litat, & vulneribus supplicat, profanus fortè melius esset, quàm sic religiosus.*

Excurs. CXIII.

1. Reg. 20. v. 23. *Servi verò regis Syriæ dixerunt, Dii montium sunt Dii eorum, ideo superaverunt, sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, & vincemus.*

DEus verus, nostérque adeo, verè est id quod est, unus, simplex, nec locis, nec temporibus divisus. Gentiles autem propagarunt Deos suos in innumeras, ut ita dicam, Colonias, cuique orbis parti aliud atque aliud numen imponentes. Egregius planè nugator essem si universos eorundem ordines & nomenclaturas singulatim velim percurrere; Quomodo alios ruribus, alios sylvis, fontibus alios, alios fluminibus præfecerunt: Aut rursus quomodo uniuscujusque ibidem rei Tutelæ sive regimini diversos

assignarunt, tum in ortu, tum deinceps in processu.

Sed hæc & hujusmodi à Mythicis Scriptoribus accuratiùs discenda libens prætereo, de quibus, si cui in animo est, magis distinctè Fulgentius *Mytholog. l.* 3. Hyginus in *Fabul.c.* 277. Crinitus *l.* 25. *c.* 12, &c.

Ἄλλος δ' ἀλλοίοισιν ἐπώνυμος ἔπλετο Δαίμων
Ἔργοις οἷσιν ἕκαστος ἐπίσκοπον ἥρατο τιμὴν
Δηὼ μὲν ζεύγλης τε βοῶν ——

Alius verò ab aliis cognomento præditus est
Operibus, quibus quisque præsidem Dæmon sortitus est honorem:
Ceres quidem jugique boum -- Oppian. *Halieut. l.* 2.

Id quod propiùs rem attingit; Habebant porro & qui montium ut hic, & habebant qui vallium, suo cuique peculiari tributo munere, præsides seu curatores agerent. Ὄρη μὲν καὶ νάπας Πανὶ, λειμῶνας δὲ καὶ τεθηλότα χωρία νύμφαις --- *Montes quidem & saltus Pani, prata & virentia loca Nymphis sacrarunt.* D. Halicarnass. *l.* 1. *Nec enim agrorum munus*, ait Augustinus in *l.* 4. *de Civ. Dei c.* 8. *uni alicui Deo committendum arbitrati sunt, sed rura Deæ Rusinæ, juga montium Deo Jugatino, collibus Deam Collatinam, vallibus Valloniam præfecerunt.* Jugatinum hic vocat Augustinus quem Arnobius alibi *Montinum*: *Quis curatores obliquitatum Limos, quis Saturum præsidem sationis, quis Montinum mon-*

montium -- Deum esse credat ? Advers. Gentil. l.4.

Dii sumus agrestes, & qui dominamur in altis
Montibus, imperiũ est in sua tecta Jovi. Ovid.

Montana istiusmodi apud Gentiles numina, quæ, aut quàm multifaria fuerunt, nulli usui sit, ut perscrutando longiùs evager. Potior argumenti materia erit, si disquiramus obiter, cur Syri præliaturi hìc cum Israelitis ita consultò montes vitabant. Aut, quod idem valet, quare Deos Israelitarum adjutores, *Deos montium* potiùs quàm vallium incolas esse arbitrabantur? cur deniq; inde, è montibus scilicet, pendere exitum pugnæ suspicati sint?

Ratio in promptu est: Israelitæ, quod certum est, perquàm superstitiosè, sive Deum ipsum, sive Deos in excelsis montium colebant plerumque. Ibi Altaria, Templa, Luci, & cætera quæcunque ad cultum divinum spectantia creberrima extabant; *Nunquid vidisti quæ fecerit aversa Israel? Abiit illa super omnem montem excelsum, & sub omnem arborem virentem, & fornicata est ibi, Jer. 3. v. 6.* Manum itaque conserturi cum èis jam mox Syri, inde opem illis præcipuè affore suspicabantur, ubi maximè religionis officia cultúmque numinibus debitum solebant præstare.

Alia sors Christianorum est, aliunde nos auxilium sperare didicimus: non à monti-

bus,

bus, aut vallibus, quod isthic dicitur, (nec ita intelligendum est illud Psalmistæ *Psal.* 121. *v.* 1. *Levavi oculos meos in montes*--) sed è cælis de suprà, atque à Deo tantùm ibi inhabitante, juxta dictum *Jer.* 3. *v.* 23. *Verè mendaces sunt colles, & multitudo montium, verè in Domino Deo nostro est salus Israel.*

Excurs. CXIV.

2 Reg. 1. v. 4. *Quamobrem hæc dicit Dominus, de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.*

E*Cce iterum Crispinus, & est mihi sæpe vocandus*

Ad partes ----. Diximus aliquid antehac de lectis *discubitoriis*, 1 *Sam.* 28. *v.* 23. & aliquid de lectis *funeralibus* dicemus postea 2 *Chron.* 16. *v.* 14. Nunc de cubiculariis nonnihil dicendum incumbit; Lectos enim ad hunc modum, in triplici genere fuisse Judæis in usu, (sicut & cæteris Gentibus) nihil est quòd quispiam multùm dubitet: Sed de reliquis duobus non permittit ratio subjecti lemmatis ut longiùs excurram. Res est, ut dixi, de *cubicularibus* tantùm, in quibus cubabant dormituri, & qualesnam nimirùm illi fuerant.

Non humiles omnino seu depressi more graba-

grabatorum, planum est ex Textu, cùm non sine ascensu aliquo petebantur. *De lectulo,* inquit, *super quem ascendisti, non descendes.* Sic *Gen.* 49. *v.* 4. *Effusus es sicut aqua, non cresces, quia ascendisti cubile patris tui.* Et rursus *Psal.* 132. *v.* 3. *Dispeream si introiero in Tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.*

ζεὺς δὲ πρὸς ὃν λέχος ἤϊ' ὀλύμπιος ἀστεροπήτης,
Ἔνθα κάθευδε ἀναβὰς ---.

Jupiter ibat ad suum lectum, cœlestis, fulgurum autor;
Illic dormivit ascendens. Iliad. 1.

-- οὐ γὰρ οἱ ἦεν
πρὶν λεχέων ἐπιβῆναι ἐϋσφύρου ἠλεκτρυώνης.

——*Non enim ipsi licuit* (Herculi)
Prius lectum conscendere pulchras suras habentis Electryona.

Hesiod. *de Scut. Hercul.* Ἐπεὶ δὲ ἐπέβησαν τοῦ λέχους *Postquam igitur Mars & Venus in lectum conscendissent.* Lucian. in *Dialog. Apoll. & Mercurii.* Ut verbo dicam; Altioris sc. cujusdam structuræ (quod ex Varrone discamus licet, *de Lingu. Lat. l.* 4.) erant tunc olim cubicularii plerunque lecti, adeo ut per *Scamna* aut *Scabella* ad eos ascendi necesse esset.

Jam porro, si quis rationem scire aveat, quare lectos cubiculares sic in celsum attollerent *Majores,* eóque more præcipuè caperentur, suspicari licet, (præter consuetudinem

dinem cuique seculo suam,) nimiam hominum hic & insanam quodammodò ambitionem in causâ fuisse; Certè Suetonius in Augusto *c.* 73. inter cætera moderationis ejus egregia specimina, illud quoque recenset, cubuisse eum in *toro humili & modicè instructo*. Humilem hic cumprimis intelligo χαμάιςρωτον, sive humi stratum, non longè à Græcanicis illis Scympodiis distantem, de quibus multa passim scriptores. Nazianzenus in *Orat.* 16. invehens strenuè contra enormem suorum luxum, σιβάδας ὑψηλὰς καὶ μετεώρους signanter coarguit: Ἡμεῖς δὲ ἀνακείμεθα ἐπὶ σιβάδος ὑψηλῆς καὶ μετεώρου--. *Nos*, inquit ille, *in altis & sublimibus lectis recumbimus*.

Quid si vixisset jam nostris temporibus? Quàm multos ubique lectos, etsi non indecenti altitudine culpabiles forsan, tamen, τοῖς περίεργοις καὶ ἀψαύςοις ἐπιβλήμασι, ut ille ibidem pergit, *praeximiis*, & quæ penè *nefas sit tangere*, delicatis stragulis, meritò damnandos?

Excurs.

Excurſ. CXV.

2 Reg. 1. v.8. *At illi dixerunt, vir piloſus & zonâ pelliceâ accinctus renibus; Qui ait, Elias Thesbites eſt.*

EMiſerat paulò antè ſpeculatores ſuos Ahazias ad quærendum Eliam: Quæſitum illi inveniunt, inventúmq; ſtatim Domino ſuo renuntiant. Pergit rex ſciſcitari ampliùs qualiſnam vir eſſet, cujus habitûs, formæ, figuræ; Reſpondent interrogati, *Piloſum eſſe, zonâ pelliceâ accinctum renibus.* Piloſum accipias, non qualis Eſau fuiſſe narratur, *Gen.* 11. *v.* 15. hirſutum & pilis è corpore fruticantibus obſitum, ſed tantùm pelliceâ & piloſâ veſte indutum. Meloten invenimus dictam, *c.* 2. *v.* 15. quod propriè ovinam pellem denotat: *Suſtulit* (Eliſæus) *pallium Eliæ*, μηλωτὴν, *quod ceciderat ab eo.* Ἐλισαίȣ ἡ καλὴ κληρονομία ἡ μηλωτὴ, ἣ τὸ Ἠλίȣ πνεῦμα συνηκολȣ́θησεν, ut loquitur Nazianzenus *orat.* 20. *Eliſæi pulchra hæreditas, melotes nempe illa, quam Eliæ Spiritus comitatus eſt:* Melotes autem, definiente Iſidor. *Origin. l.* 19. *c.* 24. *Pellis erat caprina, (vel aliàs ovina) è collo pendens, præcincta uſq; ad lumbos.*

Tali habitu pellicei generis, qualicunque nomine cenſeatur, tecti olim incedebant pro more Aſceticæ illi virtutis

tis professores, magna severioris vitæ documenta. Taliquè habitu indutum fuisse Samuelem prophetam facilè inducor ut credam, ex visione illâ Pythonissæ oblatâ 1 *Sam.* 28. *v.* 14, 15. *Dixítq; ei Rex*, *Qualis est forma ejus? Quæ ait*, *vir senex ascendit*, (καὶ οὗτος διπλοΐδα ἀναβεβλημένος) *& Ipse amictus est Diploide*; *Et intellexit Saul quòd Samuel esset.* Intellexit sc. ex habitu solo, quod aliter nunquam potuisset, nisi Samuel singulari aliquo & notabili hujusmodi tegumento vestiri consuevisset; Ad hunc modum vestiendi planè respexit Apostolus *Hebr.* 11. *v.* 37, 38. de sanctis olim qui fuerant, sermonem pertexens. *Lapidati sunt*, *secti sunt*, *tentati sunt*, *gladio cæsi occubuerunt*, *oberraverunt in melotis & caprinis pellibus*, *destituti*, *pressi*, *afflicti.*

Verùm nec cum veteribus anterioris seculi desiit mos iste; Joannes ille Præcursor sub initiis statim Novi, talem se exhibuit mundo, *vestimentum habens de pilis camelorum*, *& zonam pelliceam circa lumbos suos*, Math. 3. *v.* 4. Atque hinc porro defluxit ad Christianos tum mox succrescentes eadem ipsa consuetudo, διφθέρας ἀμφιέννυσθαι κατὰ μίμησιν Ἡλιοῦ· *Pellibus indui ad exemplum Eliæ Thesbitæ*, quod narrat Sozomenus de Ægyptiis monachis *l.* 3. *c.* 13. Similiter *Cassianus l.* 1. *c.* 8. Quin & adhuc per diversas mundi partes viget idem mos (sive cretâ, sive carbone nigro notandus) semperq;, quod credibile est, inextinctus manebit. Nec

Nec denique Gentiles ipſi omnino ignorârunt talem veſtitûs modum, quò minùs eo fatidicos ſuos vates nonnunquam ornatos exhibeant; Teſtis prodeat Tireſias ille, uti deſcribitur à Statio *Theb. l.* 2.

— Longævi vatis opacos
Tireſiæ vultus, vocemq; & vellere noto
Induitur ——. Aut alter ille Amphiaraus de quo *l.* 4.

— Vatem cultu Parnaſſia monſtrant
Vellera —. Sed coërcebo properantem ulteriùs ſtylum, unius Papinii hâc in re teſtimonio fretus; Interim, alius mos, alius habitus noſtri ſeculi eſt; Commutavimus Pelliceas veſtes hìc Eliæ proprias, in Bombycinas vel Sericas, luxu omnes atq; mollitie plerúmque diffluentes: tantúmque abſumus à prophetali indutu, quantùm à rigore & ſeveritate ordinis condignâ receſſimus.

Excurſ. CXVI.

2. Reg. 2. v. 9. *Dixitque Eliſæus ad Eliam; obſecro, ut fiat in me duplex ſpiritus tuus.*

NOvi bene ſatìs his & hujuſmodi dictis, ſive in bonam ſive malam in partem prolatis, alias, eáſque magis è literâ interpreta-

terpretationes affigi posse. Sic etiam *Is.* 61. *v.* 7. *Pro confusione vestrâ duplici & rubore -- propter hoc in terrâ suâ duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit iis.* 1 *Tim.* 5. *v.* 7. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur*: Rursus, & ex adversâ parte, *Jer.* 16. *v.* 18. *Et rependam duplum iniquitatibus eorum & peccatis, eò quòd profanaverunt terram meam* —. *Revel.* 18. *v.* 6. *Reddite ei sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplum secundum opera ejus; in poculo quod potavit, propinate ei duplum.*

Sed quamvis, ut dixi, in his & hujusmodi locis aliæ interpretationes sint magis è literâ, vel quæ adeo scopum aliquem Textûs (qualemcunque) specialem & abditum videantur propiùs attingere; tamen non minùs vera fuerit fortassis illa, quâ, voce *duplicis*, magnitudinem rerum ubicunque prædicatarum simpliciter intelligamus. Ita planè invaluerat, quod facile observatu est, crebrior vocabuli usus apud antiquos.

Διπλᾶ δ' ἔτισαν Πριαμίδαι θἀμάρτια.

Duplo luêrunt Priamidæ delictum (*Puridis.*)

Æschyl.

Καὶ θαῦμά γε οὐδὲν ἐν τοσούτοις πήμασι
Διπλᾶ σε πενθεῖν, καὶ διπλᾶ φέρειν κακά.

Equidem nil mirum est in tantis ærumnis
Dupliciter lugere, & duplicibus malis angi.

Sophocl. in *Ædip. Tyr.*

At gemina & mammosa Ceres —. Lucret. *l.* 4.

l. 4. Geminam dicit, ait Turnebus, i. e. *plenam, amplam, obesam, l.* 27. *c.* 35.
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso. Virg. *Georg. l.* 1. *Duplici dorso dicitur,* inquit Servius in *loc. quasi lato, diceret.* πάντα δὲ τὰ γενήματα καὶ τὰς προσόδους οἱ ἱερεῖς παραλαμβάνοντες, τὸ ἐπιβάλλον ἑκάστῳ δικαίως ἀπονέμουσι, τοῖς δὲ ἱερεῦσι μόνον δίδοται διπλάσιον· *Omnes verò fœtus & proventus terræ recipiunt Sacerdotes, unde quod unicuiq; debetur, justè dispertiunt, eisq; solis duplum conceditur.* Diod. Sic. *l.* 5. Quod aptè respondet notabili illi dicto Apostoli prius memorato ex 1 *Tim.* 5. de presbyteris ibi *honore duplici* cohonestandis: *Duplicarii* dicti, ait Varro de diversis militum ordinibus loquens, *de ling. Latin. l.* 1. *quibus ob virtutem duplicia cibaria ut darentur, institutum.*

Cur autem ita duplici vel honore vel supplicio dicebantur olim condignos utrínque afficere, ratio forsitan afferri potest, incrementum binarii numeri supra unitatem, ut primum & proximum: ideòque in eo tanquam in numero signandæ tum pœnarum, tum præmiorum ampliationi, inter numerandum expeditissimo, substiterunt. Sed precatur utique hic Elisæus ut duplicetur super eum Eliæ spiritus; Spiritus virtutum & miraculosarum operationum. Quàm optandum sanè votisque omnibus expetendum erat, ut spiritum salvificæ suæ gratiæ super nos effunderet De-

us, effusúmque denuo quotidie multiplicando augeret.

Excurs. CXVII.

2. Reg. 2. v. 12. *Elisæus autem videbat, & clamabat, pater mi, currus Israel, & auriga ejus.*

NOn ætatis tantùm respectu (sicut fortè quis existimet) aut quia annis vivendi multùm præcesserat, Eliam hìc inclamans Elisæus patrem appellat, sed fuit ea honoris compellatio, quâ amorem simul & obsequium debitum testatum ibant, tum Judæis, tum Gentibus perquàm familiaris. *Jud.* 17. *v.* 10. *Dixitq; Micha, mane apud me, & esto mihi parens ac sacerdos.* 2. *Reg.* 5. *v.* 13. *Accesserunt ad eum* (Naamanem) *& locuti sunt, Pater, si rem grandem dixisset propheta* —. *C.* 6. *v.* 21. *Dixitque rex Israel ad Elisæum cùm vidisset eos; Nunquid percutiam eos, pater mi?* Breviter, *patris* vocàbulum, non tam ætatis nomen erat, sicut dixi, quàm & rursus potestatis aliquando, seu peculiatis Dominii. 2 *Chron.* 4. *v.* 12. *Porro Esthon genuit Beth-raphan, & Phessen, & Tehimnan, patrem urbis Naas.* Et deinceps *v.* 14. *Sarai autem genuit Joab patrem vallis Artificum.*

Ad

Ad hunc modum Octav. Cæsar M. Antonium compellans, Ἐγὼ δὲ πάτερ Ἀντώνιε, πατέρα γὰρ εἶναί σε δικαιοῦσιν αἱ τοῦ Καίσαρος ἐς σε εὐεργεσίαι, καὶ ἡ σὴ πρὸς ἐκεῖνον χάρις; App. *de Bell.Civ.l.3.Ego ô pater Antoni, ita enim te appellare fas est, ob Cæsaris erga te merita, tuámque mutuam gratiam*; (Alioquin Antonius non multùm tunc excesserat annum vitæ quadragesimum, testante eodem Appian. *l.* 5.) Et rursus Antonius paulò pòst Cæsarem alloquens, Εἰ μὲν ὁ Καῖσάρ σοι μετὰ κλήρου καὶ τῆς ἐπωνυμίας, ὦ παῖ -- *Si Cæsar tibi, mi fili, cum hæreditate & nomine imperium quoque reliquit* -- &c. Alexander Magnus Sysygambim Darii uxorem allevans, errore pudefactam quòd Hephæstionem loco Alexandri fortè advenientem adoraverat, μηδὲν φροντίζῃς ὦ μῆτερ, καὶ οὗτος Ἀλέξανδρός ἐστιν· *Nihil est*, inquit, *ô mater, quòd hic te angas, nam & iste Alexander est*, Diod. Sicul. *l.* 17. & Q. Curt. *l.* 3. Διὰ πάσης ἦγεν τιμῆς πρὸς Ἡρώδου (Ὑρκανὸς) πατὴρ καλούμενος· *Herodes cum omni honore prosecutus est Hyrcanum, patrem eum vocitans.* Zon. *Tom.* 1. Ὁ δὲ περιπτύξατο τὸν Βρετιανῶνα, καὶ πατέρα ὠνόμασε· *Constantius verò intra ulnas suas amicè complexus est Brettanionem, & patrem nominavit. T.* 3.

Virgilius, limatissimi judicii poeta, ubique ferè, quoties de Æneâ sermonem habet, *patris* eum titulo insignit; quod tamen

non omnino fecisset quidem, nisi patris appellationem honoris & dignitatis cognomentum esse putasset. Quid dicam, quàm usitatè nomen illud *Patris patriæ*, officiosè, ut sibi videbatur, gratus, principibus suis bene merentibus Populus Romanus obtulit? aut quàm cupidè oblatum illi arripuerunt? Augustus, quod narrant Historici, appellationem istam nunquam respuit, *Domini*, sæpius. Ipsi servi denique pro more apud Syros, sicuti constat ex præfato 2 *Reg.* 5. Dominos suos sive heros solenniter hoc solebant nomine indigitare. Argutè rationem reddit totius argumenti Tertullianus, in quo consistam; *Gratius est quippe nomen pietatis quàm potestatis; etiam familiæ magis patres, quàm Domini vocantur.*

Excurs. CXVIII.

2 Reg. 22. v. 14. *Iverunt itaque Hilkias sacerdos, & Achichan—ad Huldam prophetissam quæ habitabat in Jerusalem in secundâ.*

SEptuaginta hic legunt, καὶ αὐτὴ κατῴκει ἐν Ἱερουσαλὴμ ἐν τῇ μασενεῖ. Vulgata, & alii, *Quæ habitabat in secundâ, sive in parte secundâ.* Nostri exponunt eam diversatam fuisse

iſſe in Jeruſalem *in collegio*. Quicquid ſit, per locum habitationis non intelligo ædificium aliquod ex lapidum lignorumve ſtrue compactum, ſed potiùs ſodalitium quoddam ſeu ſocietatem hominum eandam divinam peritiam exercentium. Quis enim primò luculenter probatum dabit, ejuſmodi tunc ædificia vel intra vel circa Jeruſalem omnino extitiſſe? Aut ſi extiterint alicubi, tamen rurſus, quòd fœminæ quoque in hoſpitii partem ibi coaluerunt? Sanè indecens quiddam ſonat mulierculárum talis mixtura cum viris, nullis legibus, nec ullius ſeculi conſuetudine permiſſa.

Eò itaque magis opinione inclinor, ut credam hoc collegium ejuſmodi fuiſſe, qualia erant συσσίτια, φρατρίαι illæ, ſive peculiares hominum ordines ejuſdem profeſſionis, quos apud veteres ex ſolenni more ſimili prorſus appellatione inſignitos deprehendemus ſæpiſſime. Αὔγουστος -- τῶν τε συσσιτιῶν τὰ μὲν παντελῶς κατέλυσε, τὰ δὲ πρὸς τὸ σωφρονέστερον συνέστειλε· Dio. *l.* 54. *Auguſtus*, inquit ille, *conciliabulorum alia penitus ſuſtulit, alia in melius correxit.* Suetonius de iiſdem loquens c. 32. *Graſſatores, diſpoſitis per opportuna loca ſtationibus, inhibuit, ergaſtula recognovit, collegia, præter antiqua & legitima, diſſolvit.* Ἑταιρικὰ κολλέγια, ut habet præfatus Dio. *l.* 38. *Nullum erat Italiæ municipium, nulla Romæ ſocietas vectigalium, nullum collegium aut concilium*

lium--quod tum non honorificè decrevit de meâ salute. Cic. *in Or. pro Sext.*

Hoc est quod τὸ σωμάτιον τῶν χριστιανῶν vocat Eusebius, *Hist. Eccles. l.* 10. *c.* 5. & inde apud Latinos, pari sensu, quamvis diverso sermonis idiomate, eadem vox de adunatâ populi collectione seu *corpore* per urbes, invaluit, ut Livius *l.6.* 34. & Cassiodorus *in Ep.* passim; Quid quòd eò usque se distendit usus vocabuli, ut etiam in sequiorem sensum, (quod partim & ex prædictis colligere licet,) & de impiè confœderatis societatibus usurpabatur. Cyprianus *Ep.* 68. Gentilium *turpia & lutulenta convivia, & collegia diu frequentata*, Martiali cuidam ibi objicit. *Collegia Hæreticorum*, uti nominat, perstringit Gennadius *in vit. Vincent. Lirinensis*, qualia quis poterit rectè opponere συστήματι τῷ ἱερῷ, *sacro* illi & Orthodoxo *Presbyterorum consessui*, tam sæpe apud Ignatium, non sine honoris præfatione, memorato.

Ex quibus omnibus abunde patet, non necesse esse ut solicitè nimis laboremus de ædificio aliquo sacratiori hìc Huldæ prophetissæ assignando: Satis erit si collocetur saltem in cœtu & numero prophetantium, quod nullis modis ei ereptum imus.

Excurs.

Excurſ. CXIX.

2 Reg. 23. v. 5. *Et delevit Chemarims, quos poſuerunt reges Judæ ad ſacrificandum in excelſis per civitates Judæ, & in crcuitu Jeruſalem.*

FEcit illud rex Joſias quod pium & cordatum principem omnino decebat, utpote cui inter cætera incumbat turbata Eccleſiæ negotia imprimis curare; ſuſtulit ergo ſtatim Idola, & idololatricos myſtagogas, Chemarims dictos, quò ampliores Idololatriæ progreſſus citiùs præſcinderet. Quinam autem & quales erant iſti Chemarims, de quibus hìc & alibi crebra fit mentio, id modò in examen vocatur; Baalis miniſtros ſeu putidos ſymmiſtas fuiſſe vel ex Textu paret *v.* 4. Sed quare vocati ſint Chemarims, utrùm à colore veſtium, vel aliâ de causâ, non adeo liquidò apparet.

De Chemmi quodam oppido in Ægypto aliquid tradit Herodotus, *l.* 2. *c.* 91. Ἐςὶ δὲ Χέμμις πόλις μεγάλη νομοῦ τοῦ Θηβαϊκοῦ, ἐγγὺς Νέης πόλεως· *Chemmis oppidum grande eſt Thebaicæ provinciæ (in Ægypto ſc.) prope Neam urbem, & inde Chemmitæ.* Chemia autem nigrum vocant, ut docet Plutarchus *in l. de Iſid. & Oſir.* Ἔτι τὴν Ἄιγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα με-

lium--quod tum non honorificè decrevit de meâ salute. Cic. *in Or. pro Sext.*

Hoc est quod τὸ σωμάτιον τῶν χριστιανῶν vocat Eusebius, *Hist. Eccles. l.* 10. *c.* 5. & inde apud Latinos, pari sensu, quamvis diverso sermonis idiomate, eadem vox de adunatâ populi collectione seu *corpore* per urbes, invaluit, ut Livius *l.6.* 34. & Cassiodorus *in Ep.* passim; Quid quòd eò usque se distendit usus vocabuli, ut etiam in sequiorem sensum, (quod partim & ex prædictis colligere licet,) & de impiè confœderatis societatibus usurpabatur. Cyprianus *Ep.* 68. Gentilium *turpia & lutulenta convivia, & collegia diu frequentata,* Martiali cuidam ibi objicit. *Collegia Hæreticorum*, uti nominat, perstringit Gennudius *in vit. Vincent. Lirinensis*, qualia quis poterit rectè opponere συστήματι τῷ ἱερῷ, *sacro* illi & Orthodoxo *Presbyterorum consessui*, tam sæpe apud Ignatium, non sine honoris præfatione, memorato.

Ex quibus omnibus abunde patet, non necesse esse ut solicitè nimis laboremus de ædificio aliquo sacratiori hîc Huldæ prophetissæ assignando: Satis erit si collocetur saltem in cœtu & numero prophetantium, quod nullis modis ei ereptum imus.

Excurs.

Excurs. CXIX.

2 Reg. 23. v. 5. *Et delevit Chemarims, quos posuerunt reges Judæ ad sacrificandum in excelsis per civitates Judæ, & in crcuitu Jerusalem.*

FEcit illud rex Josias quod pium & cordatum principem omnino decebat, utpote cui inter cætera incumbat turbata Ecclesiæ negotia imprimis curare; sustulit ergo statim Idola, & idololatricos mystagogas, Chemarims dictos, quò ampliores Idololatriæ progressus citiùs præscinderet. Quinam autem & quales erant isti Chemarims, de quibus hìc & alibi crebra fit mentio, id modò in examen vocatur; Baalis ministros seu putidos symmistas fuisse vel ex Textu paret *v.* 4. Sed quare vocati sint Chemarims, utrùm à colore vestium, vel aliâ de causâ, non adeo liquidò apparet.

De Chemmi quodam oppido in Ægypto aliquid tradit Herodotus, *l.* 2. *c.* 91. Ἐστὶ δὲ χέμμις πόλις μεγάλη νομοῦ τοῦ Θηβαϊκοῦ, ἐγγὺς Νέης πόλεως· *Chemmis oppidum grande est Thebaica provinciæ (in Ægypto sc.) prope Neam urbem, & inde Chemmitæ.* Chemia autem nigrum vocant, ut docet Plutarchus *in l. de Isid. & Osir.* Ἔτι τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα με-

μελάγγειον ἦσαν --- χημία καλοῦσιν· *Prӕterea Ægyptum, quӕ vel maximè habet nigram terram, tanquam nigram oculi partem, Chemia appellant*; Hinc Chemarims forsan idem sonantes quod μελάγχλαινοι, sive *atrati*. *Melanchlӕnis verò atra vestis, & ex eâ nomen*, docente Melâ *l.* 2. *c.* 1. Vestem porro ejusmodi ποδήρεα sive *talarem* fuisse, affirmat Strabo *l.* 3. quod genus indumenti apud veteres, sacerdotalibus præcipuè viris, in usu fuisse constat, sicut & de albo testatur Val. Flaccus *Arg. l.* 1.

Palla imos ferit alba pedes, vittataq; frontem
Cassis———.

Tales igitur, (sic opinor saltem) erant Chemarims isti. Nec enim eò inclinor sententiâ, quasi ex fuliginoso & sordido corporis habitu in sacrificiis adolendis contrahi solito, hoc nomen sortiti essent: Pari quippe aut potiori etiam ratione, possimus carbonarios, fabros ferrarios, aut quoscunque denium hujusmodi lutulentos opifices intelligere: Sed magis itaque, ut dixi, à solitis vestimentis & pro officii ratione indui suetis, quàm verisimillimè nomen traxerunt.

Neque tamen rursus hoc ullatenus in opprobrium impingi debet nostrorum sacerdotum de consueto semper antehac vestitu: nec ideo anthracina seu nigra amicula sunt à nobis rejicienda, quod nimiùm multi è nostris fecerunt nupere, faciuntque passim; Si quis id-

idcirco vestitum tam decentem & congruum professioni suæ respuat, quia Chemarims sint eo usi, idem nec cibum, nec potum capiat, nec prorsus induatur: Aliud est usus rei, aliud profanatio.

Sisinnius olim, etiam Episcopus, ut refert Sozomenus *l.* 8. *c.* 1. perversâ ambitione elatus, candente & splendidâ veste consuetè vestiebatur. Sed nec ideo tandem debemus nos posteri, quocunque in ordine censeamur, contra antiquos canones, & ipsam profectò melioris disciplinæ normam, morem tam insulsum æmulari; adeóque quod complures, (proh dedecus!) faciunt, holosericis, fimbriatis, aut qualitercunque immodicè excultis vestibus lascivire. Hæ non Christianorum sacerdotum, sed Bacchantium, ut quondam, mystarum, *Infulæ* sunto.

Excurs. CXX.

2. Reg. 23. v. 11. *Abstulit quoque equos quos dederunt reges Judæ soli in introitu templi; currus autem solis combussit igni.*

Augeæ stabulum purgandum suscepisse videatur Josias: tot pollutiones atque inquinamenta è domo Dei removit, tum Vasa, tum Lucos, tum Altaria, denique hìc *equos solis*, quos impii reges ibi consecrassent. Equos currúsque

currúsque sacratos hìc habemus Soli, sed non tantùm Soli dicatos fuisse repperimus alibi, sed etiam cæteris Diis, imprimis Olympio Jovi; Pausan. in *Eliac. l.* 1. Ἀναθήματα ἔνδον ἐν τῷ προνάῳ κεῖται ἵπποι Κυνίσκας χαλκοῖ --- *Inter donaria quæ intus & in atrio templi (Jovis) posita sunt – extant anei equi, quos Cynisca dicavit.* Deinde, Junoni (in Carthag. sc.) *Æn.* 1.

Hic illius arma,
Hic currus fuit. Serapidi in Alexandriâ; Prosp. *Promiss. & Præd. l.* 3. *c.* 38. Minervæ denique, Euripid. *in Hecub. Act.* 2.

ἢ Παλλάδος ἐν πόλει
τῆς καλλιδίφρου Ἀθη --
ναίας ἐν κροκέῳ πέπλῳ
ζεύξομαι ἅρμασι πώλους;
An in urbe Palladis
Aurato insidentis currui,
Croceo amicta peplo
Jungam equos currui?

Idem in Phœniss. *Act.* 2. generaliter quasi loquens; Thebas appellat,

θεῶν τῶν λευκοπόλων Δώματα
Deorum albis equis insignium templa.

Sed quicquid sit de cæteris Diis, hæc & hujusmodi, quod observare facile est inter legendum, in honorem Solis præcipuè præstabant; Illi equos adhuc vivos dicabant, utpote in cujus tutelâ eos esse maximè arbitrarentur. *Solem unum Deum esse Persæ credunt,*

dunt , & equos ei Deo secratos ferunt. Just. *Hist. l.* 1. Unde & pascua iisdem alendis peculiariter assignata, (de quo alicubi D. Siculus & Solinus) Solis pascua nominabant. Illi etiam solebant occisos immolare; Ἐπὶ δὲ ἀφίκοντο πρὸς τὰ τεμένη, ἔθυσαν τῷ Διῒ, καὶ ὡλοκαύτωσαν τοὺς ταύρους, ἔπειτα τῷ ἡλίῳ καὶ ὡλοκαύτωσαν τοὺς ἵππους-- *Quum ad delubra venissent, sacrum Jovi faciebant tauris integris crematis, deinde soli, crematis huic equis integris.* Xenoph. *Inst. l.* 8.

Quod denuo ad currus jugalium equorum attinet, pictos vel fictos postea, adeóque in honore exinde habitos, Pausan. in *Corinth.* sive *l.* 2. Ἐκ δὲ τῆς ἀγορᾶς ἐξιόντων τὴν ἐπὶ λέχαιον, προπύλαιά ἐστι, καί ἐπ᾽ αὐτῶν ἐπίχρυσα, τὸ μὲν φαέθοντα ἡλίου παῖδα, τὸ δὲ ἥλιον αὐτὸν φέρον· *Cùm à foro exieris, Lechæum versus vestibula videas, ac super ipsis inauratos currus duos, quorum altero Phaeton, altero sol ipse vehi videtur.* Τοῦ ἅρματος τοῦ ἡλίου, sive *currûs solaris* apud Rhodios consecrati meminit Dio *l.* 47. *Quadrigas (verò) soli, bigas lunæ sacrabant*, inquit Isid. Hispalensis *Orig. l.* 18. *c.* 36. Id ipsum habet Cassiodorus *Var.* 3. *Ep.* 51.

Quadrijugis it Phœbus equis, & Delia bigis. Manil. *Astronom. l.* 5. Breviter, tam solita & frequens erat hujusmodi iconis solaris effigiatio, ut etiam in sculpturis annulorum

commu-

communiter ponerent, testante Plauto in *Amphytr. Act.* 1. *sc.* 1.

Sos. *Signi dic quid est?*

Merc. *Cum quadrigis sol exoriens.*

Si quis tandem causam exigat, quare ad delineandam solis effigiem, equos & currus hoc modo ponebant; Præter diurnum solis in orbe suo cursum quadrijugâ quasi celeritate confectum, (Adde statas quatuor illas anni mutationes quas inducit, hyemis, veris, æstatis & autumni.) Beda in *l. Reg. Qu.* 27. à transvectione Eliæ quâ raptus in igneo curru ad cœlos ascendit, occasionem figmenti hujus sumpsisse Gentiles non vanè suspicatur.

Excurs. CXXI.

1 Chron. 16. v. 43. *Penès ipsos autem Heman & Iduthan (constituit) canentes tubâ, & quatientes cymbala, & omnia musicorum instrumenta ad canendum Domino.*

Constituit eos David, penès sacerdotes nempe atque Levitas, ut cantarent super omnifariis Musicæ instrumentis, laudaréntque Deum, dum illi interim pro officio & munere suo sacrificiis immolandis instabant; Ita quippe solennis semper fuit tum apud

apud genuinum Dei populum, (quod satìs indicat Textus, & alibi multoties declarat Scriptura) tum apud exteros quoque, ut non sine Musices accessione perficerent sacra, vel in templis, vel ad Aras.

Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Divitum mensis, & amica templis. (*Musica*)
Horat. l. 3. Od. 11.

Erant hostiæ majores in foro constitutæ, quæ ab his Prætoribus de tribunali, sicut à nobis Consulibus de consilii sententiâ probantibus, ad præconem & tibicinem immolabantur. Cic. in *Orat.* 2. *de leg. Agrar.*

Nunc omne lætâ fronde veletur caput,
Sacrifica dulces tibia effundat modos,
Et nivea magnas victima ante Aras cadat.
Senec. in *Troad.*

Munus itaque illorum erat præcinere in sacris quibuslibet, sive ut comprecantium ita mulcerent aures, seu potiùs, quod aniliter somniabant, ut audientium numinum iratos (si fortè) affectus placarent.

Εγγύθεν αὐλητῆρας ἀείσομαι ὧδε καταστὰς
Δέξιος, ἀθανάτοις θεοῖσιν ἐπευχόμενος.
Prope tibicinem canam, illi constitutus
Dexter, immortales Deos precans. Theogn.

——— *Manè me jussit senex*
Conducere aliquem sibi fidicinem huc domum,
Dum rem divinam faceret, cantaret sibi.
Plaut. Epid. Act. sc. 3.

Ante Deûm matrem, cornû tibicen adunco
Cùm canit. Ovid.

Nil

Nil opus est ut plura huc congeram; Cùm vel hâc de causâ, & ob solenniorem sacrorum celebrationem, habuerant, quod constat, Romani collegia tota Tibicinum peculiariter instituta, de quibus Livius l. 9. & Val. Max. l. 2. *c*. 5. Imò tam notabilis fuit ritûs hujus solennitas apud veteres, & eoúsque processerat luxuries quasi observationis, ut id cumprimis inter cætera, acriter uti solet, perstringat Arnobius, & dum perstringit, clariùs indicat; *Quid sibi volunt*, inquit, *exercitationes illæ quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? An numquid, ut parvuli pusiones ab ineptis vagitibus exterrentur, eâdem ratione & omnipotentia numina tibiarum stridore mulcentur, & ad numerum cymbalorum mollitâ indignatione flaccescunt? Advers. Gent. l.* 7.

Potest hæc Arnobii tam mordax increpatio retorqueri, & forsitan antehac retorta fuit, contra immanem organorum mugitum, (sic enim homines loqui nimia splenis petulantia docuerat) nuperè in templis nostris usitatum: Sed in promptu est responsio; Aliud est musicos sonos qualescunq; immiscere sacris, tanquam ab eis aliquo modo hâc vel illâc afficiatur cæleste numen, quo fine tamen (ut dixi,) præcipuè fecerunt Ethnici; Et aliud ad concitandum torpentes plerumq; animi affectus; (undè μέλη τὰ καθαρτικὰ appellat Philosophus *Rhet. l.* 8. *c*. 7.) aut porro ad augendum ipsum divini cultus splendorem, id præstare. Sic vel sic nempe, atque hisce subnixi rationibus

onibus Christiani antehac viri adhibuerunt musicam solennioribus pietatis officiis: & sanè, me judice, non parum utrinque cederet religionis commodo, si similiter semper adhiberetur.

Excurs. CXXII.

1 Chron. 24. v. 5. *Erant enim principes sanctuarii domûs Dei, tam de filiis Eleazar quàm de filiis Ithamar.*

NOn semel in contextu Novi Testamenti mentionem factam habemus τῶν στρατηγῶν τοῦ ἱεροῦ, *sive praefectorum exercitus qui templo praerant. Luc. 22. v. 4. Et abiit* (Judas) *& locutus est cum principibus sacerdotum, & cum praefectis,* τοῖς στρατηγοῖς, *quemadmodum illum traderet iis. Act. 4. v. 1. Loquentibus autem illis* (discipulis) *ad populum, supervenerunt sacerdotes & praefecti templo,* Οἱ ἱερεῖς καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ· Sic rursus *c. 5. v. 24. Ut verò audierunt hos sermones & pontifex & praefectus templo,* ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *& principes sacerdotum, ambigebant quónam hoc casurum esset.*

Sed non erant iidem proculdubiò strategi isti sive praefecti cum *principibus* illis *sanctu-*

arii

arii in Textu suprà nominatis; Quippe illi planè è numero sacerdotum erant: hi ubiq; à sacerdotibus distinguuntur. Deinde, illi sine exercitu erant, quantùm ullibi reperire est: hi certè exercitui præerant, cujus ope & adminiculo negotia templi procurabant; Unde & magnâ satis potestate gaudebant taliter prælati, munúsque illud insuper in eximio postea honore esse occœpit. Adeo ut Herodes dynasta Agrippæ regis frater, narrante Josepho *Antiqu. l.* 20. *c.* 1. ambitu summo id expetivit à Claud. Cæsare, obtinuítque, unà cum annexâ eligendi primores pontifices authoritate.

Sed istos mitto: Ad illos venio, quos Ἄρχοντας τῶν ἁγίων hic reverà vocat Textus: quorum munus erat, (primariò sc. nam ministerialiter id faciebant pro officio suó Levitæ 1 Chron. 26. v. 20, 21, &c.) donaria, vestes, preciosa vasa, cæteráque ad templi ornatum spectantia qualiacunque, diligenter curare. *Æditumum* seu *æditum* ejusmodi vocabant Romani, cemeliarcham Christiani veteres, qui

Claustris sacrorum praerat,
Cælestis arcam domus
Fidis gubernans clavibus,
Votasq; dispensans opes. Prud. *in Hymn.*

ναοφύλακα, χρυσοφύλακα indigitarunt Græci.

Ὦ Ναοφύλακες, βώμιοί τε ἐπιςάται,
Θόας ἄναξ γῆς τῆς δε τοῦ κυρεῖ βεβώς·

O delubri custodes & præsides Altarium,
Thoas princeps hujus terræ quò abiit? Eurip.
Iphig. in Taur. Act. 5. & rursus in *Ion. Prolog.*
Δελφοὶ σφ' ἔθεντο χρυσοφύλακα τȣ̃ θεȣ̃,
ταμίαν τε πάντων πισόν ---.
Delii ipsum fecerunt custodem auri Dei,
Omniúmq; fidum dispensatorem.

Oeconomicum istiusmodi circa templa officium alicubi cum sacerdotio conjunctum docet *Aristot. Pol. l. 6. c.* 8. & alicubi distinctum fuisse, sc. in permagnis quibusdam oppidis, ubi multiplex magis tum custodiæ, tum dispensationis onus incumberet.

Sed bene factum; Rapacitas nuperorum temporum levavit Ecclesiam ejusmodi omni curâ, dum expilando quicquid ubivis sacratum erat, nihil penitus reliquit quod custodiæ ampliùs nostræ sollicitudinem mereatur. Magnæ, quod restat, fælicitatis erit, si in tanto grassantium impetu, non ipsa tandem diripiant Templa, & direpta pariter in prædam auferant.

Excurs. CXXIII.

1 Chron. 26. v. 27. *Ex bellis & ex prædâ consecrârunt ad curandam domum Jehovæ.*

SOlliciti semper fuerunt Judæi (quod observare ubique est percurrenti S. paginam) de templo suo in Hierosolymis, ut quod à Salomone magnificentissimè conditum acceperant, sartum tectum usque servarent. Præter alias eásque quàm plures tum publicas tum privatas rationes, quibus pecunias continuæ ejusdem instaurationi impendendas colligebant, una fuit de spoliis in bello captis, huicque adeo usui peculiariter consecratis. Quò pertinet illud *Josh.* 6. *v.* 19. ubi in expugnatione Jerichontis, quicquid *auri* vel *argenti* ibi repertum fuit, in *thesaurum Domini* inferre jubentur.

Ἀκροθίνια hæc vocabant Græci, *Manubias* Latini, decimas nempe hostilis prædæ, quas sacris usibus devotè dicabant. Μετὰ δὲ τοῦτο διεδάσαντο τὴν ληΐην, καὶ τὰ ἀκροθίνια ἔπεμψαν ἐς Δελφοὺς, ἐκ τῶν ἐγένετο ἀνδριὰς· *Deinde prædam inter se dispertiêre* (Græci) *ex quâ primitias Delphos miserunt, unde statua erecta est*, Herodot. *l.* 8. *c.* 121. Δεκάτας, *Decimas l.* 9. *c.* 8. Καὶ δὲ καὶ τὸ ἱερὸν

Ἀπόλλωνος

Ἀπόλλωνος ἐκόσμησε πολλάκις τὸ ἐν Δελφοῖς ἀπὸ τῶν ἀκροθινίων· *Quin & Manubiis Delphicum Apollinis templum* (Liparenſis Inſula) *Sæa exornavit.* Strab. *l.* 6. Δύο μὲν Ἀθηναίοις εἰσὶ δεκάται πολεμήσασιν, ἄγαλμα Ἀθηνᾶς χαλκοῦν ἀπὸ Μήδων --- καὶ ἅρμα χαλκοῦν --. *Duo ſunt ex bellica prædæ decimis inſignia apud Athenienſes opera, Minervæ unum ex Perſis, alterum ex Bœotis* -- &c. Pauſan. *in Att.* Papirius (victor in bello contra Samnites) *ædem Fortis Fortunæ de manubiis faciendam curavit. Liv. l.* 10. *c.* 46. Poſtumius Cereri ac Baccho ἐκ τῶν λαφύρων. D. Halicarn. *l.* 7. *Tarquinius Superbus de manubiis captarum urbium templum erexit.* Flor. *l.* 1. *c.* 7.

Sic utique extruebant nonnunquam, ſæpe, inſtaurabant, ſæpius ornabant inſuper ſua templa è manubiis bello captis; Inerat illis proculdubiò occulta quædam religionis vis, quæ, licèt veri inſcios, ad tam ſpectabile pietatis opus incitabat. Cùm interim nos, quamquam multò inſtructius, atque ope diſciplinæ Chriſtianæ recti æquique capacius populi genus, (ſed in hoc tamen utriſque pejores aliquantulùm tum Judæis, tum Ethnicis) tam longè abeſt ut curemus decenter, & quomodo oportet, ſacratas Dei ædes, quòd neglectui prorſus habeamus earum potiſſimas, & ſeneſcentes deformi tandem ruinæ permittamus.

Eſſem utinam vanus, ſed clamat Pontia, feci.

Res ipsa adeo loquitur in putrescentium ubique inter nos Basilicarum squalore, & factum nimis certò proclamat.

Excurs. CXXIV.

1 Chron. 28. v. 12, 13. *Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticûs & templi; Nec non & atriorum & domuum circumquaq; in thesauros domus Dei, in; & thesauros rerũ sacratarum.*

PRæter *Fiscum regium*, & *civile ærarium* publicis usibus destinatum, de quibus Scriptores Judaicæ Reipubl. multi multa tradiderunt, habebant præterea Judæi & *Ærarium sacrum*. Illic oblationes suas pecuniarias, & res sacratas qualescunque, Donaria, Anathemata, atque alia ejusmodi inferebant. Primus, quod legimus, Joshua, cùm adhuc duraret Tabernaculum, *c.6. v.* 19. posteà Salomon jam extructo Templo, 1 *Reg.* 7. *v.* 51. & sic deinceps, tum principes, tum è populo quicunque pro occasione; quorum sic illatorum in unoquoque genere, accuratior quædam habetur enumeratio, 2 *Reg.* 12. *v.* 4.

Quàm valde abundabat ærarium istud omnifariâ opum supellectile, extra institutum opus

opus esset diligentiùs inquirere: Ibi namque, invalescente paulatim consuetudine, non tantùm res sacratas servandas ponebant, sed alia quoque, tanquam in loco certissimo, & fidæ maximè custodiæ. Illìc viduæ & pupilli conferebant sua bona, ut testatur Hegesippus *l.* 5. *c.* 43. Illic etiam alii proculdubiò quicunque res suas in tuto esse volebant. πολλὰς ἰδιωτικῶν χρημάτων μυριάδας ἐν τοῖς ἱεροσολύμων γαζοφυλακίοις τεθησαυρίσθαι τῷ ἱερῷ μὴ ἐπικοινωνούσας, docet Josephus *in l. Mach. Fuisse Hierosolymis in thesauris conditum infinitum auri & argenti pondus, non templo modò debitum, sed quod & spectaret ad privatos.*

Neque verò inter Judæos solùm, templum hoc modo Gazophylacii vicem obtinuit, sed & alibi prætereà; De æde Saturni apud Romanos res est nota satis, nec est quòd de aliis multùm dubitemus. Θησαυρούς τε καὶ νεὼς, πάντας χρημάτων πλήρη ἐδείκνυε· *Thesauros templáque omnia pecuniis plena* ostendit, Herodian. in Sever. *l.* 3. *c.* 44. Magis distinctè atque enumeratè Appianus, de *Bell. Civ. l.* 5. Ἐκ τῶν ἱερῶν ἐδανείζετο (Αὔγουστος) ἀπό τε Ῥώμης ἐκ τοῦ Καπιτωλίου, καὶ ἀπὸ Ἀντίου, καὶ --- Augustus è *fanis accipiebat mutuò, è Capitolio, Antio, Lanuvio, Nemore, Tibure, in quibus urbibus & hodie sunt thesauri referti sacrâ pecuniâ.* Diversa diversorum Numinũ fana in hunc usum pariter, pecu-

nias depositas (sive publicè, sive privatim) servandi, pro more usurpata , percensendo commemorat Plutarchus : Æsculapii in Epidauro , Neptuni in Isthmo, Apollinis in Actio , Junonis Sami , &c. Plutarch. in Pomp.

Apud Græcos porro Delphicum templum divitiis similiter abundasse undiquaque illuc collatis, quis non fando accepit ? Adeo ut Amphyctionum gravissimum Græciæ concilium hôc fine, inter cæteros, præcipuè institutum fuerat, περὶ τοῦ ἱεροῦ τὴν ἐπιμέλειαν καὶ φυλακὴν, *ob templi curam & custodiam habendam.* Strab. *l.* 9. *Siciliam ditissimam auri, argenti copiosam, in urbibus, in Delubris invenit (C. Verres) & diripuit.* Cic. in *Divinat. contra Verr.*

Quod ad Christianos denique vetustioris seculi attinet , nec illi minùs hunc morem coluerunt, templa sua in opum quasi Repositoria vertentes ; Ἱερὰ κειμήλια, locatas ibidem divitias solenniter vocabant. Socrat. *Hist. Eccl. l. 6. c.* 7. Et quidem retinueramus nos usque vestigia etiam aliqua ejusmodi consuetudinis, donec rapax tandem sive zelus, sive ambitio flagitiosorum nuper temporum, omnia corrasit.

Excurs.

Excurs. CXXV.

2 Chron. 16. v. 14. *Et sepeliverunt eum (Asam) in sepulchro suo, quod foderat sibi in civitate David, posuerúntque eum super lectum suum plenum aromatibus & unguentis,——& combusserunt ei ustionem odorum perquàm maximam.*

QUalis & quotuplex mos erat sepeliendi apud Gentiles olim, parum aut nihil conducat ad præsentis argumenti notitiam, si explicare susciperem; De quo aliquid Lucianus in *Tractat.* περὶ πένθους, & Sext. Empericus *Hypotyp. l.* 3. *c.* 24. Adeatur, si placet, Alex. ab Alexandro diffusiùs aliquantulùm de eo disserens, *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 12. Sed antiquissimum omnium fuisse humationis morem (saltem quantùm ad Romanos spectat) tradit Cicero *de Leg. l.* 2. *Plin. Nat. Hist. l.* 7. *c.* 54. & de Judæis id constat ex *Gen.* 23. *v.* 19. Quamvis nec tantùm humatione uti solitos Judæos in sepulturâ mortuorum, sed etiam quandoque cremasse eos reperiemus. *Am.* 6. *v.* 10. *Et tollet eum propinquus suus, & comburet eum, ut efferat ossa de domo.* Extulerunt certè hoc modo ad cremandum funebri lecto impositum hìc regem Asam, & cremati deinde ossa illata in sepulchrum con-

condiderunt. Sed de illatione ossium posteà, nihil moror; Ustionem interim, quod ex Textu liquet, fecerunt super eum maximam, aromatibus & preciosis ex omni genere odoribus cumulatissimam.

Moris sc. ubique erat in funereis hujusmodi Principum ustionibus, nullâ sumptuum vel expensarum habitâ ratione, luxuriare profusissimè. Iosephus in funeratione Herodis describendâ, quamvis non Iudæi quidem, tamen Iudæorum postea Regis; παρέλιπεν δ' ὐδὲν ὁ Αρχέλαος ἐις πολυτέλειαν, - κλίνη μέν ὁλόχρυσος ἦν, διάλιθος, στρωμνὴ δὲ ἁλουργὴς, ποικίλη, τὸ σῶμα δὲ- *Nihil munificentiæ prætermisit (Archelaus)-- lectus quippe totus erat auro gemmisq́ distinctus, torus autem purpurâ variatus, corpúsq́ super eum velatum purpurâ, capiti diadema erat impositum --- quingenta servi ac liberi odores ferebant. De Bell. Jud. l.* 1. *c.* 21. Arrianus in funere Calani Sophistæ Indici, Ὁι δὲ καὶ πομπήν τινα προπομπεῦσαι, καὶ αὐτῷ λέγουσιν ἵππους τε καὶ ἄνδρας, τοὺς μὲν ὡπλισμένους, τοὺς δὲ θυμιάματα-- *Sunt qui asserant pompam etiam ab Alexandro præmissam fuisse, equosq́ & viros, alios quidem armatos, alios varii generis odoramenta in rogum congessisse; Alii poçula aurea & argentea, atque adeo vestem regiam illatam affirmant. De Exped. Alex. l.* 7.

Ditantur flammæ, non unquam opulentior illa

Ante

Ante cinis; crepitant gemmæ, atque immane liquescit
Argentum, & pictis exsudat vestibus aurum:
Nec non Assyriis pinguescunt robora succis
Pallentique Croco. -- Stat. *Theb. l.* 6.

Ita enim nimirum (quod ex prolatis testimoniis obiter notari potest) præter aromata & suffimenta selectissimi cujusque generis, solebant insuper vestes, arma, & monilia defuncti simul cum corpore exurenda in rogum congerere.

Καὶ νῦν ἕτοιμος τῷδε καὶ τεῦξαι τάφον,
Καὶ συμπυρῶσαι μυρίων πέπλων χλιδήν.

Quin jam paratus sum ut illi sepulchrum statuam,
Simúlque vestes pretiosas cremem. Eurip. in *Rhes. Act.* 5.

Tum geminas vestes ostroque auroque rigentes
Extulit Æneas ——
Harum unam juveni supremum mœstus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu;
Addit equos & tela ——. Virg. Æn. 7. Et loquitur quidem hic atque alibi ex more Romanis satìs familiari, quem & in funeratione non ita pridem C. Cæsaris, sicut rem gestam narrat Suetonius *c.* 84. potuerat ipse forsitan observâsse. Rursus verò, ex parte Græcorum sufficiat vel illud Luciani in *Philopseud.* Ἐδήλησα δ᾽ οἷς περὶ αὐτὴν ἔπραξα,

ὅπως

ὅπως ἠγάπησα, οὐ ζῶσαν μόνον, ἀλλὰ ἐπεὶ καὶ ἀπέθανε, τόν τε κόσμον ἅπαντα συγκατακαύσας, καὶ τὴν ἐσθῆτα --- *Declaravi his rebus quas in eam* (uxorem) *feci, quomodo dilexerim, non modò dum viveret, verùm etiam postquam fato functa est, mundum ejus universum, vestemq́ue quá dum viveret delectabatur, in rogum ejus injiciens.*

Non comburimus nos quidem extincta corpora, ſed inhumamus pro more patrio: Nec itaque ſuffimenta odoréſve adeo apud nos locum ſuum habent; Alioquin tam proni ſumus ad omne luxûs & profuſionis genus, ut vel aliundè ſplendidiſſima ubicunque gentium vitia arrepta cupidè ſectemur.

Excurſ. CXXVI.

2 Chron. 26. v. 16. *Sed cùm confirmatus eſſet (Uzzias) elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum, ingreſſúſque templum Domini adolere voluit incenſum ſuper altare ſuffitûs.*

MIrari ſatis non poſſum, quo conſilio, quâve inſuper præpoſterâ adductus perſuaſione (ſi modò væcordem ipſius arrogantiam ſeponas hìc in Textu memoratam) tam inſulſum facinus aggreſſus ſit Uzzias, ut ſacro-

crosanctum & sacerdotibus solis debitum sacrificandi munus invaderet: Contra majorum planè longæva instituta, & contra expressa ipsius Dei multoties mandata; Quodque alius præterea nemo regum, nisi unus ille Israeliticus Ieroboam, unquam ausus fuit, 1 *Reg.* 12. *v.* 3. *c.* 13. *v.* 4. Ut sic divisi Tribuum sortitione quibus cum imperio præerant, saltem in pessimi facinoris perpetratione consentirent. Verum est quòd postea in Asmonæorum viz. familiâ, communicatio ista officiorum *sacerdotalis regiiq́;*, familiaris esse cœpit, 1 Mac. 10. & 14. Ioseph. *Antiqu. l.* 14. *c.* 17. Sed hoc longè pòst, nec Uzziam ullatenus attingit.

Sed perpulit itaque fortassis Uzziæ animum frequens tunc ejusmodi mos inter Ethnicos circumquaque, quo utrunque hoc modo munus in unum conjungi solere animadvertisset; ita ut idem sæpissime sacratis Religionis Ministeriis, & publicis Reipubl. negotiis præesset. Δικαςαὶ δὲ τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν. *Judices quondam apud Ægyptios iidem fuerant qui & sacerdotes.* Æl. Hist. Var. *l.* 14. *c.* 34. Hoc ipsum de Ægyptiis simul atque Græcis, tanquam solenne quoddam, in universum affirmant Plato in *Politic.* Aristoteles *Pol. l.* 3. *c.* 10. & de Atheniensibus magis particulatim Heraclides; Ὁ δὲ βασιλεὺς τὰ κατὰ θυσίας διοικεῖ, καὶ

καὶ τὰ πολέμια, *Rex verò ea quæ ad sacrificium & bellum pertinent, administrat.* Eu l. περὶ πολιτ. Ἀνάγκη τὸν τέλειον βασιλέα στρατηγὸν ἀγαθὸν ἦμεν, καὶ δικαστὴν, καὶ ἱερέα. *In rege perfecto, ut bonus sit imperator, judex & sacerdos, requiritur.* Stob. *de Regn. c.* 46.

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbiq; sacerdos. Æn. 3.

Neque hæc tantùm de eminenti quadam potestate in sacerdotalium operum administratione, quam possidebant tunc Reges, accipi debent, (juxta illud Pomp. Læti de Regum Roman. adsito munere dissertantis, *c.* 1. *Rex sacrificiis, & templis, & omni cultui Deorum, & moribus & legibus præerat*; (quod vel hactenus Christianorum ubique principum officio perbellè congruit:) sed de exercitio & ipsâ rei quandoque operatione intelligenda sunt. Ἔργα δὲ βασιλέως τρία, τό τε στρατηγεῖν, καὶ δικασπολεῖν, καὶ θεραπεύειν θεοῖς. *Sunt autem officia Regis tria, imperare, judicare, Deos colere.* Stob. ubi suprà.

Ipsa tenens dextrâ pateram pucherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Æn. 4. Et ad hujus exemplar planè insequentes deinde poetæ.

— *Rex ipse nitentem*
Inclinat dextrâ pâteram; Secretaq; Beli,
Et vaga testatur ——. Claudian.

— *Gemmantem pateram Rex ipse retentans*
Fudit

Fudit thuricremis charchesia cernuus Aris.
Sid. Apollin.

Saltem, hæc (inquam) non *directivum* aliquod merè principis arbitrium in sacrorum procuratione, sed & ipsius operis insuper præstationem palam indigitant. Et utrùm ad hæc & hujusmodi, retrosiorum viz. temporum exempla collimet Uzzias, dum sic ultra divini præscripti limites effrœnem suam ambitionem extendit, nihil adstruo. Certè, sunt ex hoc genere inter nos nimiùm quàm plures, qui, licèt non de Aaronis semine, tamen Aaronis honores & dignitates ambiunt; qui irrumpunt præaudacter in alienum sacerdotii munus, sine *Ordine*, & absque ullo *Vocationis* authoramento, offerentes cum Nadab & Abiu extraneum ignem super Altare Dei; ut mirum sit, si quorum facta tam sedulò imitantur, eorum exitum non perhorrescant.

Excurs. CXXVII.

2 Chron. 30. v. 8. *Nolite obdurare cervices vestras, sicut patres vestri, cedite manus Domino.*

REperire est in sanctæ Scripturæ codice quàm sæpissimè ibi à Deo mandatum, ut corda illi nostra synceriter atque devotè, illíque

illíque soli tribuamus. *Fili mi, prabe mihi cor tuum, Prov.* 30. *v.* 26. Illud ipsum est quod *Deut.* 10. aliísque in locis quàm plurimis, tam seriò & unicè à nobis efflagitat. Verùm de manibus illi præbendis vix ullibi prætereà, saltem non adeo frequenter, occurrit istiusmodi sanctio. De *levatione* quidem manuum in precibus adhibendis, sicut & de *extensione* earundem in contrahendis pactis, legimus aliquoties: sed de exhibendo manus Deo, rariùs, quod dixi; cujus tamen locutionis ratio non indigna est prorsus quæ disquiratur.

Duplex esse potest modus intelligendi isthæc verba: unus, quo præbitione tali manuum fidem nos Deo dare significetur. Ὁ δὲ δειλὰ μοι διατίθεται, καί τι ποιήσω οὐκ οἶδα, ῥίψω αὐτὸν; ἀλλὰ τῷ θεῷ δεξιὰς δέδωκα, καὶ φοβοῦμαι. -- *Ille autem me graviter affecit,* (sermo est de ingrato quodam paupere;) *abjiciam illum? sed Deo dedi dextram, & timeo.* Pallad. in *Hist. Lauciac. c.* 26. Et rursus infrà, Ἐδεδώκειν δὲ καὶ δεξιὰς τῷ Χριστῷ ἵνα αὐτὸν νοσοκομήσω, ὅπως ---. *Dextram quoque dedi Christo quòd in morbo ejus curam geram, ut ego per ipsum salvus fiam, & ipsa anima recreetur*; Atque ita manum Deo dare, idem erit quod nosmet virtute promissi alicujus Deo obstringere.

Alter modus, ísque Textui paulò accommodatior, est, si intelligamus hìc submissionem

nem hominum obstinatè priùs nequam, & cum Deo tandem reconciliatorum. Cervicosos mox anteà vocat Textus, σκληροτράχηλες, *Nolite obdurare cervices vestras* --. Et quod ad manuum deinde porrectionem attinet; *Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ad Deum extendere. Psalm.* 68. *v.* 32. *Ægypto porrigimus manum, Assyrio ut satiemur pane*, Lam. 5. *v.* 6. h.e. subjicimus & humiliamus nosmet, tractâ locutione ab eo more quo in signum pacis & reconciliationis manus solebant protendere. Xenophon *de Instit. Cyri l.* 4. ubi tractat de Hyrcanorum hostium inter pugnandum in Cyri partes transitu, quum adhuc in dubio esset utrùm an socii vel ut hostes venirent, Πέμπει ὁ (Κῦρος) πρὸς αὐτὲς προστάξας λέγειν, εἰ φίλοι εἰσιν, ὡς τάχιστα ἀπαντᾷν τὰς δεξιὰς ἀνατείναντας· *Mittit ad ipsos* (Cyrus) *jubens, siquidem sint amici, quàm celerrimè sublatis dexteris occurrerent.* Cæsar de Bell. *Gall. l.* 7. in prælio ad Gergoum: *Tametsi*, inquit, *dexteris erectis animadvertebantur* (Galli,) *quod insigne pacis esse consueverat, tamen id ipsum sui fallendi causâ milites ab hostibus factum esse existimabant.* Hoc est quod aliâ locutionis formulâ, sed idem signante, ὀρέγεσθαι τὰς χεῖρας dicebant. *Pacem orare manu* —. Æn. *l.* 10. Ἔπειτα τῶν πολιορκουμένων, ὡς εἶδον αὐτὸν, ἀπὸ τε τείχους ἀνακαλούντων, καὶ χεῖρας ὀρεγομένων, καὶ δεομένων· *Deinde obsessis,*

ut ex muro Quintium conspexerant, implorantibus opem ejus, & manus tendentibus precantibusq;. Plutarch. in *Q. Flamin.*

Procedit, supplexq; manus ad littora tendit: ait præfatus poeta, *Æn.* 3. in Archimenidis mentione, ejecti ibidem, miseri, destituti, & tradentis se in tutelam Æneæ, ejúsque opem humillimè implorantis.

Nos itidem sumus à naturâ omnes perditi homunciones, *Filii iræ & inobedientiæ*, ut loquitur Apostolus, Ephes. 2. *v.* 3. verè Hostes omnipotentis Dei, *Col.* 4. *v.* 21. Quid aliud superest, quàm ut dedamus nosmet ei, *præbendo*, ut hìc, *manum* nostram, adeóque ad Aram misericordiæ illius supplicum more confugiamus?

Excurs. CXXVIII.

2 Chron. 33. v. 6. *Transiréque fecit filios suos per ignem in valle Behinnon, observabat somnia, sectabatur auguria.*

HOc illud ipsum est quod longè anteà tam sollicitè præmonuerat Israelitas Deus, ut ne filios filiásve suas fœdissimo idolo Molech comburendos traderent. *De semine tuo non dabis, ut consecretur idolo Molech*, Lev. 18. *v.* 21. *Si quis dederit de semine suo idolo Molech, morte morietur. c.* 20. *v.* 2. Quis autem famosiorum

mosiorum dæmonum fuerat iste Moloch, utrùm Saturnus, an Jupiter, an Mercurius necne, satis anxiè pro rei sc. dignitate laborarunt jampridem alii, & præ cæteris inter alia quàm plurima cognati & similis argumenti, accuratissimè Seldenus noster, *Syntagm. de Diis Syr.* 1. *c.* 6. Quamquam verisimillimè quidem statuant plerique Saturnum fuisse, quippe qui à Phœnicibus, ut docet Athanasius in *Orat. contra Gent.* (his verò erant Judæi loci vicinitate proximè conjuncti) potissimè colebatur.

Nec rursus consilii mei est, diffusiore id sermone prosequi, quanta tunc olim sævæ superstitionis rabies corripuerat mortalium genus, dum nulla gens, nullus ferè populus erat, qui non hoc modo placabant dæmonia sua humanis hostiis, & more insuper tam inhumano delectabantur: De quâ re si quis plus scire cupiat, consulat Eusebium *in Præpar. Evang.* *l.*4. *c.*16, 17. & Porphyrium *de Abstin.* *l.*2. Sed præcipuè Eusebium in *Orat. de Laud. Constantini*: rationémque tam diræ consuetudinis, (si tamen ulla afferri potest) scitè, quoad ad aliquos casus, ubi vitæ & necis causa agebatur, reddit Cæsar ex opinione Druidum, *De Bell. Gall.* *l.* 6. arbitrantium, viz. *pro vitâ hominis nisi vita reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari.*

Sed quod propiùs ad Textum accedit, morem ejuscemodi infantes mactandi, præci-

pue inter Carthaginenſes viguiſſe refert Tertullianus, *Apol. c.* 8. à quibus, ut priùs dixi, veriſimillimè eum Judæi acceperant: Nec enim Gentile aliquod aut domeſticum Iſraelitarum hoc flagitium fuit, ſed Ethnicorum in eo mores, (Pœnorum inquam imprimis) ſecutos illos fuiſſe diſertè aſſeritur, 2 Reg. 16. v. 3.

Pœni ſunt ſolitei sôs ſacrificare puellos. Enn.

Mos fuit in populis quos condidit advena Dido,
Poſcere cæde Deos veniam, ac flagrantibus Aris,
(Infandum dictu) parvos imponere natos.
Sil. Ital. *l.* 4.

Locus porro ubi tam immanem ritum cruciabiliter mactandi miſellulos ſuos infantes illorum exemplo exercebant, vallis Behinnon hic vocatur: Aliàs Tophet, 2 *Reg.* 23. *v.* 15. à tympanorum ſonitu, quorum interſtrepente nimirum tunc in ipſo actu fragore, pereuntium triſtes ejulatus ſupprimere conabantur; quod emphaticè ſatis declarat Plutarchus *in l.* 10. περὶ Δεισιδαιμον; Modum deuuo combuſtionis affabrè depingit D. Siculus *l.* 20. Carthaginenſiũ varias ibi recenſens conſuetudines. Ἦν δὲ παρ᾽ αὐτοῖς ἀνδριὰς Κρόνου χαλκοῦς, ἐκτετακὼς τὰς χεῖρας ἐγκεκλιμένας ἐπὶ τὴν γῆν, ὥστε ἐπιτεθέντα τῶν παίδων --- *Erat autem apud illos ærea Saturni ſtatua, qui manus ſupinas extendebat, ita ad terram*

ram inclinatas, ut impositus illi puer devolveretur, & in voraginem ignis plenam rueret. Quò ſpectat illud etiam Euripidis *in Taur.* & inde forſan, ut cenſet præfatus Diodorus, ſermonis ſui occaſionem deſumpſit.

Oρ. Tάφος δὲ ποῖος δέξεταί μου ὅταν θάνω;

Eφ. Πῦρ ἱερὸν ἔνδον, χάσμα τε εὐρωπὸν πέτρας.

Or. *At quod ſepulchrum me peremptum recipiet?*

Iph. *Sacer intùs ignis, & cavum terræ ſpecus.*

Quàm proni & faciles ſimus ad omne genus nequitiæ amplexandum, quodcunque aliorum ſimiliter peccantium blanda autoritas conciliaverit, vèl ex his abunde liquet quæ præmiſimus ſtrictim, & allato inſuper Textu firmavimus 2 *Reg.* 16. quòd, cùm nullum gravius aut atrocius ſit crimen quàm propriorum infantum cruenta immolatio, tamen nec in eo defuerunt Iſraelitæ, quin ſtatim circumjacentium nationum horrendos mores æmularentur.

Excurs. CXXIX.

Ezr. 3. v. 10. *Ita fundantibus structoribus templum Jehovæ, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Levitæ filii Asaph cum Cymbalis, ut laudarent Deum.*

DE Encæniis sive templorum consecratione, obiter aliquid, quod memini, inserui supra, ubi de ædium domesticarum dedicatione *Deut.* 20. fusiùs tractavi: Nec opus est omnino ut hìc quidquam ampliùs adjiciam. Quis enim ita Historiæ omnis expers, qui non cognoverit rem tum apud cultores Dei veros, tum inter profanos Idololatras, semper antehac & ubique celebratissimam? Nostri seculi miseria est quòd nec extruimus templa, nec sacramus, nec sacrata in honore merito habemus. At jam de structurâ res est, adeóque de primordiali illorum fundatione.

Cum magnâ quidem festivitate, sicuti apparet, in *Cymbalorum* ac *tubarum* sonitu structuram hìc Templi inchoabant Judæi; Et quid mirum? cùm nec aliter vel ipsas prioris ruinas resarciebant, adstantibus Levitis & opus promoventibus dulcisono organorum hortatu, 2 *Chron.* 34. *v.* 12. Id verò utrobique agebant ex receptâ nimirum etiam apud

apud Exteros consuetudine, quâ non sine solenni aliquâ pompâ, simul lætitiæ suæ in præsens, tum & conceptæ in futurum spei indice, ejusmodi opera plerunque aggrediebantur. Pausanias in *Messen.* instaurationem urbis Messenes referens, ab Epaminondâ factæ, καὶ τὴν μὲν τότε ἡμέραν (inquit) πρὸς θυσίαις τε κ' εὐχαῖς ἦσαν· ταῖς δὲ ἐφεξῆς τὴν περίβολον ἤγειρον, καὶ ἐντὸς οἰκίας καὶ τὰ ἱερὰ ἐποιοῦντο, εἰργάζοντο δὲ καὶ ὑπὸ μουσικῆς ---. *Atque eum quidem diem sacrorum cæremoniis & votorum nuncupationibus transegêre: In sequentibus murorum ambitum excitarunt; intra eum domos & templa erexêre: omniaq; hac fecerunt ad Bœotiæ & Argivæ tibiæ modos.*

— Circùm pueri innuptæq; puellæ Sacra canunt —. Æn. 2.

Capitolii instaurationem commemorans Corn. Tacitus, *Hist. l.* 4. quod fortè non ita pridem conflagrârat, multa ibi ponit, & ea cum magnâ solennitate peracta, tum, cùm opus primùm inchoarent. *Spatium omne quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisq;. Ingressi milites, quibus fausta nomina, fœlicibus ramis: Dein virgines Vestales — aquâ rivis & fontibus, amnibusq; haustâ perluêre: Tum Prætor præeunte Pl. El. pontifice, lustratâ suo-ve-taurilibus Areâ -- præsides imperii Deos precari, ut cœpta prosperarent.*

Atque ad hunc tam receptum ubique exultationis morem, tum apud Iudæos, tum

apud Gentiles, in primâ ædium, sacrarum præcipuè, conditurâ, respexit forsan S. Spiritus, (ut illud etiam obiter includam) *Job* 38. *v.* 4, 5. 6. 7. sermonem ibi de primâ mundi creatione instituens.

Ubi eras, (inquit Dominus ad Jobũ) *quando ponebam fundamenta terræ?*

Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis dimisit lapidem angularem ejus?

Cùm me laudarent simul astra matutina,

Et jubilarent omnes filii Dei. Sed hoc obiter, ut dixi, & in transcursu tantùm.

Postremò, idque demum clausulæ loco, non indigna prorsus res se offert, quantâ cum pietate ejusmodi structuras ad Dei cultum pertinentes inchoare solebant veteres, quàm promptâ cum alacritate. Certè eâdem quâ nunc è contrà pessimis hisce nostris diebus nimis quàm multi diruere gestiunt. Cùm Lacedæmonii ex pactis inter se quibusdam conditionibus everterent Atheniensium muros, eósque solo penitus exæquarent, κατέσκαπτον ὑπ' αὐλητρίδων πολλῇ προθυμίᾳ -- inquit Xenophon, *Hist. Græc. l.* 2. *Tibicinarum ad cantum magno cum hominum studio id egerunt.* Idem faciunt complures hodiernis nostris temporibus, & multò magis facere concupiscunt, in devastandis Deo Deique honori sacratis ædibus, non absque summâ ubivis exultatione & gaudio: nec remedii superest vel tantillum, nisi ut hujusmodi insolenter facta incassùm doleamus.

Excurs.

Excurs. CXXX.

Esth. c. 1. v. 8. *Potum autem ex jure nemo exigebat; Sic enim constituerat rex, unicuique magistro domûs suæ, ut facerent pro voluntate uniuscujusque.*

MAgnificum valde convivium Dynastis, Satrapis, cæterisque imperii sui primoribus quocunq; nomine dignandis instruxit hic rex Assuerus. Obtinuerat verò tunc iniquus mos in celebratione ejuscemodi conviviorum, (inter Orientales præcipuè populos, quod & adhuc durat apud nonnullas gentes,) luxu ea nimio, adeoque compotationibus strenuis transigendi: Cavit hoc egregius temperantiæ arbiter Rex, atque adeo in mandatis dedit, ut pro libito unusquisque, nemine cogente, potaret. Fecit autem sic constituens nihil aliud quàm quod Persis solenne erat observare, teste M. Tyrio *Diss.* 12. Ἦν δὲ αὐτοῖς νόμιμον, inquit Xenophon, μὴ προχοΐδας εἰσφέρεσθαι εἰς τὰ συμπόσια-- De Instit. l. 8. *Lege sancitum fuit* (Persis,) *nè in conviviis Prochoidas inferrent, calices nempe vini ingentes, quibus intemperantia simul induceretur.* Idem etiam prætereà refert ille de Lacedæmoniis in *l. de eorundem Repub.* καὶ μὴν τοῦ πότου ἀποπαύσας τὰς οὐκ ἀναγκαίας πόσεις, ἐφῆκεν ὁπότε διψῴη

ἕκαςος πίνειν---*Sublatis potionibus non necessariis, quæ tum corpora tum animos labefactant, potestatem eis bibendi reliquit, ubi quisque sitiret.* Loquitur de Phiditiis illorum, vel certè in Phiditiis eorum hoc ipsum servatum fuisse tradit Athenæus *l.* 4.

Et quòd Græci communiter libertatem istiusmodi in Bacchanalibus suis usurparunt, satis innuit Poeta, ubi Agamemnon sic alloquitur Idomeneum;

---Σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ
Ἕστηκ', ὥσπερ ἐμοὶ, πιέειν ὅτε θυμὸς ἀνώγῃ.
---*Tibi plena patera semper*
Adstat, ut & mihi, quoties bibere placet.
--- Τὸ πρὸς βίαν πίνειν,
Ἴσον κακὸν πέφυκε τῷ διψῆν βίᾳ.
---*Vi coactum bibere,*
Par malum est, ac si quis sitim vi patiatur. Soph.

Rectè igitur Epigrammatista, *l.* 2. *c.* 47. dignus qui coronidem huic Periodo imponat:

Αὐτοθελὴς ἥδιστος ἀεὶ πότος, ὃς δὲ κ' ἀνάγκῃ;
Ὑβριστὴς οἴνῳ τ' ἐστὶ, κ' οἰνοπότῃ.
Spontaneus suavissimus semper potus, coactus
Injurius vino est & vini potori.

Illud, Ἴσον ἴσῳ, quod in proverbio est, illæque προπινόντων φιλοτησίαι, abeant quò merentur; Nè quid tale hìc accideret, cautè prospexit Assuerus Rex, negotio imposito principibus quibusdam qui domûs suæ præfecturam gerebant: Non tales tamen quales in conviviis apud antiquos fuerant, *Moderatores*

ratores, Magistri, Arbitri, Latinis dicti: συμποσίαρχαι, βασιλεῖς, οἰνόπται, Græcis: quorum unicum, aut saltem præcipuum munus erat diligenter advertere, εἰ κατ᾽ ἴσον πίνουσιν οἱ συνόντες, *an ex æquo biberent conviva*, Athen. *l.* 10. Immò potiùs urgere, vimque adeo nolentibus adhibere; cujus rei peridoneum affert exemplum Laertius in Empedocl. *l.* 8. Ἐκέλευσε γὰρ ἢ πίνειν, ἢ καταχεῖσθαι τῆς κεφαλῆς, *Jubebat* (Symposiarcha) *aut bibere convivam, aut in caput effundi merum.*

Nil tale, inquam, hic verendum occurrit in Assueri convivio, quin omnia ibi placidè, modestè, sobriè gerebantur. Nemo cogebat, invitos nemo in pocula solicitabat: utinamq; sanè exclusis quibuscunque ebrietatis illiciis, non absimilis moderaminis ratio in nostris quoque commessationibus teneretur semper; nec ad mensuram ibi, licèt absque mensurâ nimis sæpe, potare disceremus.

Excurs.

Excurs. CXXXI.

Esth. 5. v. 2. *Cúmque vidisset (Rex) Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, & extendit contrà virgam auream quam tenebat manu, quæ accedens osculata est summitatem ejus.*

TRita res est, & vel pueris satis nota, quantâ cum veneratione, etiam supra mortale fastigium, Persarum olim reges à subditis suis colebantur. Abundant hâc ex parte Historiæ veterum quotquot supersunt ferè. Neque Persis solummodò tanquam propria & sua adhæsit tam insulsa consuetudo, quin alias quoque gentes invasit simili stuporis contagione, donec ad Romanos tandem pervênit: cæpítque in usu esse προσκυνεῖσθαι τοὺς ῥωμαίων βασιλεῖς, ut Romani quoque *Imperatores suos adorarent*, tradente Zonarâ *Tom.* 3. & de προσκυνισμῷ ibi loquitur, sive in terram *prostratione*. Magnum hoc in populo ubicunque submissionis sanè indicium fuerat, magnæ in principibus elationis, & quidem nimiæ. Id tantùm est quod dici fortè in excusationem potest, quia ita moris tunc fuit facere, apud Orientialiores præcipuè gentes, etiam in non imparibus adeo hominum congressibus: Sic Josephi fratres *adorant* eum, *proni in terram*, *Gen.* 43. *v.* 26. & Ruth

c. 2.

c. 2. v. 10. *Cadens in faciem suam & adorans super terram*, allocuta est Booz.

Cæterùm unum præter cætera sublimitatis regiæ apud Persas specimen hìc præfert Textus, de sceptri sc. adeuntes versùs extensione; Rarũ & infrequens certè, nec quod alibi usquam tam facilè inveniatur. Sceptri elevationem jurantibus usitatam narrat Aristoteles *Pol. l.* 3. *c.* 10. Ὁ δ᾽ ὅρκος ἦν τοῦ σκήπτρου ἀπάντασις· *Jusjurandum autem erat sceptri elevatio.*

Ἀλλ᾽ ἄγε μοι τὸ σκῆπτρον ἀνάσχεο, καὶ μόι ὄμοσσο

ἦ μὲν τοὺς ἵππους τε καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ

Δώσεμεν ---

Sed age, sceptrum mihi porrige, & jura

Certe equosq; & currus ornatos ære

Daturum, ait Dolon ubi Hectorem compellat *Il.* 10. Græcorum castra insidiis aggressurus. Non præteribo hic, ob aliqualem saltem quam gerit similitudinem, quantumvis in dispari alioquin materiâ, inconditum illum habitum quo legatos Antonii ad se venientes, Phraates rex Parthorum accepit, ut refert *Dio l.* 49. Ἐπί τε χρυσοῦ δίφρου καθήμενος, καί τὴν νεύραν τοῦ τόξου ψάλλων, καὶ --- *Aureâ sellâ sedens, & nervum arcûs pulsans, admissis respondit.*

Sed propiùs adhuc; Purpuram Regiæ majestatis apprehendisse, certum erat inter antiquos, tum honoris, tum salutis eis indicium, quicunque contingerent. *Quapropter specta-*

ſpectabilitatis honore ſuffultus, inter Tribunos & Notarios, Venerande, purpuram adoraturus accede. Caſſiod. *Var. l.* 11. *Ep.* 20. *Quoniam Urbicus primiceriatus ſui tempore noſcitur peregiſſe inter Domeſticos & protectores, ſacram purpuram adoraturus accedat. Ep.* 31. *Verùm cùm primitùs viſus, adorandæ purpuræ datam ſibi copiam advertîſſet (Lucillianus,) recreatus tandem erat, ſuiq; ſecurus.* Am. Marcell. *l.* 21. & rurſus *l.* 15. *Per admiſſionum Magiſtrum, qui mos eſt honoratior, accito* (Urſicino,) *ingreſſo Conſiſtorium offertur purpura, atq; ita ante principis pedes ſupplicem ſtatuerunt.*

Conſuetudo iſtiuſmodi tangendi atque exoſculandi principis ſtolam, perdurat & adhuc quibuſdam in locis, accedentibus plerumque in favoris vel reconciliationis ſignum conceſſa. Et quidem hæc ad eam in Textu poſitam quàm proximè accedit: Accedit, inquam, non attingit planè; & ſanè, ut exæquem penitus, quamquam excutienti memoriam, non ſtatim occurrit. Utcunque melior omnimodò fuit hic Perſarum mos extendentium ſceptra in oſcultationem, quàm ille Romanorum porrigentium pedes; Cujus tam inſulſi moris primus inſtitutor memoratur C. Caligula, ut Dio *l.* 59. firmavit ſolenni Edicto Diocletianus, ut narrat *Pomponius Lætus Rom. Hiſt. l.* 2. & adhuc Romanus Pontifex, (ſatis inſolenter quidem pro *Servo*, qualem ſe profitetur tamen) hæreditario quaſi jure eundem ſemper uſurpat.

Excurſ.

Excurs. CXXXII.

Esth. 6. v. 12. *Reversúsque est Mordechaus ad januam palatii, & Aman festinavit ire ad domum suam, lugens & operto capite.*

CErtum est non bene se omnino res Amanis habuisse, cùm ita festinabundè tectus & obvolutus capite, domum rediret; Aut enim mœrore, aut metu, aut aliquâ aliâ necesse est ejusmodi mentis perturbatione subitò oppressus, discessit; Talem quippe aliquam scævam atque inauspicatem se obnubentis conditionem, habitudo ipsamet (quod passim observare est) quàm sæpissimè indicabat. 2 *Sam.* 15. *v.* 3. *Porro David ascendebat clivum Olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite*, cùm fugeret sc. à facie Absolonis filii sui. Deinde posteà in morte ejusdem, *c.* 19. *v.* 4. *Operuit rex caput suum, & clamabat voce, Fili mi Absolon---.* Ad quem morem induendi usitatissimum tunc in periculis vel angustiis quibuslibet, efferuntur multæ ejuscemodi locutiones tropicæ, ubi conqueritur interdum quomodò *confusio operuisset faciem suam*, sicuti *Psalm.* 69. *v.* 8. aut rursus ubi inimicis Dei suísque simile infortunium vaticinans comprecatur; ut *Psalm.* 109. *v.* 29.

Induantur

Induantur, qui detrahunt mihi, pudore, & —.

Sed transeamus ad Ethnicos; Euripides inducens Polyxenam jam mox mactandam, Hecub. *Act.* 2. *sc.* 2.

Κόμιζ' Ὀδυσσεῦ μ' ἀμφιθεὶς κάρα πέπλοις,
Ὡς πρὶν σφαγῆναί γε ἐκτέτηκα καρδίαν
Θρήνοισι μητρὸς ---

Me duc Ulysses obvolvens caput peplo,
Nam antequàm macter contabesco pectore
Præ luctu matris ---.

Atque in hanc formam posteà, quò acerbitatem luctûs significantiùs exprimerent, effigiem ejus adumbrarunt, teste Epigrammatistâ *Anthol. l.* 5. *c.* 33.

Φᾶρος γὰρ ἐπίκρεμις ἀμφὶ προσώπῳ
Πήματα μὲν δείκνυσι ---.

Velamentum verò supra suspensa faciem,
Dolores quidem indicat —. Κράσσος -- δὲ καθ' ἑαυτὸν ἐγκεκαλυμμένος ὑπὸ σκότους ἔκειτο· *Crassus verò obvelato capite jacebat in tenebris*, post acceptam nempe à Parthis stragem universi exercitûs, & cùm jam Ipse mox idem incumbens sibi fatum mœstus opperiretur. Appian. in *l. de Bell. Parthic.* Similiter Cato milites fugatos intuens & occisos miserè ab hostibus, in congressu circa Uticam, Ἀπῆλθε ἐγκαλυψάμενος, καὶ καταδακρύσας, *Abiit lachrymans & capite obvoluto mærens*, inquit Zonaras *Tom.* 3. & Plutarchus in Cat.

Sic

Sic in luctûs occasione; sic autem & in metu solebant, sive ex reatu alicujus criminis oborto, sive aliunde. *Quid si vadimonium capite obvoluto stitisses?* Gell. *l.* 2. *c.* 14. Κἀν μὴ θέλω ἀποκρίνασθαι, ἀλλὰ ἐγκαλύπτωμαι, καὶ ἀποδιδράσκω, ἐκκαλύψειν μέ φησι προσελθὼν, καὶ ἄξειν ἐπὶ τὸ βῆμα, καὶ ---. *Quòd si respondere noluerim, sed oculos velâro, minitatur (Demosthenes) se accessurum, ac retecturum esse me, & perducturum ad Tribunal, adacturum ut respondeam.* Æschin. in *Orat. contra Ctesiph.*

Ut lugentes porro ad hunc modum, ut rei, aut aliàs in mortis periculo proximè constituti, more solito obtegebant capita, (sive ut vitarent quasi conspectum ipsum instantis miseriæ, seu potiùs ut intuentium oculos, pudore quodam infortunii sui affecti, laterent) ita etiam damnatis tandem, & ad supplicii locum ducendis idem fiebat. *I Lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infælici suspendito*, damnatorii pars carminis erat apud Romanos.

Nec plura effari concessum, obnubitur atrâ
Veste caput, trahiturq; ferox ante ora suorum.
Sil. Ital. *l.* 11.

Sic *Philotam jam suspicione proditoris laborantem, capite velato in regiam ducunt*, Curt. *l.* 6. Et sic denique iste ipse Haman, de quo loqui cœpimus, damnatus tandem perniciosi consilii sui quod contra Judæos agitaverat, rapitur

pitur obnupto capite *Esth.* 7. *v.* 8. & pro meritis supplicio digno mactatur.

Excurs. CXXXIII.

Job 31. v. 27, 28. *Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè; Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.*

QUàm præcipiti non minùs quàm cæcâ animi devotione cœlum cœlíque universam supellectilem colebant veteres, fuit suprà alius & aptior disserendi locus. Hic non de cultu ipso, sed de modo seu ritu quodam peculiari in religiosis eorundem ad cœleste Numen accessibus, disceptare incumbit. Novam planè & inauditam orandi consuetudinem videatur hìc innuere Joab, quâ ori admovebant manum precantes, eámque osculabantur. Verùm nec novam nec inauditam, si modò quis exotica Gentilium scripta perlustret, ad quorum tamen assuetos inter orandum mores, certum est loquentem hìc Joabum respexisse.

Sic enim solebant illi; Adeoque tam frequens reverà mos eis fuit precandi manu ad os applicitâ, ut vel inde, quod putârunt aliqui, orationis nomen defluxit. *In orando*, ait Plinius, *dexteram ad osculum referimus, totumq;*

totumq; corpus circumagimus, *Hist. l.* 28. *c.* 2. Θέμενοι δὲ βωμοὺς, προσάγουσι τὰς θυσίας, βοῦν μὲν ἀροτῆρα ὁ γεωργὸς, ἄρνα δ᾽ ὁ ποιμὴν --- ὁ δὲ τις λιβάνωτον, ἢ πόπανον· ὁ δὲ πένης ---. *Constitutis aris -- victimas offerunt, bovem aratorem agricola, agnum opilio, capram caprarius: Est qui thus, est qui placentulam offerat: at si quis pauper, ita Deo litat ut dextram duntaxat sui ipsius exosculetur.* Lucian. in *Dialog.* Περὶ θυσιῶν. Idem rursus in *Demosth. Encom.* χεῖρα τῷ στόματι προσαγαγόντος (ἐκείνου) οὐδὲν ἀλλ᾽ ἢ προσκυνεῖν προσελάμβανον ---. *Manum ille ad os porrexit, neq; ego suspicabar eum aliud facere quàm Deos orare.* Minutius in Octavio suo Cæcilii cujusdam vanam superstitionem perstringens; *Cæcilius*, inquit, *simulachro Serapidis denotato, (ut vulgus superstitiosus solet) manum ori admovens, osculum labiis pressit.* Claudat agmen Milesianus ille scriptor, *Apol.* 1. *Nam, ut audio, percensentibus iis qui novêre, nulli Deo ad hoc ævi supplicavit, nullum templum frequentavit, si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiâ, manum labris admovere.* Et rursus *Metam. l.* 4. *Admoventes oribus suis dexteram, ut ipsam prorsus Deam Venerem, religiosis adorationibus venerabantur.*

Sic itaque in divinis religiosisque suis ad Deos accessibus, faciebant plerùmque Ethnici: Ut cùm in precando aliter contingere

nequirent amplexarive, utpote distantes longè, atq; adeo in cœlis, quod putabant, collocatos; simulachra autem eorundem, (si fortè) non præstò essent, quibus ex more solito adorationis oscula infigerent.

Tum portas propter, ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari,
Sæpe salutantum tactu præterq; meantum:

Tamen, quod dicturus eram, id saltem quovis modo manibus ad os applicitis adumbrarent. Atque hinc porro ex divino hoc adorationis ritu emanavit forsan mos in mutuis hominum olim salutationibus basiandi sive deosculandi manus. *Nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione.* Tacit. *Hist. l.* 1. *Magistratus -- spectacula edentes, surgens & ipse cum caterâ turbâ, voce ac manu veneratus est.* Suet. in Claud. *c.* 12.

Hic lauro redimita comas, & candida vultu
Roma salutavit voce manuq; Ducem.
Martial. Ep. l. 12.

Denique, & perstat adhuc eadem ubique consuetudo protensis ita manibus blandè supparasitandi; præcipuè cùm digniores nobismet alloquimur, aut quid enixè & suppliciter rogantes, speramus nos confictis ejusmodi blanditiis id citiùs impetraturos.

Excurs.

Excurſ. CXXXIV.

Pſalm. 1. v. 5. *Ideo non reſurgent improbi in judicio, neque peccatores in cœtu juſtorum.*

PArum quid omnino elegantulæ cujuſpiam obſervationis videatur hic Textus Philologica rimanti ſuppeditaturus: Sed quantulumcunque tamen ſit, non æquum erit, ut ſicco prorſus pede tranſirem. Etiam raſuræ, & ipſa divinæ lectionis ſegmenta merentur colligi, & collecta apponi. Καὶ τὰ σμικρὰ ψήγματα, ut Chyſoſtomus ad popul. Antioch. Homil. 1. Διὰ τοῦτο οὐκ ἀναστήσονται ἀσεβεῖς ἐν κρίσει. *Propter hoc non reſurgent impii in judicio*, ut habet Vulgata: non *exurgent*, ut Jun. & Tremellii verſio; non *ſtabunt*, ut noſtra: Singulæ ad unum & eundem collimant ſcopum, ut miſeram impiorum conditionem oſtendant in ſupremo illo die, quando nequaquam audebunt comparere, aut judicandos ſe ad ſummi judicis tribunal ſiſtere: adhibito ad hoc locutionis more, quo olim ſuſcipientes ſui vel aliorum defenſionem, ſtare in judicio dicebantur.

Cùm in Senatu pulcherrimè ſtaremus, ut ait Cicero *Ep. Fam. l.* 1. *Ep.* 4. ubi P. Lentuli cauſam ſtrenuè propugnaſſet; *Tum è militibus*

litibus qui in jure apud eum stabant, interrogavit quispiam ex more, in quem diem locúmque vadimonium promitti juberet: Et Scipio—.Gell. *l.* 7. *c.* 1. *Constitimus, ut opinor, adversùs omnium criminum intentionem, quæ Christianorum sanguinem efflagitat.* Tertull. *Apol. c.* 46. Hinc stare cum aliquo, etiam in privatis rixis seu litigationibus, idem valuit quod se defendere, docente Donato in illa Comædi, Phorm. *Act.* 1. *c. Sc.* 2.

Cum illo haud stares, Phædria;
Hic in noxâ est, ille ad defendendã causã adest.
Cum ille est, hic præstò est, tradunt operas mutuas:
Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares Phædria.

Initium porro adeoque ratio primordialis istiusmodi locutionis, (si quis eam insuper desideret,) fuit proculdubiò mos exurgendi taliter in judiciariis cœtibus, quoties aut se, aut alios, vel defensum, contráve accusatum irent. Xenophon de Exped. Cyri frequens est in hujusce moris indigitatione; πρὸς ταῦτα ἀναςὰς Ξενοφῶν εἶπεν--- *Ad ea surgens Xenophon, in hanc sententiam verba fecit.* Rursus, ὥςε ἀναγκάσθη ὁ Ξενοφῶν ἀναςῆναι καὶ εἰπεῖν· *Quibus verbis coactus est Xenophon ut surgeret, & hâc oratione uteretur.* Deinde, Ἐπεὶ δὴ οὐκ ἀνίςαντο (ἄλλοι,) αὐτὸς ἔλεγε· *Quum nemo surgeret, ipse loqui cœpit.*

Consedere duces, & vulgi stante coronâ,

Sur-

Surgit ad hos clypei dominus ſeptemplicis Ajax.
Metam. *l.* 13.

Nec in accuſationibus tantùm defenſionibuſve juridicis utebantur veteres ſtandi poſiturâ, ſed etiam in ipſo actu judicationis, & cùm ſententiam proferrent; Εἰ μὲν ἴςε με τοιῦτον, οἷον ὗτος ἠτιᾶτο--μηδὲ φωνὴν ἀνάσχησθε, ἀλλὰ ἀναςάντες καταψηφίζασθε ἤδη-*Si me ſcitis eſſe talem qualem ille arguit, non recuſo quò minùs nè vocem quidem meam audiatis --- ſed ſurgatis, meque ſtatim condemnetis.* Demoſth. *contra Æſch.* Cùm ſententiam capitalis ſupplicii in Phocyonem principem civitatis, eundemque omnium innocentiſſimum virum, conjurati ferrent Demagogi, (quod magis obſervatè quaſi tradit Plutarchus) Οὐδεὶς καθήμενος, ἀλλὰ πάντες ἐξαναςάντες --- κατεχειροτόνησαν αὐτῦ θάνατον· *Nemo*, inquit, *ſedens, ſed exurgentes omnes illum damnaverunt.* Plutarch. *in vit.*

Sed fruſtrà pergerem in hoc argumento plura adjiciendo cum è contrà liquidũ ſit, Judæos ſeſſionis potiùs morem in judiciis exequendis tenuiſſe: quorum tamen Judaicorum ſc. præcipuè rituum, majoris elucidationis causâ, hæc & ſimilia ubique congero. Ad hunc enim nempe modum, Pilatus judex ſedens pro tribunali *Mat.* 27. *v.* 19. Chriſtum Dominum noſtrum morti addixit; & ad hunc denuo, ipſummet in cælis venientem tandem, Rev. 20. *v.* 11, 12. tum vivos, tum mortuos judicaturum, anxii ſperamus.

Excurs. CXXXV.

Psalm. 2. v. 12. *Osculemini filium ne irascatur, & pereatis in viâ.*

ABscondito quodam hìc loquendi more utitur Psalmista; & nisi quis altiùs penetraverit in causam dictionis, non erit omnino unde facilè intelligatur: Hieronymus in *locum*, pro verbo καταφιλήσατε apud Septuaginta seniores, reddit interpretans, *adorate*, causamque affert frequentem locutionis usum, juxta quem, colere seu adorare denotat. Sic 1 *Reg.* 9. *v.* 18. *Reliquos feci ex Israele septies mille quorum genua non curvaverunt se Baali, & quorum os non osculatum est illum;* h. e. adoraverunt.

Sed hoc dilucidiùs aliquantùm liquebit scrutantibus paululùm profana veterum monumenta. Ἐπιχώριον ἦν τοῖς Πέρσαις φιλεῖν οὓς ἂν τιμῶσι---- *Receptissimus*, inquit Xenophon, *& planè patrius mos erat apud Persas osculandi eos quos in honore habebant. Orat. de Agesil.* Ἠξίωσαι (τίς) δημαρχίας; πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται· ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος---. *Præfecturam (quis) adeptus? Omnes obvii gratulantur ei; quidam osculatur oculos, alius cervicem*——Arrian. *Epict. l.* 1. *c.* 10. Ad hunc modum Samuel, accepta olei

lei lenticulâ, & Saulem in regem inungens, 1 *Sam.* 10. in honoris porro majorísque reverentiæ testimonium, osculo eum donavit; Et Moses egressus in occursum soceri sui Iethro, *Exod.* 18. primò adorat eum, tum osculatur; Iudas denique in actu illo proditionis suæ, *Math.* 26. dum Christum osculatur, non sine specie aliquâ usitatæ, & aliàs etiam reverà debitæ Domino suo reverentiæ, tam horrendum facinus suscepit.

Sed hæc & hujusmodi, (quæ igitur lubens transilio qualiacunque) sunt tantùm indicia specialioris cujusdam honoris *hominibus* præstiti: Ad divinum, & in divinis positum accedo. *Ibi* (in Siciliâ) *est ex ære simulachrum ipsius Herculis,—rictum ejus ac mentum paulò attritius, quòd in precibus ac gratationibus non solùm id venerari, sed etiam osculari solent.* Cic. in Verr. *Act.* 5. *Exosculatis vestigiis Deæ quæ gradibus hærebat argento formata, ad suos discedunt lares.* Apul.

Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæq; tenent postes, atq; oscula figunt.
Æn. 2.

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus. Tibull.

Hinc salutare, sive oscula Diis impertire, idem olim valebat in communi loquendi usu, quod adorare.

Deos salutatum divertor. Plaut. in *Stich.*
Salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum—. Sen. *Ep.*

——Tum portas propter, ahêna
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum manu——. Lucret. *l.* 1.
Multis dum precibus Jovem salutat
Stans summos resupinus usque in ungues
Æthon in Capitolio——. Mart. *l.* 12. *Ep.* 78.

Ubi modum simul sive particularem quendam corporis habitum oranti usitatum apponit.

Atque hinc itaque, ex præmissis nimirum, (ut ne plura adjiciam) abunde satis constat, quâ ratione & quàm congruâ, *osculationis* vocabulum, vice seu loco *adorationis* hìc suppositum habeamus. Et quidem adoremus sic humillimè unigenitum illum Dei filium, mundi sospitatorem, quibuscunque modis læsam ejus cotidiè patientiam complacantes: nè, quod sequitur, erumpens tandem sævior indignatio, peccatores nos obstinatè nimis nequam, supplicio ultimo affligat consumátque.

Excurs. CXXXVI.

Psalm. 9. v. 9. *Anni nostri similes sermoni sunt, quos aranearum telæ modo producimus.*

VIta humana non ineptè ab antiquis Fabulæ comparabatur; Theatrum super quo

quo actitamus hanc fabulam, mundus est; Actores sunt homines, aliàs aliam personam sustinentes, pro variâ succedentium sibi annorum conditione; Incuimus aliam pueri, aliam juvenes, senescentes aliam, donec sublato tandem choragio exit unusquisque destinato, & suo tempore. Varro, Romanorum doctissimus, vitam nostram in quinque porro ætatum gradus apposite distinxit, sicut & quinque Actus in Fabulâ quâque usitatè reperiuntur: Primum, ad annum quintum decimum extendit: secundum facit trigesimum attingere; tertium ad annum quadragesimum quintum producit: quartum in sexagesimum porrigit: Reliquum vitæ tempus, & quicquid senii superest, ætati quintæ assignat.

Per singulos istos ætatum gradus, ceu Actus quosdam, producimus vitæ nostræ fabulam, aranearum modo, tenui eam prorsus filo protelantes: Quid enim aliud sibi velint frivolæ & inanes nostræ cogitatiunculæ, quibus contexendis quotidiè tempus frustrà insumimus? Aranearum certè telæ sunt, somniantium quasi umbratiles falsiq; de rebus conceptus, & statim evanescentes. Rectè de hâc re Philo Judæus in L. Joseph. Ὁ δὲ ὄνειρος- ὁ τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ βίος· ὡς γὰρ ταῖς καθ᾽ ὕπνον φαντασίαις βλέποντες οὐ βλέπομεν, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούομεν, καὶ γευόμενοι --- οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν παρεγρηγορότων ----. *Somnium, nè quid mentiar, est vita hominum: Nam sicut in somniorum*

orum visionibus, videntes non videmus, audientes non audimus, loquentes non loquimur—:eodem quoque modo vigilantium sunt imaginationes, veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, priusquam comprehendantur, evolant.

Ita fabulam omnino agimus hìc degentes, dum circa ludicras nænias, aut saltem in res parum profuturas, vitam prodigimus: *Profectò in imagine pertransit homo*, ut ait Psalmographus, *& frustrà se conturbat*, Psalm. 39. v. 6. Nec minùs, quod tamen æquè certum est, posthac, post mortem & cineres, viventium etiam fabula fiemus.

Indulge Genio, carpamus dulcia, nostrum est
Quod vivis: cinis, & manes, & fabula fies.
Pers.

Jam te premet nox, fabulæq; manes. Horat.

Haud congruum erit, quandoquidem in materiâ hujusmodi versamur, quæ ludicram vitæ nostræ conditionem exprimat, absque sententiolâ aliquâ in hanc rem (Apophoreti vice) adjectâ discedere. Senecæ is mos passim fuit in Ep. simili de occasione, (quod & ipse ibidem sæpiùs affirmat;) ideoque vel ex illo dictum aliquod huic Excursui finiendo accommodum mutuabimur. *Quomodo Fabula*, inquit ille, *Ep.* 57. *non quàm diu, sed quàm bene acta sit, refert; nihil ad rem pertinet quo loco desinas: Quocunque voles, desine, tantùm bonam clausulam impone.*

Excurs.

Excurs. CXXXVII.

Psalm. 24. v. 21. *Nam ipse super maria fundavit eam, (terram) & super flumen stabilivit eam.*

JUvat me parumper in asperioribus philosophiæ spatiis versari, non tam ut perpendam tamen quid ipsi philosophi ex reconditis suis principiis argutè hìc dixerint de terræ stabilimento, quàm quid poetæ & humanioris cæteri (præcipuè) literaturæ Antistites: Veterem illam & dilectam mihi quondam Amasiam dudum reliqui, dum novæ cuidam, quam Philologiam dicunt, operam præsto.

Primò itaque, terram undiquaque aquis ad modum Insulæ circumdatam jacere tenuerunt veterum non pauci, nec illi omnino ignobiles, aut proletarii scriptores: Strabo *l.* 1. ὅτι δὲ ἡ οἰκουμένη νῆσός ἐστι, πρῶτον ἐκ τῆς αἰσθήσεως, καὶ --- *quòd terra*, inquit, *quæ habitatur, sit Insula, omnium sensu & experientiâ docemur.* Deridet Aristoteles in *l. de Mund. c.* 2. & frustrà esse docet quicunque terrarum istum orbem diviserint, partim in *Insulas*, partim in *Continentem*; Ἀγνοοῦντες, ut ait ille, ὅτι καὶ ἡ σύμπασα μία νῆσός ἐστιν, *ignorantes planè universam ipsam terram unicam esse insulam.* Atq; hinc argutè Secundus philosophus,

ſophus, θαλάσσιον ςεφάνωμα, ἁλμυρὸν δεσμὸν, circumfluum undique mare appellat.

--- Ἐν γὰρ ἐκείνῳ,
Πᾶσα χθὼν νῆσος ἀπείριτος ἐςεφάνωται,

ut Dionyſius ἐν περιηγήσ. Latinè ſic Manilius *Aſtronomic. l.* 1.

Ipſa natat tellus pelagi luſtrata coronâ
Cingentis medium liquidis complexibus orbem.

Jam verò utrùm Aqua hoc modo quaquaverſùm circundans, an rurſus Aer terram ſuſtentet, in diverſas partes abierunt ſcriptores.

Pro aere ſuffragatorium ſuum calculum imprimis ponit Lucretius Epicureorum dogmatum ſedulus propugnator;

Hanc veteres Graiûm docti cecinere poetæ,
Aeris in ſpatio magnam pendere docendo
Tellurem, neque poſſe in terrâ ſiſtere terram.
l. 2.

Terra pilæ ſimilis nullo fulcimine nixa,
Aere ſubnixo tam grave pendet onus. Ovid. *Faſt. l.* 6.

— *Dum terra fretum, terramq; levabit*
Aer --. Lucan. *l.* 1.

— *Perpetuò terras ambitq; vehitq;,*
Nec premit incumbens oneri, nec ceſſerit Aer.
Claud. *Pangyr. in* 4. *Coſſ. Honor.*

Aquæ partes ex adverſo ſedulò tuentur alii; Διὸ δὴ καὶ ὁ μέν τις δίνην περιθεὶς τῇ γῇ, ὑπὸ τοῦ οὐρανοῦ μένειν δὲ ποιεῖ τὴν γῆν· *Nonnulli vorticem circumponentes terræ,*

ſtabilem

ſtabilem eam faciunt. Plat. in *Phædr.* *Aquam in ſe habet tellus, & aqua, ut aliqui putant, vehit terram.* Apul. in *l. de Mund.*

Quicquid ſit, ſive hoc, ſive illo modo contingat, certè, in imis mundi partibus, adeóque in medio, ἀκίνητος καὶ ἀσάλευτος, ut loquitur Philoſophus ubi ſuprà, *immota atq; illabefactabilis* terra conſiſtit. Ita quidem, ut interim quædam ejus partes, eæ nempe habitationi hominum aſſignatæ, extra aquam emineant; Atque hoc illud eſt abſque dubio quod *ſupra aquam fundari* hìc vocat Textus, juxta illud, 2 *Pet.* 3. *v.* 5. *Latet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra ex aquâ, & in aquâ conſiſtens Dei verbo.* Κ' ὑπὸ, κ' ὑπὲρ γῆς θεμένη, ut Greg. Nazianzenus *Orat.* 18.

Ubi bene additum ab Apoſtolo eſt, *conſiſtens Dei verbo:* Quippe non obſtantibus quibuſcunque philoſophorum argutiis de inſitâ terræ propenſione ad infimas ſedes, déque æquilibrio porro ejuſdem illìc locatæ, niſi eam ſuâ inſuper manu Deus fundaſſet, ægrè, quod credendum eſt, quantumcùnque -- *ponderibus librata ſuis*, ibidem perſtaret. Agnoſcit hoc ipſum Plato in loco ſuprà citato, ubi δαιμονίαν τινὰ ἰσχὺν apponit, *divinam* ſc. *vim quandam* quâ moles universi ſtabiliatur. Et clariùs confirmat Pſalmiſta, *Pſalm.* 93. *v.* 1. *Etenim firmavit orbem terræ qui non commovebitur.* Rurſus *Pſalm.* 104. *v.* 5.

v. 5. Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in secula seculorum. Et quomodo itaq; assiduâ aliquâ rotatione ab ortu ad occasum circumagi posse putetur, ut olim Academici, docente Cic. *Academ. Qu. l.* 4. & adhuc somniant quam plures è Scholâ Copernicanâ, nullus sum qui prorsus intelligam; Forsan vertigo illo quam loquuntur, non tam terræ est, quàm cerebri potiùs parum fixi in iis ipsis, qui insulsa ejusmodi paradoxa profitentur.

Excurs. CXXXVIII.

Psalm. 26. v. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas, & circundabo Altare tuum Domine.*

NOn consilii mei omnino est universam illam consuetudinem circuire velle orationis meæ ambitu, quam in lotionibus suis multifariis, à Deo pleraque ex parte receptam, tenuerunt Judæi. Nimis vastum ingrederer materiæ pelagus, & breviculis hujusmodi Excursionibus minùs accommodum; sed ut transiliam itaque cæteras cujuscunque generis, tantùm de lotione illâ manuum paucula hìc apponam: Qualiter, eam sc. in precibus, & sacrificiis, aut denique in sanctiore quapiam actione obeundâ solebant præmittere. Hoc innuit Psalmographus in præsente

præsente Textu, & hoc rursus *Psalm.* 73. v. 13. *Et dixi, Ergo sine causâ justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas.* Atque huc planè spectat illud *Deut.* 21. v. 6. in causâ latentis homicidii; *Et venient majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntq; manus suas super vitulam quæ in valle percussa est.*

Viguisse porro morem istiusmodi, religiosæ manuum lotionis, inter Judæos, etiam diu pòst, constat ex Aristæâ in *Hist. Translationis* per 70. Seniores; Ὡς δὲ ἔθος ἐστὶ πᾶσι Ἰουδαίοις, ἀπονιψάμενοι --- *Illi verò lotis manibus, pro communi Judaeorum more, & votis ad Deum peractis, pergebant legere & singula interpretari.*

Ἀλλὰ γὰρ αἴρουσιν πρὸς οὐρανὸν ὠλένας ἁγνὰς,
Ὄρθριοι ἐξ εὐνῆς, ἀεὶ χρόα ἁγνίζοντες
Ὕδασι ---

— Puras tollunt ad sydera palmas
Manè ubi membra levant strato, quæ virgine lymphâ
Perfundunt —. Clem. Alexandr. in *Adm. ad Gentil.*

Nec rursus inter Judæos tantùm inclusus constitit ritus ejusmodi, sed longiùs emanavit, ut Christianis quoque in usum veniret; quod apertè ostendit Tertullianus *de Orat. c.* 11. Cyril. Hierosolym. *Catechef.* 12. Synesius in *Catastas.*

De rore fontano abluam

Manus

Manus, & os, & lumina,
Pateatq; fac sacrarium. Prudent. in *Ephem.*

Neutri istorum in observatione Ritûs talis concessit, sed potiùs præcessit, Gentilium veterum devotio. Nam cùm Deos suos puros & ab omni sorde qualicunque immunes conciperent, piaculo habebant, ut quis pollutis vel impuris manibus illorum Aras attingeret. Acutè & breviter T. Livius *l.* 45. *c.* 5. *Præfatio omnis sacrorum eos quibus non sunt pura manus, ab Aris arcet.*

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit adversos Deos
Farre pio & saliente micâ. Horat. *l.* 3. *Od.* 23.

Ablutionem sc. seu purgationem manuum maximo indicio habebant depuratæ intus conscientiæ, qualis obeuntes rite sacra deceret; Ὅτι πᾶσα ἐνέργεια διὰ τῶν χειρῶν γίνεται — *quoniam per manus omnes externi conatus soleant expediri*, ut rationem reddit ubi suprà præfatus Aristæas. Quod forsitan (ut id etiam obiter interseram) perpulit Pilatum præsidem, Math. 27. *v.* 24. ut testandæ innocentiæ suæ gratiâ in Christi condemnatione, allatâ sibi aquâ manus ablueret. Atque hinc porro in sacrorum itaque celebratione, χερνιμμάτων sive manualium lotionum tam celebris apud Gentiles veteres commemoratio.

χερσὶ δ' ἀνίπτοισι Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον,
Ἅζομαι, οὐδέ πώς ἐστι.
Non decet illotis manibus libare superno
Vina Jovi————*.Il. 7.*
Μηδέποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
χερσὶν ἀνίπτοισι, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισι.
Nunquam vina Jovi, superísve rubentia libes,
Antè manus fluvii purâ quàm laveris undâ.
Hesiod. *Cùm pollucere oportebit, sic facies; Manus interluito, postea vinum sumito.* Cato de *Re Rustic. c.* 132.

Tali igitur aliquâ de causâ, quales anteà perstrinximus, abluturum se manus suas promittit hìc Sanctus David, priusquàm Altare Domini auderet circundare; Nec hoc rursus ob inanem aliquampiam innocentiæ simulationem, quod Pilatus suprà, sed ex integrâ & syncerâ mente; Putida res est, inquit Tertullianus *ubi priùs*, & indecora prorsus, ut depurgatis quis manibus, sed interim coinquinatâ mente, divina sacra attrectet.

Excurs. CXXXVII.

Psalm. 35. v. 21. *Et dilatant contra me os suum, dicentes, euge, euge, vidit oculus noster.*

MUltiformes variósque subsannationis modos hìc & illìc commemorat Scriptura; Fiebat autem quandoque certo ali-

quo motu, vel *quassatione capitis*: Psalm. 104. *v.* 25. *Insuper ego probro sum illis, videntes me movent caput suum.* Nonnunquam *nictatione oculorum*, *Psalm.* 75. *v.* 19. *Ne latentur de me qui mihi sunt inimici*—*qui oderunt me, ne nictent oculo.* Aliquando rursus *porrectione digiti. Is.* 58. *v.* 9. *Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitos.* Nonnunquam denique, ut hìc, insulsâ oris dilatatione, unà cum linguæ quadam exertatione adjunctâ: *Super quem lusistis, super quem dilatastis os, & ejecistis linguam?* — *Is.* 57. *v.* 4.

Plures hujusmodi gesticulationes, probri alicujus, si quando deridere quempiam velimus, indigitamenta, in unum congerit Tertullianus *de Pall. c.* 4. *Acie figere, & digito destinare, & nutu trudere.* Succedat Plautus;

Mirum hodie est ni spectatores in subselliis
Ridiculè strepunt, tussiunt, ronchos cient,
Consultant frontem, & ore concrepario
Frequenter fremunt, atque malè mussitant,
Plaut. in *Bacchid. supposit.*

O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis ullas,
Nec lingua, quantum sitiat canis Appula, tantum.

Pers. *Sat.* 1. *Linguam exertare*, posterius è duobus vocat Cl. Quadrigarius apud Gell. *l.* 9. *c.* 13. & prius, *digitum ostendere.* Juven. *Sat.* 10.

—*Cum fortunæ ipse minaci*
Mandaret laqueum, mediùmque ostenderet unguem.

Sed

Sed inter cæteros qualeſcunque quàm diverſiſſimos irridendi modos, unus hic præcipuè in uſu fuit, contractio quædam ſeu criſpatio naris,

——*Nec naſo ſuſpendis adunco.* Horat. Ἐκμυκτηρίζειν id vocat Evangeliſta: καὶ ἐξεμυκτήριζον αὐτὸν, *& deriſerunt eum*, Luc. 16. *v.* 14. Adeoque ſignanter Attici ſcomma quodvis aut amarulentius dictum, μυκτῆρα καὶ ἅλισμὸν, *naſum & ſales* nominarunt, ut docet Eunapius in *vit. Libanii. Bene illis ceſſerat, ſi naſus Atticus ibi ſubſtitiſſet.* Senec. *Suaſ.* 1. Cujus diverbii rationem quaſi reddens Theocritus *Idyl.* 1. locum ſeu ſedem bilis in naſo conſtituit.

----Ἐντί γε πικρὸς

Καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

——*Eſtque amarulentus*,

Et illi ſemper acerba bilis in naribus ſedet. Clem. Alexandrinus ad iſtud Theocriti reſpiciens proculdubiò, in Pædag. *l.* 3. *c.* 4. Ἐπικροτοῦσι ῥινὶ (inquit ille) βατράχων τὴν δίκην, καθάπερ μυκτῆρσι τὴν χολὴν κεκτημένοι· *Naribus non ſecus ac ranæ plauſum edunt, ut qui in naſo bilem veluti inhabitantem poſſideant*; Sed ſalubre itaque præceptum nobis inculcat D. Paulus Epheſ. 4. *v.* 31. ut amarulentiam & livorem iſtiuſmodi omnem deponamus ex animo, quo fiet ut nunquàm in naſum aut linguam, aut ullam exteriorum partium, jactabunda ſe proferat.

Excurs. CXL.

Psalm. 41. v. 10. *Etiam vir colens pacem mecum, in quo confidebam, comedens cibum meum, sustulit adversùs me calcem.*

NOn immeritò, nec sine indignatione quadam de amicorum quopiam, quisquis fuerat, (Achitophelem putant aliqui) conqueritur rex David, tanquã de fædifrago, falso, & amicitiæ suæ desertore. Nulla gravior cuiquam offensa accidere potest, quàm quæ ab amico contingit; Inter amicos autem illorum nos maximè pungit infidelitas, quibus confidimus potissimè, quósque adeo interioris quasi admissionis socios, eâdem mensâ & sacris cotidiè accepimus. *Non inimicus probro affecit me, quod ferrem,* (sicut alibi idem David Psalm. 55. v. 12, 13.) *non osor meus adversùs me se levavit, à quo me absconderem; sed tu mortalis, par mihi, dux meus, & familiaris meus.* Adeo nullum sanctius magísque inviolabile olim fœdus putabant, quàm quod ab ejusdem mensæ sive hospitii participatione inchoabatur.

Ἅλς καὶ τράπεζα σύμβολα τῆς γνησίου φιλίας ἀνθρώποις ἀνεύρηνται· *Sal & mensa*, inquit Philo in *l. Joseph, præcipua duo amicitiæ pignora homi-*

hominibus inventa sunt. Φιλικὸν γὰρ πᾶν τοιοῦτον ἀπὸ τῶν ὁμοτραπέζων ἀρξάμενον, καὶ ὁμοσπόνδων, καὶ ---- *Conducit enim inprimis ad amicitiam*, ut ait Strabo *l.* 9. *quicquid à mensæ, libationum, contuberniique proficiscitur communitate.* Exinde auspicabantur plerunque amicitias suas, & inceptas similiter fovebant. Atque hinc porro majoris stabilimenti gratiâ, *Hospitalem Jovem* (quem aliàs φίλιον Δία nominabant, Pausan. *in Arcad.*) quasi præsidem ponebant, & amicorum ejusmodi contractuum inspectorem.

Καί σ' ἀντιάζω πρὸς τοῦ ἐφεςίου Διός.

Quare te obtestor per Jovem Hospitalem.

Sophocl. in *Ajac. Flagell.*

Nec mirum itaque cùm tam sacras ducerent initas hoc modo amicitias, earundem violatores, nullis non diris atque execrationibus, quod faciebant sanè, censerent dignissimos. Æschines in *Orat. contra Demosth.* inter cætera convitia quibus eum satis rhetoricè aspergit, illud cumprimis, intorquet, quod συσσιτῶν, καὶ συνθύων, καὶ συσπένδων, *communi cum eo victu*, (Cephisodotum quendam intelligit) *communibus sacris, communibus libationibus quondam usus, in judicio reum accusârat.* Ita Hecuba apud Euripidem verbis exaggerans, quantùm poterat, Polymestoris crudele facinus in cæde Polydori filii sui, hospitalis quoque mensæ quâ sæpiùs communicaverat, mentionem injicit.

κοινῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμοὶ, &c.
Mensâ receptus ſæpe communi mihi.

Certè hoc illud erat, ut dixi, quod Davidis animum hìc momordit præcipuè, & tantum ei dolorem conciliavit. Quamquam nec hoc ita inſolito prorſus more Davidi contigit, aut illi regum ſoli; quin videre licuit & alibi gentium, ubi poſthabito omni religionis jure, eiſdem tum ſacris, tum menſis initiati perfidi homines, *levarunt calcem* adverſus principem ſuum, adeóque ruinæ demum turpiter prodiderunt.

Excurſ. CXLI.

Pſalm. 68. v. 30. *Perde catervam arundiferam, cœtum robuſtorum---qui includunt ſe argenteis.*

DIverſis modis hunc Textum ex Archetypo diverſi tranſtulerunt. Quot verſiones, tot ferè variationes, dum unuſquiſque ſtudet in proprio & ſuo ſenſu abundare. E multis aliis ille mihi non omnino diſplicet, quo perſtringere hìc videatur pſalmographus immanem illam, & penè incredibilem hominum (potentum præcipuè) luxuriam, eò uſque inſanientium, ὡς καὶ τοῖς σκύτεσι τῶν ὑποδημάτων τρυφᾶν, ut loquitur Syneſius in

l. de Regn. ut vel *ipso calceamentorum corio delicias ostentarent.* Sed nihil hìc novi apparebit, si veterum hâc ex parte luxum paulisper inspiciamus, nec adeo quid absurdi, si in hâc verborum acceptione paululùm immoremur.

Morem insulsi hujusmodi fastûs & arrogantiæ in calceamentorum habitu, (quamquam obliquè aliúdque quasi agens) inprimis notat Epictetus, *Enchirid. c.* 61. ubi in triplex porro eam diribet genus, ὑποχρύσε, πορφυρε͂, καὶ κεντητε͂, *aurati, purpurei,* deinde *interpuncti.* De aurato particulatim magis Plautus in *Bacchid. Act.* 2. *Sc.* 3. divitem ibi quendam designans:

Ni. *Divesne est hic Theotimus?* Ch. *Etiam rogas?*

Qui soccis habeat auro suppactum solum.

Agnonem Teium Alexandri Magni præfectum *aureis clavis suffigere crepidas* assuevisse, narrat Plinius *Hist. l.* 33. *c.* 3. quod idem de eodem testatur Athenæus, *Deipnosoph. l.* 12. Seneca in *l. de Benef. l.* 2. *c.* 12. salsè irridens C. Cæsaris arrogantiam porrigentis pedem ad osculandum, fecisse id excusat, *ut socculum auratum vel potiùs aureum ostenderet.*

Quid quòd non solùm hominem fortè quempiam singularem qualemcunque, seu divitem, seu honoratum, vel principem denique ita luxu diffluxisse legemus, sed etiam

 totos

totos hominum cœtus, idque privatorum. Antiochi exercitus magnâ ex parte *aureos clavos crepidis subjectos habuit*, ut tradit Val. Maxim. *l.* 4. *c.* 1. Altius pergamus licet; Non tantum aureos solito tunc more sibi calceos concinnabant, quin gemmis & margaritis distinguebant insuper. Sic C. Cæsar, referente Senecâ, *ubi suprà.* Diocletianus— *ornamenta gemmarum vestimentis calceisq; indidit.* Eutrop. *l.* 9. *Habuit & in calceamentis gemmas*, Lamprid. *in vit. Heliogabali.* Hoc est quod Cl. Alexandrino tam justè bilem movit, ut aurea istiusmodi pedum indumenta non sine infamiæ notâ damnaret. Αἰσχρὰ γοῦν ἀληθῶς τὰ σανδάλια ἐκεῖνα, ἐφ' οἷς ἐστι τὰ χρυσᾶ ἀναθέματα— *Verè ergo turpia sunt illa sandalia, in quibus sunt aurea veluti donaria.* Pædag. *l.* 2. *c.* 11.

Profectò, si aurum tunc gemmásque tanquam res vilioris pretii, & calcandas duntaxat, (quod merentur) calceis suis inseruissent; esset forsitan quod laudabiliter defenderet quispiam, nec omnino damnaret: Sed quum ex luxu tantùm & superbiâ, atque ad ostentandas opes supervacaneas hoc egerunt, (nec desunt adhuc apud nos qui tam inconditum habitum aliquatenus æmulantur,) meritò tum Psalmista, tum præfatus Clemens, severioris censuræ obelis insanam ejusmodi luxuriam confixere.

Excurs.

Excurs. CXLII.

Psalm. 66. v. 12. *Imposuisti homines supra capita nostra, transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Multæ, magnæ, existunt mortalium in terris hic degentium calamitates. Eâ nempe quasi lege hic nascuntur homines, ut iidem & miseri fiant; nec aliâ conditione in mundum intrârunt, quàm ut gravissimis etiam mundi malis, cotidiè & undique incursantibus, obnoxii reddantur. Inter cæteros vero deterrima plerùnque eorum sors est, sempérque fuit, quotquot virtutis religionísve opera curârunt maximè: Exarsit contra eos potissimè semper improborum hominum æmulatio: Inde frequentes eorundem pressuræ, angustiæ, & non sine magnâ difficultate eluctabiles molestiæ; quod per *ignem & aquam transire* scitè hìc Psalmista vocat, sed nec insolito prorsus locutionis Schemate.

Ἐγὼ οὖν μετὰ Κλεινίου κἂν διὰ πυρὸς ἰοίην· *Equidem cum Cliniâ vel per ignem incederem.* Xenoph. in *Conviv.* Κἂν δέῃ διὰ πυρὸς ἐλθεῖν οὐκ ὀκνήσομεν· *Etiamsi per ignes incedendum erit, non timebimus:* Chio ad *Platon.* *inter*

inter Græc. Ep. Cæsar collaudans virtutem decimæ legionis suæ, καὶ γὰρ εὖ οἶδα ὅτι κἂν διὰ πυρὸς δέῃ -- *Scio per ignem etiam, si ita necessitas postulet, ituram.* Dio *l.* 38.

Κἂν με χρὴ διὰ τοῦ πυρὸς -- θέλω βαδίζειν.

Si fuerit necesse mihi -- velim & per ignem incedere. Aristophan. *in Lysistr.*

Ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,

Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν

Τὸ μήτε δρᾶσαι ---

Eramus autem parati ignitum ferrum manu capere,

Et ire per ignem, & jurare

Quod non fecissemus --- Sophocl. *in Antig.*

Qui ultimus saltem locus, alludit planè ad morem veterem explorandi suspectos alicujus criminis, ignitas ferri laminas illorum incessui subjiciendo, de quo D. Halicarnasseus *in vit. Romul.* Et ipse est qui etiam apud nos quondam in retrosioribus seculis invaluit multùm, & *Ordalii nomine* exercebatur.

Externas gravioré sque ejusmodi pressuras quales anteà diximus, quamquam aliis verbis, tamen in eodem sensu cum Psalmistâ *igneas* vocat S. Apostolus Petrus, 1 *Pet.* 4. *v.* 12. *Dilecti, ne miremini de ignitâ tentatione quæ vobis accidit. Igneas*, inquam, hìc & alibi cognominat S. pagina, sive probationis, sive aliàs purgationis causâ immissas, quò magis acerrima earum vis & potestas exprimatur. Ita locum illum *Psalm.* 66.

ad

ad disquisitionem suprà propositum, explicat Epiphanius *Heres.* 64. vel potiùs locus seipsum, habitâ versuum ad invicem v. 1. 11. & 12, debitâ collatione. *Probâsti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum; posuisti tribulationes in dorso nostro; transivimus per ignem & aquam*--.

Atque vel hinc igitur dulce illud somnium, sive Platonicum figmentum de *Purgatorio*, his & similibus locis, ut illo inter cætera præcipuè 1 *Cor.* 3. *v.* 15. subnixum, facilè corruit; Quippe ubi per *ignem* & *aquam*, & ejusmodi, si res rite perpendatur, non locus aliquis purgationis futuræ, sed tantùm præsentis, aut præteriti temporis, aut etiam futuri, (si forsan) perplexa difficultas eluctanda insinuetur.

Excurs. CXLIII.

Psalm. 71. v. 6. *Tibi innitor inde ab utero, à visceribus matris meæ tu abripuisti me, in te est laus mea jugiter.*

NUsquam non scatet pius Psalmista gratâ Dei munerum beneficiorúmque enumeratione. Non ineptè quidem illi qui universum Psalmorum librum in duas quasi æquales portiones, laudationum & precum, distinxerunt; Quippe quòd totus, quà in

preces

preces ad Deum comminiscendo, & quâ aliâs in recitando ejusce laudes, occupatur. Hìc in præsenti cap. privata Dei beneficia percenset, quæ & qualia accepisset ab ipso ortu suo, & vel primo uteri egressu: immo & citiùs aliquantulùm, dumque adhuc in utero contineretur,-- φίλης ἐν γαστέρι μητρός, juxta Apollinarii glossam in *loc.*; ubi porro formula ipsa dictionis quâ utitur hìc Psalmista, non omnino cassa vel inanis videri possit. *Tibi innitor inde ab utero* -- &c.

Forrean alludit eò, certè conspirat cum quodam veterum more, quo solebat obstetrix nascentem infantulum mox in terram statuere, quæ pueri in terram positio, *Statinæ Deæ*, utpote pueritiæ præsidi, consecrabatur. *Prima etiam constitutio infantis super terram Statinæ Deæ sacra est.* Tertul. in *L. de Anim. c.* Constitutum ita sive humi depositum parens inde tollebat, & in sinum suum recipiebat.

Meus, ille meus, tellure cadentem
Excepi, & vinctum geniali carmine fovi.
Stat. *Episced. in Fil.*

— *Raptum sed protinus alvo*
Sustulit exultans, ac primâ lucida voce
Astra salutantem, Dominus sibi mente dicavit,
Amplexusq; sinu tulit, & genuisse putatur.
Epic. *in Glauc.*

Ruffinus, quem prima meo de matre cadentem
Suscepi gremio, reptavit parvus in isto

Sæpè

Sæpe sinu ---. Claud. in *Ruffin. l.* 1. Ita *suscipere* vel *in gremium tollere*, sonabat perinde antiquo loqendi more, ac patrem fieri, aut filium natum habere; quod patet satis ex prædictis, & etiã porro ex illo Satyristæ, *Sat.* 9.

Tollis enim, & libris Actorum spargere gaudes
Argumenta viri, foribus suspende coronas,
Jam pater es —.

Consentaneè huic mori circa infantes statim in lucem editos, alterum attingit propheta Ezechiel, *Ezech.* 16. *v.* 4. sale & aquâ eos colluendi; *Et quando nata es, in die ortûs tui, non est præcisus umbilicus tuus, & aquâ non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis*: sale condiebant, ut docent physici, quò crudos ac superfluos humores abstergerent; aquâ spargebant, astringendæ laxioris cuticulæ gratiâ, atque ideo frigidâ plerúnque utebantur.

Durum à stirpe genus, natos ad flumina primùm
Deferimus, sævoq; gelu duramus & undis.
Virg.

Lacedæmonii aliquando non aquâ, sed vino abluebant τ βασανόν τινα ποιούμενοι τῆς κράσεως ἀυτῶν, *ad periclitandam eorum constitutionem.* Plutarch. in *Lycurg.*

Sed hæc obitèr tantùm, & propter cognationem qualemcunque ritûs istius cum præcedente. Illud magis, quod sequitur, gratâ se nobis contemplatione dignum offert,

recolentibus quàm ſolicitum ſedulúmque in cœlis curatorem habeamus, qui ſic à primis & inchoantibus annis ad *caniciem* uſque, à cunis adeo ad Sandapilam, ſemper nos protegat & tueatur.

Audite me Domus Jacob, & omne reſiduum qui portamini inde ab utero, qui geſtamini inde à vulvâ:
Uſq; ad ſenectam ego idem, & uſq; ad canos ego portabo — Iſ. 46. v. 3.

Excurſ. CXLIV.

Pſalm. 78. v. 70, 71. *Et elegit Davidem ſervum ſuum, & aſſumpſit ex caulis gregis: à tergo fœtarum duxit eum ad paſcendum populum ſuum, & Iſraelem poſſeſſionem ſuam.*

HIſtoriam hujus facti accuratè ſatis deſcriptam habemus 1 *Sam.* 16. idémque rurſus non perfunctorio more, aut ſine emphaſi quadam hìc attingit Pſalmiſta; Certè non abſque peculiari aliqua ratione utrobivis. Quòd enim Davidem Deus ex tam parvis initiis ad tantæ faſtigium poteſtatis evexerit, multum erat, quis negabit? Sed nec illud totum eſt: Reſtat ſanè aliquid notabile, quicquid ſit, vel in ipſa *profeſſione* unde

unde eum assumpserat Deus, & populo suo deinceps regendo præfecit.

Veritas rei sic se habet: Fuit planè mos iste antiquitus ita formandi instituendíque principes, ut priùs inbuerentur arte pastoriciâ, quàm ullo modo Reipubl. gubernandæ negotium susciperent. Cœpit Josephus Patriarcha, ut tradit Philo in *l. Joseph*, à primoribus statim annis in hoc exercitii genere versari; cujus rei rationem ibidem subnectit, ὅτι ὁ τὴν ποιμενικὴν ἄκρος, ἄριστος ἂν εἴη καὶ βασιλεὺς, *Quòd qui summus est in arte pecuariâ, facilè primus inter principes evadet.* Moses hoc eodem modo primùm oves soceri sui Jethronis in deserto pavit, προδιδασκόμενος εἰς ἡγεμονίαν ποιμενικὴν, *ad pastoralem artem sic exercitatus priùs*, ut loquitur Cl. Alexandrinus *Strom. l.* 1. Ita ergo & David hìc noster aulici sui regiminis auspicia inter septa atque ovilia posuit.

Non latuit Gentiles priscos hæc eadem Rectores suos formandi methodus, quin mox à primordiis ipsis ineuntis vitæ inter greges & armenta eos nutrirent. Ἔθος τοῖς παλαιοῖς, ait Eustathius in *Il.* 15. κατὰ τὴν πρώτην ἡλικίαν, βουκολεῖν, ἢ ἱπποφορβεῖν, ἢ ποιμνίοις ἐπιστατεῖν, καρτερίας καὶ ἀσκήσεως χάριν— *Antiquis in more erat, ut qui Rectores populi futuri nascebantur, primos vitæ annos in pascendis bobus, vel equis, vel ovibus, consumerent, tum roboris acquirendi gratiâ,*

tum

tum exercitii causâ, ut rectè gubernantes bruta animalcula, homines inde regere & ordinare scitè condiscerent. Παραπλήσια γὰρ ἔργα εἶναι νόμεως ἀγαθοῦ, καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ, ut scitè huc Cyrus apud Xenoph. *Instit. l.* 8. quippe quòd *similia sint prorsus boni Pastoris & boni Regis opera.* Inde vetus inter Æthiopas consuetudo, narrante D. Siculo *l.* 3. Κτηνοτρόφοις τοῖς ἐπιτελεστάτοις τὴν ἀρχὴν -- ut *clavum regiminis curatoribus pecorum maximè industriis deferrent.* Et ποιμένος sive Pastoris nomine civiles Reipubl. præfectos passim designat summus poeta.

Ὡς φάτο νεικείων Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν
Θερσίτης---

Sic dixit objurgans Agamemnona pastorem populi
Thersites — *Il.* 2. Super quæ verba notat Eustathius, quòd, Οὔτε αἰπόλος, οὔτε βουκόλος, ἀλλὰ ποιμὴν λέγεται ὁ βασιλεὺς λαῶν, ὅ ἐστιν ἀνθρώπων εὐπειθῶν, ὡς οἱ ---. *Non bubulcus, neque caprarius dicitur Princeps populi, sed Pastor tantùm, quia hic mansueto hominum generi, sicut illi ovium præficiuntur.*

Pulchrè quidem hìc exprimit Scholiastes verum subditorum erga Regentes officium, ut tanquam oves *pacati* & *morigeri* esse debeant; & quàm vellem semper fuissent. Contra naturæ ipsius legem atque præscriptum est, ubi cœperint oves vi pastores suos impetere, nec tam in ovium numero habendi erunt,

erunt tales quicunque , quàm rapaces lupi censendi, tegentes se *ovinis pellibus*, *Math.* 7. *v.* 15. Vel, quod idem est, (& pro more sc. nuperæ ætatis) jactantes se specioso *sanctitatis* nomine, cùm sint reverà fœdissimi intus prædones.

Interim hìc, quod priùs , notare imprimis occurrit, munificam Dei in Davide providentiam, erigentis eum à *Caulâ* ad *Regiam* , à *pedo* ad *sceptrum* ; Nimirum sic solet interdum Deus bene meritos fidósque sui cultores tractare , provehendo eos ad summi honoris & dignitatis culmen , ut etiam vel in hoc mundo sentire incipiant , quanta illis tunc demum in futuro præmia reponantur. Quamquam nec hoc omnibus , nec ubique , nec semper evenit , (nè qui ambitionis suæ successibus frustrà gratulentur) neque ita accipiendum est. Est ubi comperiemus eum Jeroboam scelestum & nequam hominem , non secus quàm Davidem virum pientissimum, (Id vindictæ gratiâ contra rebellem populum , hoc amoris & specialis beneficii causâ) ad summæ potestatis fastigium extulisse.

Excurs. CXLV.

Proverb. 1. v. 16. *Ut eruaris à muliere alienâ, & ab extraneâ, quæ mollit sermones suos.*

FRequens est Salomon in hoc libro Proverbiorum dehortando filium suum, & sub filii personâ cæteros quoscunque à peregrinæ mulieris consortio. *Quare seduceris fili mi ab alienâ, & foveris in sinu alterius?* c. 5. v. 20. *Ut custodiant te præcepta mea à muliere malâ, & à blandâ linguâ extraneæ.* c. 6. v. 24. *Fovea profunda, os alienum, cui Deus iratus est, incidet in eam.* c. 22. v. 14. Certè sub extraneæ vel peregrinæ titulo, hìc & ubique meretricantium illud mulierum genus velit notatum; Quod vel apertè constat in Jepthe, *Judic.* 11. ubi qui *filius mulieris meretricis* dicitur, *v.* 1. Idem filius *extraneæ* nominatur, *v.* 2. *Hæres in domo patris nostri esse non poteris,* inquiunt fratres ejus, *quia de alienâ* (vel extraneâ) *natus es.*

Eo sc. nomine, quod certum est, infamem hujuscemodi artem exercentes signabant Antiqui. Terent. in *Andr. Act.* 1. *sc.* 1.

Venit Chremes postridiè ad me, clamitans
Indignum facinus comperîsse, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam. h. e. mere-

meretricem, ut habet Donati glossêma. Rursus, *Act.* 3. *sc.* 1.

——— *Quid hoc?*

Adeóne est demens? ex peregrinâ? Planè in diverbium quoddam exierat tunc temporum, ut peregrina mulier quasi meretrix audiret. Adeóque comicorum quotquot, quod observare licet, meretricias partes advenis & extraneis fœminis plerúmque induunt.

Causa hujusce rei si requiratur, eam tradunt scriptores, quippe quòd domesticas & concives suas virgines castas & pudicas esse ubique volebant; licentia omnis in hoc genere tantùm extraneis permittebatur. Præfatus Afer Comœdus, *Phorm. Act.* 2. *sc.* 4.

Itáne tandem quæso, istam (civem) *ut meretricem?*

——— *Ubi abusus sis,*

Mercedem dare lex jubet ei, atque emittere: ac si diceret, id in cive nec lege, nec more licuisse. Quinimo in tantum olim creverat iniqua & læva de peregrè advenientibus communiter opinio, ut vel eo nomine, licèt aliàs ab omni suspicione liberæ, famam suam vix tueri poterant.

Κορίνθιαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων,
Μή μοί τι μέμφησθε ---.

Corinthiæ mulieres foras peregrinatæ sunt,
Ne mihi quidpiam crimini detis — inquit Medæa in Euripide, verens ne tale quid sibi

in opprobrium verteretur. Maledicus ille in Theophrasto *Charact. ult.* dum prosapiam ibi, nescio cujus, enarrando, infamiæ eum labe molitur aspergere, ἡ μέντοι μήτηρ εὐγενὴς Θρᾶττα ἐστὶ -- *Mater*, inquit, *sanè nobilis Thressa est* - &c. alienigena nempe & foris adveniens, i. e. meretrix.

Sic denique, & ob talem aliquam fortè rationem meretricantes mulieres hìc peregrinas appellat Salomon: eáque satis arctè rem quæsitam contingit. Sed & alia afferri potest, quamvis diversi sensûs, mira sc. atque præpostera facti absurditas: Quid enim in se quidem mirabilius rectè pensanti, aut quid mulieres ipsas mirandas potiùs efficere queat, adeóque in spectaculum deridendas omnibus meritò proponere, (Inde *Miraculas*, meritorias ejusmodi prostibulas vocat Plautus, citante Varrone *de Lingu. Lat. l.* 6.--*Diobolares, Schœnicolæ, miraculæ. Miracula quæ nunc digna admiratione dicimus, antiqui in rebus turpibus utebantur.* Fest. in *Verb.*) Quid inquam magis mirandum, quàm ut turpiter sic prostituant fæminæ conservandam omnino castitatem, & corpora sua, quæ pudicitiæ sacrata esse deberent, in profundæ libidinis lupanaria convertant?

Excurs.

Excurs. CLXVI.

Proverb. 3. v. 16. *Longitudo dierum in dexterâ ejus, & in sinistrâ illius divitiæ & gloria.*

LAtet quid altius forsitan sub involucro Proverbii hujus, quàm quod verba palam & in fronte statim præ se ferant. Forsitan, dico, longiùs collimat Textus, & morem illum insinuat quo veteres in supputando, pro variâ digitorum suorum conformatione, varios & diversos numeros designabant. Non postulat ratio propositæ methodi, ut longiore aliquo sermonis ambitu id manifestem; Verbo tantùm.

Morem hunc computandi digitis indicat Plautus; *Dexterâ digitis rationem computat, feriens femur.* Mil. Glorios. *Act.* 2. *sc.* 2. *Agitat digitos, computat nihil*, Plin. *l.* 2. *Ep.* 20. *In digitos calculúmq; distinguit.* Mart. Capell. *de Nupt. l.* 2. *Si triginta annos pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu errasse, quos circulare debueris digitos, aperuisse: cùm verò quadraginta, quæ faciliùs cæteris porrectâ palmâ significantur --.* Apul. in *Apolog.*

Sed hæc hactenus, & in transitu quasi. Quod propiùs rem attingit, id magis disquirendum incumbit; Nimirùm, quare ita sub dex-

teræ potiùs quàm ſiniſtræ nomine, fruendam hìc numeroſæ vitæ longævitatem polliceatur Deus. Pro hoc ſciendum eſt, quòd in calculatione veterum per digitos factâ, cùm ſemel centenarium numerum attigiſſent, à lævâ ad dextram tranſibant numerantes: *Centeſimus numerus* inquit Sanctus Hieronymus, *à ſiniſtrâ transfertur ad dexteram.* Contra Jovin. *l.* 1. *Centenarius numerus de ſiniſtrâ manu transfertur ad dextram, & licèt eandem in ſupputatione digitorum figuram teneat, nimiùm tamen quantitatis magnitudine ſupercreſcit.* Caſſian. *Collat. l.* 24. *c.* 25. *Quandoquidem tuos annos jam dextera numeraverit.* Sid. Apollinaris de Fauſto Papâ admodum ſene. *l.* 9. *Ep.* 9.

Felix nimirùm qui tot per ſecula mortem
Diſtulit, atq; ſuos jam dextrâ computat annos.

Juven. *Sat.* 10. Atque hinc Nicharchus poeta, referente Cœl. Rhodigino *Antiq. Lect. l.* 12. *c.* 43. anum quampiam valde vetulam, egreſſam quaſi per ſenectutem ſolitas computationis metas, ita perſtringit:

Ἡ φάσσ᾽ ἀθρήσασ᾽ ἐλάφου πλέον, ἡ χερὶ λαιῇ
Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξαμένη.

Quæ ſoles vidit plures quàm cervus, & annos
Jam lævæ rurſus computat articulis. Utpote quæ ducenarium jam viz. (ita fingente poetâ) annum ſupergreſſa, à dextrâ ad lævam rurſus, quod ſolebant, numerando rediret.

Breviter

Breviter modum omnem hujusmodi numerationis singulari in libro distinctè & separatim complexus est Beda, quem de *digitorum loquelâ inscripsit*. Et rectè: Nec enim numerare solùm, sed etiam loqui & discurrere artificiosis digitorum gestibus consuevisse, est ubi legemus sæpissime;

— *Digito sæpe est nutuq; locutus*. Ovid.

Qualem nempe consuetudinem totum olim monachorum Cluniacensium cœnobium observasse narrant, ut pro disciplinæ suæ ratione, solâ digitorum gesticulatione absque linguæ officio, inter se mutuò confabularentur.

Verùm hæsimus satis diu in tam minutuli ritûs explicatione. Est porro (quod notare expediat) magna quidem largitatis species quam hìc promittit Deus erogandam *dexterâ* suâ manu; nec minor est illa altera *divitiarum & gloriæ*, quam pollicetur sinistrâ: sed utrâque major superest, charismatum ea cœlestium dispensatio, qualia ubique promisit S. Spiritus adeuntibus se abundè largiturum. Quàm multi autem mortalium tum & illam & illam avidè plusquam satis passim exambiunt, & interim hanc præ cæteris longè desideratissimam, facilè, & non sine fastu quodam rejiciunt, aut saltem cupidè minùs quàm omnino deceat, consectantur!

Excurs. CXLVII.

Prov. 7. v. 14, 15. *Sacrificia Eucharistica apud me sunt, hodie reddidi vota mea; Idcircò prodii obviàm tibi———.*

VErba sunt hæc blandiloquæ alicujus mulieris, subdolis suis fallaciis in exitii foveam pellicientis quotcunque sibi credulos invenerit. Sacrificia ostentat, & vota jam reddita commemorat, adeóque hinc ad festum secum solenniter celebrandum invitat. Morem nempe attingit Judæis solenni in usu positum, ut videre est Deut. 12. v. 6, 7. c. 27. v. 6, & 7. 1 Sam. 9. v. 13.-*Immolârunt q; hostias Domino, & obtulerunt holocausta: Et comederunt & biberunt coram Domino in die illa cum grandi lætitiâ.* 1 *Chron.* 29. *v.* 21, 22. Hinc illud, atque ex hâc occasione sapientis Hebræi dictum, *Prov.* 17. *v.* 1. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum jurgiis.*

Nec porro mos iste defûgit penitus veteres Gentiles, quin similiter etiam solennia maximè convivia sua sacrificiis adjungerent. Quod ita fiebat sc. Partem hostiæ oblatæ adolebant in Aris, eâque procurare religiosè conabantur irata, utì putabant, Numina: Quod reliquum erat, in epulo seu convivio discumbentes simul, sive publicè, sive privatim, ab-

absumebant. Ἦν θυσίη τις δημοτελὴς ποιέηται, πρώτους ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἵζειν τοὺς βασιλῆας ----. *quoties publica aliqua immolatio fit, primi in convivio reges discumbunt:* Herodot. de *Laced. l. 6. c. 52.*

Αὔερυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν,
Μηρούς τε ἐξέταμον, κατά τε κνίσσῃ ἐκάλυψαν,
Καῖε δ' ἐπὶ σχίζῃς ὁ γέρων, ἐπὶ δ' αἴθοπα οἶνον
Λεῖβε ----.
Αὐτὰρ ἐπεὶ παύσαντο πόνου, τετύκοντό τε δαῖτα
Δαίνυντ' ----.

Retro traxerunt quidem primùm, & jugularunt, & excoriarunt,
Coxasq; secuerunt, arvinaque cooperuerunt,
Adolebat autem in lignis incisis senex, super autem rubrum vinum
Libabat——.
Caterùm ubi quieverunt à labore, praeparaveruntque convivium,
Convivati sunt——Hom. Il. 1.

Tunc lecti juvenes certatim, Araque sacerdos,
Viscera tosta ferunt taurorum——.
Vescitur Æneas simul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.
Virg. Æn. 8.

Tunc itaque, quod dixi, *pollucibiliter* (sicuti vocabant) vel opiparè inprimis solebant epu-

epulas celebrare publicè; tum præcipuè cognatos & amicos cæteros, (ut de privatis etiam sive domesticis sacrificiis aliquid loquar) liberalioris hospitii mensâ accipere.

Νῦν μὲν παρ' ἡμῖν χρὴ συνεςίες ἐμοὶ
θοίνης γενέσθαι, τυγχάνω βεθυτῶν
Νύμφαις----.

Nunc quidem apud nos oportet convivas mihi
Vos interesse epulo, nam boves immolo
Nymphis—Euripid. in *Electr.* *Act.* 4.

Ego rem divinam intus faciam, vota quæ sunt;
Tu gubernatorem à navi huc evoca verbis
Blepharonem, ut re divinâ factâ mecum prandeat. Plaut. in *Amphyt.* *Act.* 3. *Sc.* 3. Item in *Mil. Glorios.* *Act.* 1. *Sc.* 3.

Sacrificant? Dant deinde partem mihi majorem quàm sibi;
Adducunt ad exta, me ad se ad cœnam, ad prandium vocant.

Atque hinc est quod Themistoclem inter cætera laudet Plutarchus, ὡς φιλοθύτην ὄντα καὶ λαμπρὸν ἐν ταῖς περὶ τὸς ξένους δαπάναις--- *ut sacrificiorum amantem, atque in hospitibus excipiendis valde splendidum*: Pari de causâ Critonem quendam deprædicat Xenophon in Memorab. l. 1. quod, Ὁπότε θύοι, ἐκάλει --- *quoties rem sacram faceret, Archemidorum,* bonum inprimis virum, sed pauperem, *invitabat.*

Atq; ex hoc more igitur qui tunc sacrificantium erat, meretrix hìc in Textu subdolè

insinuat

sinuat abundātes sibi post sacrificiū epulas, quò adhinnientes in libidinem adolescentulos sub obtentu dapsilis convivii, faciliùs inescet. *Ovum ovo*, quod aiunt, non similius est, quàm huic locus ille Terentii, (quem vice clausulæ idcirco hic subnectam) *Eunuch. Act. 3. Sc.* 3. ubi Thais Chremetem adolescentulum ad se adducere pertentat hujusmodi illecebrâ.

——— Cum primùm jussit me ad se accersier,
Ubi veni, causam ut ibi manerem repperit,
Ait rem divinam fecisse—.

Excurs. CXLVIII.

Prov. 10. v. 6. *Benedictio super caput justi.*

FRequens est Scripturæ Synedochica ista loquendi formula, quâ partem pro toto, vel contrà pro parte totum solet proferre. Inter multas alias in hoc genere frequentissimas, crebra satis, licèt non adeo notabilis, occurrit illa, quâ caput hominis pro ipso homine positum reperire est; idque in utramvis partem, sive bonam, sive malam. Deut. 33. *v.* 16. *Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat super caput Joseph, & super verticem separati à fratribus suis.* Contrà, 2 *Sam.* 1. *v.* 16. *Et ait ad eum David, sanguis tuus super caput tuum, os enim*

enim tuum locutum est adversùs te, dicens, Ego interfeci Christum Domini. Cùi accinit Judæorum illud devoventium se super Christi morte, *Math.* 27. *v.* 25. *Respondens universus populus dixit, sanguis ejus super nos & super filios nostros.*

Verùm ut digrediar tandem à testimoniis S. paginæ, ad hunc etiam modum locuti sunt Scriptores Ethnici;

Ἄκουε νῦν ὦ κασίγνητον κάρα
Ἕως ἐῶσι σ' εὐφρονεῖν Ερινύες.
Audi verò nunc ô fratris caput,
Donec sinant te sapere Erynnues.
Eurip. in *Orest.*

Et rursus;

Μενέλαε προσφθέγγῃ νιν ἀνόσιον κάρα.
Menelae alloqueris ipsum pollutum caput.
Ὦ κακὸν κάρα
O scelestum caput. Id. in *Hippolyt.*
--*Nihil est istuc, planè corruptum est hoc caput,*
Nequam homo est. Plaut. *Epidic. Act.* 1. *sc.* 1.
Te mea musa illis semper contexeret armis,
Et posita & sumptâ pace fidele caput.
Propert. *l.* 2. *Eleg.* 1.

Hinc, *tributum in capita imperare*, aliàs, *succedere*, vel *dividere in capita*, formæ locutionum Jurisconsultis usitatissimæ. Πάνυ σαφῶς δι' αὐτῶν καταμεμαθηκὼς τῶν ἔργων τὴν σὴν θαυμασίαν κεφαλὴν χαίρουσάν τε φιλανθρωπίᾳ καὶ --. *Cùm illud perspicuè ex rebus factisque didicerem, te egregium caput*, inquit

quit Synesius (ut sic unum vel alterum Christiani item ordinis subnectam) *ad omne humanitatis officium esse propensum.* -- *Ep.* 154. *Certabant artifices omni curâ filum capitis prostituti, Cytbereia in simulachrate educere.* Arnob. *l.* 2.

Ita locuti sunt Authores profani, ita Christiani, nec itaque adeo insolitum videri potest, si talis loquendi modus in S. quoque Scripturis reperiatur. Unum restat quod voti instar adjiciam, finiturus excursum hunc de phraseologiâ *capitis*, desumptum id ex *Job* 3. *v.* 10. & similis penè tenoris cum præfixo Dissertationis hujus lemmate, Quòd, sicut *candelam* veritatis suæ Deus supra *capita* nostra adhuc usque splendere permisit, ita nunquam posthac vel eam, vel *candelabrum* ejus ab ecclesiâ nostrâ, quamquam minimè merente, dimovebit.

Excurs. CXLIX.

Proverb. 20. v. 26. *Dissipat rex sapiens, & inducit super eos rotam.*

INnumera penè nusquam & nunquam non exciterunt tormentorum genera, quibus damnatos olim, sive justè, sive secus, torquere solenne fuit. Ingeniosa quippe res est crudelitas, nec unquam se solertes magis

gis homines probârunt in flagitiis suis multiplicandis, quàm alii se peritos in comminiscendâ pari pœnarum varietate: De quibus, si placeat, videatur ex professo differens Cœl. Rhodiginus *Lect. Antiq. l. 6. c. 5.*

Breviculum quendam earum quasi catalogum exhibet Seneca *Ep. 14. Cogitavit* (inquit) *hoc loco carcerem, & cruces, & eculeos, & uncos, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem, & distracta in diversum actis curribus membra, illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam, quicquid demum præter hæc commenta sævitia est.*

Nervos, Catenas, Carceres, Numellas, Pedicas.
Plaut. *in Asin.*

Sed & alium, eúmque paulò uberiorem; tradit Josephus *l. de Machab. c.* 8. Ταῦτα λέγων (ὁ τύραννος) ἐκέλευσεν ἐις τὸυμπροσθεν τεθῆναι τὰ βασανιστήρια, τρόχους τε, και --. *Hæc quum dixisset* (tyrannus) *proferri in medium tormenta jussit, rotas, radios, ungulas, lebetes, catastas, frixoria, digitatoria, pugillaria, manus ferreas, subulas, succensoria* ---. Rotæ cum primis, inter cætera tormentorum genera, mentionem facit: Qualis verò fuerat ista *rota* tortura, & quomodò huic loco conveniat, restat utrumque, ut paucis dispiciamus.

Rotalis torturæ succinctam Hypotyposin, ubi suprà, proponit Josephus in Machabæo,

fratrum seniore: Ὡς δὲ τύπτοντες ταῖς μάστιξιν ἐκοπίασαν οὐδὲν ἀνύοντες, ἀνέβαλον αὐτὸν περὶ τὸν τρόχον· περὶ ὃν κατατανόμενος ὁ εὐγενὴς νεανίας, ἔξαρθρος ἐγένετο, καὶ κατὰ πᾶν μέλος κλώμενος· *Quum autem loris verberantes nihil egissent, imposuerunt eum in rotam, circa quam extensus generosus adolescens, elumbis fit statim, atque in omnibus membris confractus.*

Ἐπὶ τοῦ τρόχου γὰρ δεῖ σε στρεβλούμενον
Εἰπεῖν ἃ πεπανούργηκας ---.

Nam oportet te rotæ
Illic revinctum, & radiis insertum,
Tua flagitia profiteri —. Aristoph. in *Plut.*
Act. 4. *sc.* 3.
— *Radiisque rotarum*
Districti pendent —. *Æn.* 6.

Constat ex dictis, non rotæ subjici, sed imponi consuevisse torquendos. Μαγαδίζειν ἐπὶ τρόχου καθήμενον, ut habet proverbium, *Athen. l.* 14. Et quid itaque dicemus de inductione hâc rotæ *supra impios*, quam faciendam Textus minatur? aut quonam pacto verisimiliter censebimus id fieri posse? Nisi si fortè intelligamus *Fortunæ* illam *rotam* sic vocatam, calamitatésque ei annexas, quod aliqui volunt: vel rursus, ut capiamus istud allusivè quasi dictum, & cum respectu ad plaustralem rotam quam inducentes supra segetum spicas in aream congestas, exterebant eas antiquitus, *Is.* 28. *v.* 28. quomodò

nos

nos jam flagris trituramus. Quicquid sit viderint Interpretes. Mihi in incerto mens hæret, utrùm hôc vel illo, aut alio modo res intelligenda sit; sed nec susceptæ quidem à me provinciæ est nodos hujusmodi, si qui occurrant in Textu, dissolvere: Tantùm incumbit, quod aliquoties anteà dixi, ut quæsitis aliunde Instantiis eum quoquo modo illustrem.

Excurs. CL.

Ecclesiast. 12. v. 5. *'Abit homo in domum seculi sui, & circumibunt in plateâ lugentes.*

IS sc. finis mortalium omnium; Eâ ratione quasi intramus in hunc mundum, ut exeamus: Breve isthìc spatium decurrendum accepimus; Annorum sexaginta decem summam constituit dinumerans Psalmista, *Psal.* 90. *v.* 10. Ubi interim nec ulla temporis cessatio, nulla mora intervenit, quin festinemus præcipiti cursu, donec perventum erit ad præfinitam *Domi* hujus metam, nulli non adeundæ. Sed ut mittamus querelas; Est in phrasi hìc, & locutionis ipsâ formulâ, quod intentionis aciem paululùm mereatur.

Vitæ

Vitæ nostræ perfugium & portus ultimus, hic vocatur *Domus.* Quam autem domum intelligat sacra pagina, utrùm cœlum, animæ receptaculum, an sepulchrum, corporis hospitium, id non ita manifestò constat. Utrumque exhibent Scriptores Ethnici, (si quid illorum Authoritati tribuendum sit) sub uno eodémque dictionis cortice, diversum diversis in locis propalantes sensum. Nam quod ad prius, prætò est Cicero *Tuscul. Quæst. l.* 1. *Ut exeamus* (*inquit*) *è vitâ læti & agentes gratias -- & aut in æternam & planè nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiâq; careamus.* Rursus in *l. de Somn. Scip. Igitur alta spectare si voles, atq; ad hanc ædem & æternam domum contueri.* Divinè planè hìc Euripides, & tantùm non à Salomone nostro *infrà v.* 7. transtulisse quis jurabit, nec ideo possum non in transitu annotare:

Ὅθεν δ' ἕκαστον ἐις τὸ σῶμα ἀφίκετ'
Ενταῦθα ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Καὶ σῶμα δ' ἐις γῆν ---.
Unde unaquæq; pars ad hominem coiit,
Illuc rediit: Spiritus quidem in æthera,
Corpus autem in terram — *Supplic. Act.* 2.
& *Phocyl.* similiter in *Poem. Admonit.*

Quod ad posterius, scitum est illud quod tradit D. Siculus *l.* 1. loquens de Ægyptiis: Καὶ τὰς μὲν τῶν ζώντων οἰκήσεις, καταλύσεις ὀνομάζουσιν, ὡς ὀλίγον χρόνον ἐν ταύταις οἰκούντων ἡμῶν, τοὺς δὲ τελευτηκό-

τῶν τάφους, ἀϊδίους οἴκους προσαγορεύουσιν --. *Et domicilia viventium, diversoria nominant, quòd exiguum ad tempus has incolamus: Defunctorum verò sepulchra domos æternas, quia infinitum apud inferos ævum transigant.*

Τύμβος, ὦ νυμφεῖον, ὦ κατασκαφὴς
Οἴκησις ἀεὶ φρουρὸς, οἷ πορεύομαι.
O sepulchrum, ô thalame, ô effossa
Habitatio perpetua, quò vado. Sophocl. in *Antigon.* Et rursus in *Ædip.*
--- Τὰν παγκευθῆ κάτω,
Νεκρῶν πλάκα, καὶ στύγιον
Δόμον —.

Commune receptaculum, & Stygiam domum appellat. Cui accinit illud Horatii,

Et domus exilis Plutonia. l. 1. *Od.* 4.

Idem omnium exitus est, idem domicilium. Petron.

Verùm sive in hoc, sive in illo sensu vocabulum usurparunt Autores veteres, res eôdem redit. Satis prostant in utrovis, unde lux aliqua tam bellæ Ecclesiastis metaphoræ accedat. Interim, ô si homines rite perpenderent, quàm fragili hìc utantur vitâ, quàm citò transeat, & denique quàm ineluctabili tandem fato in *Domo* istâ æternæ oblivionis omnes condamur.

Excurs,

Excurs. CLI.

Cant. 3. v. 11. *Egredimini & spectate filiæ Sionis, spectate regem Salomonem cum coronâ quâ coronavit illum mater in die sponsaliorum ejus, in die lætitiæ cordis ejus.*

NOn exegeticè vel amplificationis tantùm gratiâ ponuntur hæc de coronatione Salomonis, sed morem planè perantiquum respicit *Seraphicus Cantor*, quo mariti simul eorúmque sponsæ, olim in nuptiis solenniter coronabantur. Στέφος γαμήλιον, sive *nuptialem coronam* vocat Bion in *Adon.*

Καὶ στέφος ἐξεπέτασσε γαμήλιον ——.
Et corollam nuptialem expandit.
Ὦ πολύμοχθες Ἄρης ——
—— οὐκ ἐπὶ καλλιχόροις στεφάνοισι
Νεανίδος ὡραίης βόστρυχον ἀμπετάσας.
O luctuose Mars ——
—— *Non inter decentes coronas*
Maturæ nuptiis puellæ comam religans.
Eurip. *Phœn. Act.* 3.

Sed eccum progreditur cum coronâ & lampade
Meus socerus, compar, commaritus, villicus.

Ut ait Plautus. *Casin. Act.* 4. *sc.* 2. de marito quodam loquens nuperè sic facto, adeóque è geniali cubiculo statim pòst prodeunte.

Nuptiales hujusmodi corollas *Veneris serta* nominat *Mart. Capella l.* 9.

Conscia tum Veneris nova serta parate Napaeae,
Crocumq; lecto spargite.

Ad hunc sensum atque scopum Sid. Apollinaris *l.* 1. *Ep.* 5. *Jam quidem virgo tradita est, jam coronâ sponsus, jam palmatâ consularis, jam cyclade pronuba, jam togâ senator honoratur.* Quid plura? Rem totam δογματικῶς quasi & affirmatè tradit Artemidorus ὀνειροκρ. *l.* 2. *c.* 54. Καὶ στέφανοι, καὶ ἀρώματα, καὶ μύρα -- *Coronae, aromata, & unguenta, tum nuptias celebrantium, tum morientium sunt consectanea.*

Nunc sociat flores, seq; ignara coronat,
Augurium fatale tori — Claud. de *Rapt. Proserpin.*

Congessi huc praeter solitum majorem testimoniorum farraginem, quippe in re minùs dilucidâ: Cui coronidem imponat illud Afri scriptoris *de Coron. Mil. c.* 13. quo nihil potius ad intellectum tam vetusti moris afferri queat. *Coronant & nuptiae sponsos], & ideo non nubimus Ethnicis, ne nos ad Idololatriam usq; deducant, à quâ apud illos nuptiae incipiunt.*

Jam verò tandem utrùm inter Judaeos convaluerat talis aliqua consuetudo, quò collimans sapiens Hebraeus effatum istud protulit, nullus sum qui dignoscam. Doceant illi quorum laus praecipuè, & unica eruditionis palma

ma eſt Rabbinicos mores ritúſque exactiùs calluiſſe. Nobis non conceſſum eſt undiquaque eſſe tam doctos. Interim ſatis erit oſtendiſſe, quomodò ſaltem inter Gentiles viguit mos ejuſmodi: Nec credibile eſt Salomonem, virum tam multifariæ ſcientiæ, callentem res quaſlibet à *cedro ad hyſſopum* uſque, illorum mores atque inſtituta hâc ex parte ignoraſſe.

Excurſ. CLII.

Iſ. 3. v. 16. *Et dicit Dominus Deus, pro eo quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, —.ibant & plaudebant, & pedibus tinnientes incedebant.*

SEptuaginta ſeniores hìc habent, καὶ τῇ πορείᾳ τῶν ποδῶν ἅμα σύρουσαι τοὺς χιτῶνας, καὶ τοῖς ποσὶν ἅμα παίζουσαι----. h. e. (ſi ad verbum reddas, quod *vulgata* facit) *Indentes ceu plaudentes pedibus incedebant fæminæ.* Sed noſtri aliíq; nonnulli ad ſpecialiorem quendum morem,, laſcivè incedentibus tunc in ūſu poſitum, collimantes, tinnitûs vocem inter verrendum adhibuere. Et quidem ſi *crepidæ* à *crepitu* earundem, quem ingredientibus ſæpenumero edunt; originem ducerent, quod docet Iſidorus *Orig. l.* 4. *c.* 34. facilè

 hujus

hujus rei constaret ratio, nec porro in tam grave crimen, ut hìc utentium, cederet. Sed quum acutum magis quàm verũ sit, illud verbi Etymon, (verisimiliori extante ad manum, τῆς κρηπῖδος voce, unde descendat) progrediendum est ulteriùs, & causa dicti aliunde erit petenda.

Nempe ea fuit, utì videtur, lascivientium tum mulierum inepta ostentatio, ut delectarentur inprimis stridentiore pedum sono, qui ipsis moventibus causabatur. Stridentes calceos, inter cæterum fœminarum luxum, egregiè perstringit S. Hieronymus *Ep.* 10. *ad Furiam*; *Non habuit*, inquit, (de pœnitente illâ muliere loquens Luc. 7.) *nec crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos, quantò fœdior, tantò pulchrior.* Stridorem hujusmodi curabant augendum, adhibitis quandoque ad calceamenta vel aureis, vel æreis laminis, vel denique cymbalorum appositione. Certè hoc vel simile quidpiam est quod Tertullianus *de Pall. c.* 4. acerbè sugillat etiam in Philosophis quondam, luxuriam eorum notans & effæminatam mollitiem. *Atque alius*——inquit, *sericatus, & æratus incessit, dignè quidem, ut bacchantibus indumentis aliquid subtinniret Cymbalo.* Empedoclem hìc indigitat, cujus ἐμβάδων χαλκῶν, in vitâ ejus meminit Laertius. Momus (quod legimus inter *Græc. Epist.*) cupiens valde coarguere aliquid in Venere, sed non reperi-

ens quod criminaretur, Ἓν δὲ μόνον δυσχεραίνειν ἔφη, ὅτι τρύζοι αὐτῆς τὸ ὑπόδημα, καὶ λίαν εἴη λάλον——*Unum verò dicebat se indignè ferre, quòd strideret ejus calceamentum, & nimis esset streperum, atque sonitu molestum.*

Planè hujusmodi strepitus, & tali fortè ex causâ ortus, (dubitanter enim loquor) fuit iste hìc filiarum Sion. Cavebant sc. (utpote fœminæ) nec incongruè, nè minùs obstreperæ in imis corporis partibus forent, quàm linguaces in summis solent esse. Et quamvis quãtùm ad prius illud, fœminæ nostrorum temporum non omnino adeo insaniant, tamen est quod in gestibus, in lascivis & ludicrè affectatis incessibus, nimis quàm verè ex Textu arguatur.

Non est ingenii mei satyras scribere, aut aceto perfundere commerita hominum delicta qualiacunque. Satis erit in præsenti negotio si partes istas mandavero Cl. Alexandrino, *Pædag. l. 2. c. 11.* Αἰσχρὰ γοῦν ἀληθῶς τὰ σανδάλια ἐκεῖνα —— πολλαὶ δὲ κ' ἐρωτικοὺς ἀσπασμοὺς ἐγχαράττουσιν αὐτοῖς, ὡς ἂν ἐκ τῆς ἐπιβάσεως——, *Verè ergo turpia sunt illa sandalia——. Multa autem ex iis quoq; amatorios imprimunt amplexus, ut vel per terram numerosè incedentes, meretricios spiritus in incessu insculpant.*

Excurs. CLIII.

Is. 11. v. 1. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.*

NEmini dubium esse potest, nisi alieno valde ab omni sacrarum literarum gustu, cui competat dictum istud Prophetæ, aut in quem directè proferatur. Christus Salvator noster benedictus in æternum, *Ipse* est: Ille planè salutiferum illud *germen* est, in spem mortalium omnium jacentium penitus in abysso miseriæ atque perditionis, fæliciter oriundum; Sic *Zach.* 3. *v.* 8. *Ecce, ego adducam servum meum germen*: Et rursus, *c.* 6. *v.* 12. *Hæc ait Dominus exercituum, ecce virum cujus nomen est germen.* Christum utrobique certo certius propheta intelligit.

Nec verò nova adeo aut insolita est loquendi formula, quin similis etiam aliquoties extra Sacræ paginæ septa reperiatur.

----Ἅμα τῷγε Λεοντεὺς ὄζος Ἄρηος
Υἱὸς ὑπερθυμίοιο Κορώνου Καινείδαο.

——*Unà cum eo Leonteus ramus Martis Filius magnanimi Coroni Canida. Il.* 2.

Τοῖς ἦρχε Ἱπποθόος τε, Πυλαίος τε ὄζος Ἄρηος,
Υἱὲ δύω Λίθοιο----.

His præerat Hippothous & Pyelas ramus Martis,

Filii

Filii duo Lithi———. *Ibid.* atque etiam iterum iterúmque. Sed nolim illi unicè omnia debere.

Πέμπω σοι πρὸς ταῖς πρόσθεν
Δέλτοις ὦ Λήδας ἔρνος.
Has tibi ad priores mitto
O Ledæ germen. Iphig. in Aulid. Et rursus paulò pòst.

Παρὰ δὲ Μηριόνην, Ἄρεος
Ὄζον, θαῦμα βροτοῖσι,
Λαέρτου τόκον ----.
Juxta hunc (conspexi) Merionem, Martis
Sobolem, miraculum mortalibus,
Laertæ filium———.

Τάν τοι ἔφα κορύναν δωρήσομαι, οὕνεκεν ἐσσὶ
Πᾶν ἐπ' ἀληθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος.
Hoc, inquit, tibi pedum dabo, namque es
Totus reverà germen divinitus factum. Theocrit. *Idyl.* 7.

Αὐσονίου Ζηνὸς γλυκερὸν θάλος Ἀντωνῖνε.
Ausonii Jovis dulce germen Antonie. Oppian. κυνηγετ. *l.* 1. Κύπριδος ἔρνος, χαρίτων θρέμμα ---- *Veneris ramus, Gratiarum nutrimentum*——. Aristophan. Ἐκκλησιας.

Satisfactum est abunde causæ suprà, exemplorum prolatâ varietate: Si quis demum requirat fortè quale germen hoc nostrum sit *Christus*, aut cujus arboris genuina soboles; Recte reponi queat, germen sanè *vivifica* illius *arboris* in medio horti, *Apocal.* 22. *v.* 14.

14. aut potiùs arbor ipsamet, cujus *salutiferum* fructum quicunque verà fide perceperit, in æternum vivet certissimè, nullatenus periturus.

Excurs. CLIV.

If. 13. v. 21. ***Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones & pilosi.***

VAriæ sunt lectiones hujus loci, (sicut & illius *c.* 34. *v.* 14. *Jer.* 30. *v.* 39.) quin & variæ interpretationes. Sunt qui de infaustis quibusdam aviculis, subversa atque deserta (quod posteà evênit,) Hierosolymæ loca inhabitaturis accipiant; cujusmodi sunt oti, stryges, bubones, eísque affines: Alii de insolitis & monstrosis animalibus, qualia sunt Satyri, Fauni, Ægypanes, & similia: Ego non dirimam litem, sed tantùm ad præsens in posteriore verborum significatu pedem figam.

Verùm & hic rursus emergit quæstio, quinam & quales fuerunt isti *Satyri*, (de quâ Hieronymus nonnulla in vitâ Pauli Eremitæ) utrùm homines quidam, licèt biformes & monstrosi, quod sensisse videatur S. Pater *ubi suprà*, & doctissimus Turnebus *Advers.*

Adverſ. l. 18. *c.* 8. an bruta quædam, humanâ tantùm effigie prædita, ut Plinius *Nat. Hiſt. l.* 7. *c.* 2. & Solinus *c.* 44. an denique inſulſi quandoque dæmones in humanam ſimilitudinem ſe vertentes, quò meliùs poſſint rudi hominum ingenio illudere, eóſque captare. Viſa olim hujuſmodi monſtra, quæ ſatyros vocamus, unumque adeo eorum Syllæ tunc duci in Aſiâ militanti oblatum fuiſſe, narrat Plutarchus in *vit.* illius: alium ad Conſtantiũ ab Indorum rege miſſum, Philoſtorgius, *Eccleſ. Hiſt. l.* 3. *ſect.* 11. & adhuc nonnullibi videri aſſerit Scaliger Exercit. 335. Inſulæ cujuſdam à Satyris in totum occupatæ meminit Pauſanias in *Attic. ſive l.* 1. Atlantis montis circumjacentes ſaltus ejuſmodi incolis replet Solinus *c.* 37. *perſtrepentibus* (quod addit) *continuè nocturnis choreîs & cantibus.*

Sic enim laſcivi iſti dæmones, (ſi modò dæmones ſint,) de eis ſaltem loquor, quos *cobalos* dicunt, & Textus hic inſinuat, urbium & ædium nempe aſidui frequentatores, ſaltationibus multùm delectari narrantur. Συγχωρευταὶ Διονύσου ἦσαν οἱ ὑπ' ἐνίων Τίτυροι ὀνομαζόμενοι· ἔσχον δὲ τὸ ὄνομα ἐκ τῶν τερετισμάτων οἷς χαίρουσι σάτυροι. *Comites Bacchi fuerunt ſatyri*, inquit Ælianus, *quos Tityros appellant: Hoc nomen habuerunt à Teretiſmatis, h. e. laſcivis & procacibus ſaltationibus quibus gaudent ſatyri. De Var. Hiſt. l.* 3. *c.* 4.

Sal-

Saltantes satyros imitabitur Alphesibæus.

Virgil. *Eclog*. 5.

Hæc loca Capripedes satyros, nymphasq; tenere
Finitimi fingunt, & Faunos esse loquuntur,
Quorum noctivago strepitu, ludóque jocanti
Adfirmant vulgò taciturna silentia rumpi.

Lucret. *l*. 4.

Capripedes satyros appellat, idem innuens quod suprà voluimus, cùm biformes diceremus; τριχῶντας sive pilosos reddit ad textum Aquila, quem & sequitur vulgata. Pausanias, *ubi supra*, professus anteà multum se laboris impendisse quærendo quid essent satyri, πυῤῥοὺς, καὶ ἵππων οὐ πολὺ μείους ἔχειν ἐπὶ τοῖς ἰσχίοις οὐράς. *Ruffos esse tradit, & caudas haud multò equinis minores infra clunes habere.*

Accepimus fando multoties de ludibundis istusmodi Dæmoniis, (quos *cobalos*, ut prius, vel *Faunos ficarios* nominare solebant) à majoribus nostris antehac sæpe visis, eísque molestiam abunde satis creantibus. Nihil tale inter nos illorum posteros jamdiu inauditum fuit: Unde statim succurrit mihi consideratio, nec forsitan omnino futilis vel inepta, quanta & quàm potens sit nunc dierum Evangelii syncerè enunciati lux, quæ oberrantes olim tales larvas sic absterreat tandem, & in carcerem infernalis sui barathri fugatos compellat.

Excurs.

Excurs. CLV.

Is. 16. v. 10. *Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit neque jubilabit; vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat: vocem calcantium abstulit.*

PRægrande aliquod gaudium, & festam planè exultationem insinuat propheta, quam tempore vindemiationis, utì videtur, annuatim populus exercebat. Sic infrà *c.* 25. *v.* 30. *Dominus de excelso rugiens rugiet,--super decorem suum celeusma quasi calcantium concinetur adversùs habitatores terræ.* Deinde rursus, *Jer.* 48. *v.*33. *Ablata est lætitia & exultatio de Carmelo, & de terrâ Moab, & vinum de torcularibus sustuli; nequaquam calcator uvæ solitum celeusma cantabit.* Non levis, ut dixi, erat proculdubiò strepitus sive clamor exultationis tunc in vindemiationibus edi solitus, quam sic halciariorum usitato celeusmati utérque prophetarum comparat.

Sed qualiscunque tandem fuerat, non deerunt scrutantibus fortasse similis cujusdam moris vestigia, & simili de causâ, reperienda etiam inter *exteros*: primò enim clamore aliquo tali & ingenti vociferatione celebrabant *Ambarvalia* sua sic dicta, Cere-

ris

ris sacra, ea sc. quibus in sequentis anni fertilitatem procurabant;

Terq; novas circùm fœlix eat hostia fruges,
Omnisquam chorus, & socii comitentur ovantes;
Et Cererem clamore vocent —. Georg. *l.* 1.

Δημητρέλους καὶ καλλιέλους vocabant Græci perstrepentes tunc ibi occentores, & munus illorum erat in suis canticis acclamare, πλεῖστον οὖλον ἵει, πλεῖστον οὖλον ἵει, i. e. *plurimos spicarum manipulos*, (ô Ceres) *mittito*. Athen. *l.* 14. Cui similis quodammodo, (licèt aliâ de causâ) erat acclamatio illa populi prodeuntis in occursum Salvatoris Christi cum recisis palmarum ramulis, *Math.* 21. & clamantis inter eundum, *Hosanna*, vel, *Salva nos Domine*.

Sed parum hoc, dices, ad vindemialia illa festa, quando aut uvas colligebant Autumnali tempore, aut eas posteà premebant in torcularibus, ubi Bacchico ritu ab ululantibus lascivientibúsque insano more omnia peragebantur. Vindemialis hujusmodi solennitatis crebra occurrit mentio apud Scriptores antiquos. *Cùm ad vindemiam vocasset amicos nobiles, & ad corbes sedisset.* Lamprid. *in Heliogabal. Procedente itaq; Tiberio ad villam, ut juxta imperialem ritum triginta dies ad vindemiam jocundaretur.* P. *Diacon. de Gest. Longobard. l.* 3. *c.* 6. Μέλων ἐπιληνίων sive *versuum Epileniorum* meminit

Athenæus

Athenæus l. 3. Τρόπων ὀισχοφορικῶν, οἱ τε βακχικοὶ -- *Modorum quales canuntur in Oeschophoris, Baccho sacris. l.* 14. Rem omnium plenissimè & suis ipsis coloribus depingit C. Tacitus *Annal. l.* 11. *At Messalina non aliàs solutior luxu, adulto Autumno simulachrum vindemiæ per domum celebrabat: urgeri prela, fluere lacus, & fœminæ pellibus accinctæ assultare ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ. Ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, juxtaque Silius hederâ vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, strepente circum procaci choro.*

Talis fuit exultantium olim mos in vindemiationibus suis; nec iniquus sanè, si non nimius & cum luxu junctus, quippe æquissimum est ut per singulos annos super frugiferis terræ quocunque in genere proventibus, Deum aliquo modo grati celebremus; Sic in fæni, etiam sic in frumenti collectione: Nusquam & nunquam non laudandus est, qui ubique & semper nos beneficiis suis prolixè accumulat.

Excurs. CLVI.

H. 18. v. 2. *Qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas.*

NOn sine stomacho prorsus atque indignatione gravi conqueritur alicubi poeta de homine illo, quisquis mortalium is fuit,

—— *Qui fragilem truci*
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus. ——

Adeóque excavatæ arboris auxilio fretus, (ὡς χερσαῖος ναυτίλος, *terrestris quasi quidam nautilus*, ut scitè Nazianzenus, *Orat.* 34.) per procellosi maris undas ausus est tranare: Quid diceret si idem porro tentare observâsset homines junceis & papyraceis navigiis inclusos? Tamen ita factitâsse ex consueto navigandi more, tum Æthiopas, aliósque circa Æthiopiam positos terræ incolas, testatur disertè autoritas Sacræ paginæ: *Væ terræ*, inquit, *umbrosæ oris*, *quæ est secundùm Æthiopiæ flumina: mittenti legatos* --- *v.* 1, 2. &c.

Huic Scripturæ authoritati nihil absonum erit, si in subsidiis quasi, & majoris illustrationis gratiâ, addamus aliquid ex profanis depromptum scriptoribus: *Papyrus*, ait Plinius, *nascitur in palustribus Ægypti* --

(papyri-

(papyriferum inde amnem Nilum nuncupat Ovidius, -- *Papyrifero qui non angustior amne. Trist. l. 3.)* ex *ipso navigia texunt, & è libra vela. Hist. l.* 13. *c.* 11. Idem de arundinibus Indicis narrat D. Siculus *l.* 2. Ἡ δὲ Ἰνδικὴ παρά τε τοὺς ποταμοὺς, καὶ τοὺς ἑλώδεις τόπους φέρει καλάμων πλῆθος, οὗ τὸ πάχος ---. *Nam India circa fluvios & paludes magnam arundinis copiam fert, cujus crassitiem homo non facilè complectatur: Ex hâc materiâ naves concinnatas eximium usum habere dicitur, quòd carie sc. non infestentur.*

Παπύρινα σκάφη, *papyrinas naves vocat* Plutarchus in *l. de Is. & Osir.* Καλάμινα πλοῖα, *arundinea navigia*, Herodotus: Καλάμου ἓν γόνυ πλοῖον ἕκαστον ποιέεται -- *singula autem navigia è singulis arundinis internodiis fiunt. l.* 3. *c.* 99.

---Sic cùm tenet omnia Nilus,
Conficitur bibulâ Memphitis cymba papyro.
Lucan. *l.* 4.

---Vestris datur alveolis quod
Canna Mycipsarum prorâ subvexit acutâ.

Juvenal. *Sat.* 3. Arundo, papyrus, canna, idem hìc sonant.

Nec verò navigia inde tantùm aut fluviatilia ejusmodi vehicula, (quod hactenus adstruximus, quantum sat est,) sed etiam vestes stragulas, tegetésque texebant Ægyptii, ut docet Plinius in loco suprà laudato; calceos item sacerdotibus suis, uti Herodotus

l. 2. *c.* 37. Tantæ magnitudinis erant arundineæ istæ cannæ, tantæ præterea commoditatis, ut utrique usui suppeterent. Et quid mirum? cùm ad eundem penè modum referat Strabo *l.* 16. de conchis atque ostreis crescentibus in Arabiæ finibus, tum victui, tum vectioni eas sufficere solere; Κόγχας ἐχούσας τὴν σάρκα σιτεύουσι -- *concharum carnibus*, inquit, *nutriuntur*. Deinde, τοῖς ὀστράκοις αὐτῶν σκεπάζονται, ὄντα μεγάλοι ὄντιν ὥσπερ καὶ πλεῖσθαι ἐν αὐτοῖς --. *Testudinum operculis conteguntur, quæ adeo magnæ sunt, ut & navigare in eis tutò liceat.*

Cui denique usui prædicta illa biblyna navigia præcipuè serviebant, (ut ità finiam, ubi cœpi,) si quis exquirat! Egregiæ sanè velocitatis in percurrendo lubricos maris tractus videantur fuisse, quòd vel Textus insinuat: Aut certas quasdam naviculas, *Dromonas* inde dictas, licet intelligas; adeóque (rebus arduæ necessitatis sic flagitantibus,) nuntiis expeditè mittendis remittendísque cum primis destinatas.

Excurs.

Excurs. CLVII.

Is. 22. v. 22, 23. *Et dabo clavum domûs David super humerum ejus: Et figam illum in clavum in loco fideli.*

JUxta amoris sui magnitudinem quo Deus semper complexus est populum Judaicum, inter cætera favoris sui indicia quàm plurima, indulsit eis sæpissime bonorum principum copiam, sicut & hìc Eliacin, optimum illis in posterum Rectorem pollicetur. Cujus futuri regiminis duo insuper ostentat insignia, *clavem* & *clavum*, quæ quia tam vicina pariter & nomine & in contextu orationis sint, simul tractanda conjunxi.

Et primò per *clavim*, certum est notari eximiam potestatem posteà in Eliacim conferendam. Sic Christus Dominus suam ipsius immensam super omnia potentiam indigitans, non aliûs vocabuli utitur adjectione, quàm *clavis*; *Hæc dicit sanctus & verax, qui habet clavem David*, *Rev.* 3. *v.* 7. τοῖς δὲ πιστεύειν θέλουσι, καὶ διέπειν τὰ ἀλλότρια, πίστεως ἐστὶ σημαντική -- *Curare volentibus & dispensare res alienas*, ait Artemidorus, (qualis reverâ, & secundùm ipsam historiæ seriem, futurus erat Eliacim, præfectus regiæ domûs in locum Shebnæ substitutus, *v.* 15, 16. &c.)

clavis vel in somniis visa, fidei & autoritatis insecutura prænuncia est. Oneir. *l.* 3. *c.* 54.

Αὐτίκα Νικίππῃ, (τὴν γὰρ πόλις ἀρήτειρον
Δημοσίαν ἔστησαν) ἐείσατο, γέντο δὲ χειρὶ
Στέμματα καὶ μήκωνα, κατωμαδίαν δ' ἔχε κλεῖδα.

Nec mora, Nicippen, (Cereris tunc illa sacerdos
Publica erat,) simulabat anum, sumpsitque papaver
Cum sertis, clavemque humero suspendit anili.

Callimach. in Cerer. *Hymn.* 6. In hunc modum consuêrunt olim mariti inter Romanos, novè nuptis suis domúmque denuo perductis, claves domi illis in manus tradere, quò regimen ita totius Familiæ peculiariter eis concreditum signarent.

Jam verò quod ad posterius illud σημάντικον attinet, per *clavum* proculdubiò stabilitatem insinuat ejusdem imperii Eliacim donandi, unáque observantiam populi ab ejus arbitrio & nutu posteà pendentis: sicut solemus viz. res in domo sparsim aliàs jacentes, supra paxillum vel clavum sublatas suspendere.

Fixus hic apud nos est animus tuus clavo cupidinis. Plaut. *Asin. Act.* 1. *sc.* 3.

Ut beneficium hoc quemadmodum trabali clavo figeret. Cic. in *Verr. Act.* 2.

Te semper anteit sæva necessitas,
Clavos trabales, & cuneos manu

Gestant

Gestans ahenâ ——. Hor. *l.* 1. *Od.* 33. Nisi si fortè quis mallet clavos illos Annales hìc signari, de quibus Livius *l.* 7. *c.* 3. & Fest. *in verb.* qui figebantur annuatim in parietibus sacrarum ædium, ut per eos annorum numerus certò colligeretur. Sanè, *clavi in loco Dei sancto* defixi meminit Ezra *c.* 9. *v.* 8. Istud commentum non rejicio prorsus, sed illud multùm antefero.

Interim, quod extra omnem dubitandi aleam est, quódque hìc clarius aliquantulùm reddere elaboravimus, per *clavis* & *clavi* Symbolicas dictiones sic conjunctim positas, dicimus Eliacim & magnam simul & inconcussam duraturámque quandam potestatem in promissis à Deo habuisse. Quàm inscrutabilia verò sunt judicia Domini, aliàs alio modo mirificè dispensata! Neque enim sic ubique vel cum omnibus egit, (quamvis æquè fortassis divinum favorem promeritis) quorum *clavem* & *clavum* excussos derepente, adeóque aliò in possessionem delatos, non sine ingenti stupore vidimus.

Excurs. CLVIII.

Is. 29. v. 4. Humiliaberis, de terrâ loquêris, & de terrâ audietur eloquium tuum, & erit quasi Pythonis de terrâ vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.

Contra Ariolos, Augures, & alios ejusmodi conjectores, satis abunde, sátque severè præscribit Dominus, *Lev.* 19. *v.* 31. *Ne vos convertite ad Pythones, & Ariolos ne consulitote, ut polluamini per eos: Ego Dominus Deus vester.* Et rursus *Deut.* 18. *v.* 10, 11, 12. *Ne inveniatur in te -- nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos.* Sed non est mihi in animo diversimodas in hoc genere divinandi artes percurrere. Legat, si quis plura cupit, Agrippam, Wierum, Delrium, aliósque quotquot in hâc arenâ, datâ operâ, se exercuerunt. Unam inter cæteras hìc indigitat propheta, scitam illam & subdolam, quam ἐγγαστριμυθίαν seu *ventriloquium* communiter dixerunt. Qualis verò & cujusmodi fuit ars ista Divinatoria, nullo erit cum operæ dispendio, si rem accuratiùs paulò disquirendo, in medium producam.

Divinatio ergo hujusmodi erat, quando homines

homines fatidico inflati dæmone, tenui sive surdâ voce, & quasi à longè petitâ, res quæsitas proferebant. Idque duplici fiebat modo: Aliquando non ita ex alto prorsus mittebant sonum, sed propiùs, & tanquam è gutture solùm, unde μαντεία ἀπὸ στόματος dicebatur, ut docet Scaliger *Exercit.* 258.

Δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα

Phœbus vates ex gutture emisit vocem. Lycophr. in *Alexand.* Nonnunquam ex intimis pectoris recessibus trahebant vocem, quales magis propriè & juxta accuratioris loquelæ formulam πύθωνας, vel ἐγγαστριμύθους dicebant.

Quod enim observes licet, idem planè sonat Python atque Engastrimythus. Ἐγγαστριμύθους -- εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ πύθωνας προσαγορεύουσι· *Engastrimythos, quos olim Eurycleas, nunc pythones nominant.* Plutarch. de *Defect. Oracul.* Euricles iste, ut videtur, celebris quispiam vates fuit apud Athenienses in isto genere vaticinandi, cujus meminit Plato in *Sophistâ*, & Aristophanes in *Vespis.*

Μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
Εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς, κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι.

Qui imitans Euriclis vaticinia, ejusq; solertiam,

Aliorum se dimittens in ventres, comica multa effundit.

Inde, & ab eo, clari in hoc vaticinationis genere Euriclêi postea vocabantur: Alias *pythones*, ut dixi, (& talis fortè erat Pythonissa illa divinatrix, *Act.* 16. *v.* 16.) Εντερομάντεις, Εγγαστρομάντεις, Στερνομάντεις, quâ voce utitur alicubi Sophocles, loco ventris, insidenti impuro spiritui pectus assignans. Devitavit *Tragœdus* turpitudinem prioris loci, (quod bene notavit Photius *Ep.* 31.) ut sic inquilino Dæmoni honestiorem diversandi sedem compararet.

Et quidem magnum vel in hôc discrimen apparet inter Dei & dæmonis in nobis habitationem: Deus corda & renes nostros possidere dignatur, *Tu enim possides renes meos*, inquit pius Psalmista, *Psal.* 139. *v.* 13. At dæmon culinam ventris sibi eligit, locum spurcitiei & fæditati omnifariæ destinatum; Ἄξιον κοπροπροσδόχον οἰκεῖν, ut ibidem subinfert Photius, *dignam sanè habitationem*, quò tam immundus spiritus, occupato, si quandò, per vim humano corpore, detrudatur.

Excurs.

Excurs. CLIX.

Is. 30. v. 33. *Præparata est enim jam Tophet, regi præparata, profunda & lata.*

ALlegoricè hìc sub nomine Tophet, loci notissimi circa Hierusalem, nefariæ infantum, qui ibi Molech immolabantur, combustioni assignati, (de quâ 2 *Reg.* 23. *v.* 10.) designat propheta inferorum funestam sedem. *Profundam* & *latam* valde pronuntiat, multitudinem ingentem incolarum subinnuens, quos posteà illic detrusos reciperet. *Nobis inferi,* inquit Tertullianus, *non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossâ terræ & in alto vastitas, & in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas.* De Anim. *c.* 55. τόπος κατώτατος τῶν κατωτάτων, ut habet Sinaita, *locus infimorum infimus.* *Qu.* 90. Ἄδης κατώτατος, Psalm. 89. *v.* 13. *Eruisti animam meam ex inferno infimo--.*

Quàm simili prorsus, & eodem quasi penicello, locum hunc Tartareum in imis terræ recessibus positum depinxerunt veteres! Non quæro quo numine efflati, aut unde docti, sed fecerunt.

τόσσον ἔνερθ᾽ ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐσ᾽ ἀπὸ γαίης,
Ἶσον γὰρ τὸ ἀπὸ γῆς ἐς τάρταρον ἠερόεντα.

Tan-

Tantùm infra sub terram, quantùm cælum distat à terrâ;
Par enim (spatium) à terrâ in Tartarum caliginosum est. Hesiod. in *Theogon.*

----Ἑλὼν ῥίψω ἐις τάρταρον ἠερόεντα
τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον
τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐσ' ἀπὸ γαίης.

Hom. *Il.* 8. Quod ad verbum penè reddens Virgilius, Æn. 6.

——————*Tum Tartarus ipse*
Bis patet in præceps tantùm, tenditq; sub umbras,
Quantus ad ætherium cœli suspectus Olympum.

Tale quid prorsus (si modò fas sit sacra profanis componere) intellectui dat illud S. Pauli *Ephes.* 4. *v.* 10. *Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit ipse est qui & ascendit supra omnes cœlos.* Facit oppositio duorum locorum quâ utitur hìc Apostolus in istâ comparatione, ut non adeo absurdè penitus, per *inferiores partes terræ,* Tophet hanc, de quâ loquimur, quispiam intelligat.

Cæterùm & alio porro nomine, quamquam non dispari multùm conceptu, tremendum istud inferni habitaculum notat Apocalypses *c.* 9. *v.* 1, 2. ubi puteum cognominat; *Et data est (Angelo) clavis putei abyssi,* (τοῦ φρέατος) *& aperuit puteum*————. Atque allusit fortè ad morem illum loquendi, quo locum illum

illum ubi vinctos & damnatos concludebant, à profunditate ejusdem *Puteum* vocabant.

Vincite, verberate, in puteum condite. Plaut. *Aulul. Act.* 2. *Sc.* 5. Aliquando λάκκον seu *foveam*; quomodo conqueritur Josephus insontem se detrusum fuisse in *foveam* à Potiphare, *Gen.* 40. *v.* 15. *foveam* vel *lacum cœnosum*, & luto plenum. *Jer.* 38. *v.* 6. *Accipientes itaque Jeremiam*—*conjecerunt eum in foveam,*—*in foveâ autem illâ nulla erat aqua, sed lutum, adeo ut immergeretur Jeremias in luto.* Tale omnino, & ob usum similem, (incarcerationis sc. noxiorum,) erat χάσμα φρεατῶδες *Puteal cænosum* illud apud Athenienses, quod & βάραθρον vocabant, de quo Phavorinus in verb. & Xenophon *Hist. Græc. l.* 1. Κεάδαν nominabant Spartani. Pausan. *in Messen.* sive *l.* 4. & Thucyd, *l.* 1.

Non libet mihi in tam tristi materiâ diutiùs immorari, sufficient prædicta: Et faxit bonus Deus, ut quamvis tenuiter instructi, & quasi ex auditionis tantùm famâ, auguremur aliquid de tam horribili loco, tamen nunquã eum experiendo, & reverà noscamus.

Excurs.

Excurſ. CLX.

Iſ. 34. v. 4. *Et tabeſcet omnis militia cælorum, & complicabuntur ſicut liber, cæli, & omnis militia eorum decidet, ut decidit folium è vite, & ut deciduus fructus è ficu.*

REpetit hoc idem effatum poſteà Sanctus Joannes Apoc. 6. *v.* 13, 14. Et ſanè dignum eſt quod ita repetitum non ſine tremore & admiratione ſimul legatur. Sed de facto ipſo, & quomodò perficietur, non eſt inſtituti mei conſiderationem aliquam inire. Multi huc multa pro diverſo quiſque ingenii ſui captu contulerunt, de quorum multimodis interpretationibus videatur, ſi placet S. Senenſis in Bibliothec. *l.* 2. in literâ I. Illud mihi ſolùm inpenſum cedit, ὁμοιώσεως vel ſimilitudinis parumper examinatio, hìc inter cælos & librum, adductæ à prophetâ.

Pro quo notandum eſt, primò, quod cæli, etiam ſecundùm Aſtronomos, habent ſuos orbes & multiplices concamerationes, tanquam folia, ex quibus conſtant. --πολύπτυχον ὄλυμπον inde vocat Heſiodus in *Theogoniâ*. Deinde, quòd non eodem modo veteres, quo nos, faciebant libros ſuos, ex multis ſc. foliis in unum quadriformiter conſutos. Folia tantùm

tum sive membranas oblongas, quibus in scribendo utebantur, circa cylindrum vel ligneum axem ligabant, ad instar lineæ telæ radio textorio circumvolutæ. Et tales (rursus) reâpse depingit Plato multijugos illos cælorum ambitus, circa *Necessitatis* (quod fingit) trajectum quasi fusum, ordine colligatos, *De Republ. l.* 3. Ab istâ itaque Schedarum, & ad hunc modum in se convolutione, πτυχὰς, διπτύχας, ac si dicas plicatiles libros, nuncupabant.

ταῦτα ϰ̓ πίναξιν ἐστιν ἐγγεγραμμένα,
οὐδ᾽ ἐν ταῖς πτυχαῖς βίβλων κατεσφαγισ-
μένα.

Hæc vero in tabulis non sunt scripta,
Neq; in plicis librorũ sigillata. Æsch. in *Suppl.*

Δέλτοι μὲν αἵδε πολυθρηνοι διπτυχαὶ
ξένοις πάρεισιν----.

Tabulæ quidem hæc lachrymosa volumina
Hospitibus adsunt———.Eurip. in Iphig. Act.4.Et deinde paulò pòst;

Τἀνόντα, καὶ γγεγραμμένα ἐν Δέλτȣ πτυχαῖς,
Λόγῳ φράσω σοι πάντα----.

Et quæ habet contexta in se, & scripta Epistola,
Verbis exponam tibi omnia——.

Mitto hîc illud *Duplicum* pagellarum genus, quas Apophoretorum vice, aut aliter, interdum *Triplices*, quandoque *Quintuplices*, mittebant invicem veteres; de quibus Symmachus *Ep. l.* 2. *Ep.* 81. *l.* 5. *Ep.* 56. Mart. *l.*

Apophoret. Epigr. 4, 6. Ovid. *Amor. l.* 1. *Eleg.* 12.

Ergo ego vos rebus Duplices pro nomine sensi,
Auspicii numerus non erat ille boni.

Mitto etiam Diptycha illa scripta sanctioris usûs inter Patres olim, & conservandis Martyrum memoriis destinata. Ἱερὰς πτυχὰς cognominat D. Areopagita, de Eccles. *Hierarch. c.* 3. & ad rem redeo.

Consentaneè ad ea quæ præmisimus de convolubili librorum istusmodi facturâ, quotiescunque aperiebant, evolvere, seu explicare dicebantur. *Et vidi, & ecce manus missa ad me in quâ erat involutus liber*; καὶ ἀνείλισσεν, *& expandit illum coram me*, Ezech. 2. *v.* 9, 10.

——Conspicua divina Philippica famæ
Volveris à primâ quæ proxima—Juv. *Sat.* 10.

Scribebant autem in his plerùmque in unâ tantùm, eâque interiore chartæ parte, rariùs in extimâ; aut si id fortè, *Opistographum* nominabant.

——Summi plenâ jam margine libri
Scriptus, & à tergo nondum finitus Orestes.
Juv. *S.* 1.

Scribit in aversâ Picens epigrammata chartâ.

Mart. Atque hoc illud est quod velit S. Pagina ubi loquitur aliquoties de libris *intus* & *extrà* etiam conscriptis, Ezech. 2. *v.* 10. Apocal. 5. *v.* 1. *Et vidi in dexterâ sedentis supra thronum, librum scriptum intus, & in tergo, signatum septem sigillis.*

Sed

Sed pensum exegi, ostensâ similitudine cælicæ compagis cum plicatili olim librorum texturâ, & quommodo igitur in extremâ tandem mundi dissolutione, rectè cæli hìc dicantur tanquam involutus quispiam liber transituri. Quod superest, quid melius aut ad rem accommodatius, quàm ut subnectam illud Apostoli Petri 2 *Pet.* 3. *v.* 10.

Cùm itaque hac omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctâ conversione & pietate?

Expectantes & properantes in adventum diei Domini, in quo cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore solventur.

Excurs. CLXI.

Is. 52. v. 10. *Nudavit Dominus brachium suum in conspectu omnium gentium, & videbunt omnes fines salutare Domini nostri.*

HAbitum planè hìc exprimit propheta militaris cujuspiam viri se ad Martem illico instansq; prælium componentis. Quem, nisi quis resciverit vestiendi quoque morem antiquis usitatum, & quomodò comparabant se præliaturi, parum intelliget. Amiciebantur itaque solutis ferè vestibus, & circumquaque diffluentibus, quas nisi colligarent

rent in nodum, aut alio quovis modo compescerent, non poterant expeditè adeo, uti decebat; partes corporis quascunque, præcipuè manus, in pugnam proferre. Inde nudabant brachia ad prælium exeuntes, vel restrictis, vel reductis post chlamydibus, quò faciliùs ad certamen manus exererent.

Expapillare brachium, hoc est quod dixit Plautus in *Mil. Glorioso*:

——Expapillato brachio
Præcinctus, atq; assimulato quasi gubernator sies.

Act. 4. *Sc.* 4. Sed pressiùs aliquantulùm in rem Arrianus, de *Exped. Alexandri l.* 5. de Poro loquens Indorum rege, strenuo admodum bellatore: τετρωμένος δὲ τὸν δεξιὸν ὦμον ὃν δὴ γυμνὸν μόνον ἔχων--. *Cùm in dextero humero vulnus accepisset, quem solum in pugnâ nudum gerebat*—.

——Mox ut jactis sermonibus iræ
Intumuere satis, tum verò erectus uterq;
Exertare humeros——. Stat. *Theb. l.* 1.

——Viden' ut Latonia virgo
Accensas quatiat Phlegetontis gurgite tedas,
Exertos avidæ pugnæ nudata lacertos. Sil. *Ital. l.* 12. Ἔξεισι δὲ αὐτὸς--τὸ δόρυ μετεωρίζων, χλαμύδα ἠθημένος ἀσειοτέραν, περὶ τὸν δεξιὸν ὦμον περονουμένην, καὶ ἀφιεῖσαν ἐλευθέραν τὴν χεῖρα κατὰ τὸ πόρπημα. —*Prodit & ipse* (Manuel) *hastâ in altum elatâ, chlamyde insigniori indutus, quæ in dextero humero infibulabatur, ut brachium esset liberum.* Nich. Choniat. *Man. Comnen. l.* 3. ——*Soci-*

— Socinsq́; furoris
Lentulus, exertiq́; manus vesana Cethegi.
Lucan. *l.* 2.

Respicit ad cinctum illum bellicum, Gabinium dictum, Cathegorum familiæ supra cæteros peculiarem.

Bellicum hunc *cinctum* dico, sed qui aliàs etiam ad significandam qualitercunque paratiorem animi intentionem, in usu fuit. *Ezech.* 4. *v.* 7. *Ad obsidionem Hierosolymæ convertes faciem tuam, & brachium tuum erit exertum, & prophetabis contra eam.* Sic Aristotelem strenuum cumprimìs opinionum suarum assertorem, *exerto brachio* efformatum à statuario refert Sid. Apollinaris, *l.* 9. *c.* 9. *Eoq́; , ut expeditiùs loqueretur, brachium exertante*, Amm. Marcell. *l.* 26. Et brevitèr, brachium in hunc modum *priceriùs projectum, quasi orationis quoddam telum* collaudat Cicero *de Orat. l.* 3.

Morem huic è diverso oppositum, obvelandi sive *condendi in sinu manum* insinuat S. pagina, *Psal.* 74. *v.* 11. *Quare avertis manum tuam, & quidem dexteram tuam? E medio sinûs tui educas.* Prov. 19. *v.* 24. *Abditam habet piger manum suam in manicâ suâ*, (vel sinu suo) *ad os non reducit eam.*

Currum reliquit, chlamyde contortâ astu clypeat brachium.

ut ait Pacuvius in *Hermion.* de ignavo quopiam loquens, qui fugâ bellum detrectabat.

Unum quid supetest quod adjiciam licet, nec id forsan pro argumenti ratione intempestivum. Vellem, hercle vellem, continuisset usque Deus noster in *sinu* suo manus, nec eas tantâ cum severitate contra nos & delicta nostra, quamquam nullum non supplicium commerita, nuperis hisce temporibus exeruisset. Oramus supplices post tot exantlatas miserias, ut saltem reducas tandem, ô bone Deus; & quamquam cœpisti in furore multo sævire contra hæreditatem tuam, tamen ne in *consummationem* facias, sed juxta promissum tuum *Jer.* 30. *v.* 11. *modicè atq; in judicio castiges.*

Excurs. CLXII.

Is. 61. v. 3. *Ut exhiberem consolationem lugentibus in Sion, & darem coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, amictum laudis pro spiritu mæroris.*

TRes simul & semel diversas præsignésque quidem consuetudines, pro diversâ lugentium conditione hìc congerit Textus. Prima est, coronæ ornatus vice cinerum: Altera, conspersio nitidantis olei loco sordium: Tertia, amictus splendidus, quem depositis pullatis vestibus, lætitiæ symbolum

lum induebant. De prioribus duabus, earúmve saltem alterâ, alia erit fortassis æquè commoda differendi occasio. Nunc de vestium mutatione solitâ, poscit locus ut pauca proferam.

Ita enim more receptum fuit antiquitus, ut sicut nos in funerum causâ, sic veteres illi in reatu, in luctibus, ut contrà in gaudiis, (modò grandioris paulùm momenti singulis) sive publica subesset ratio, sive privata, vestes mutarent. Adeo ut vestium mutatio, loquax satìs fortunæ in utramlibet partem inclinationis indicium foret. De more hìc Judæorum satis clarum est, *Exod.* 33. *v.* 4. *Audiensq; populus sermonem hunc malum, luxit, & nullus indutus est solito sibi cultu.* Et deinde *v.* 6. *Deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum à monte Horeb.* Quod ad Gentiles, prodeat primò Orator, in *Orat. pro Sext.* solicitudinem ibi populi Rom. in privatâ sui periculi causâ ostentans. *Vestem*, inquit, *mutandam, meq; etiam omni ratione privato consilio defendendum putarunt.* Idem in M. Anton. *Orat.* 14. *Propter cujus periculum ad saga issemus, propter ejusdem salutem redeundum ad pristinum vestitum, sine ullâ dubitatione censui.*

Multa in hanc ipsam rem commemorat Dio, sed è multis pauca sufficient, ne nimis ingerendo res ejusdem similísve saporis, legentibus nauseam creem. Τότε μὲν ταῦτα

ἐκυρώθη· ὕστερον δὲ οὐ πολλῷ -- ταραχήν τε εἶναι ἐψηφίσαντο, καὶ τὴν ἐσθῆτα βουλευτικὴν ἀπελύσαντο· *Hæc tum decreta ſunt: paulò pòſt — ubi tumultum* (Senatores) *urbi impendere cenſuerunt, veſtem ſenatoriam exuerunt.* Rurſus, πρὸς δὲ ἔτι τήν τε ἐσθῆτα αὖθις μετέβαλλον, ἐπὶ γὰρ τῇ τοῦ Καίσαρος ὑπατείᾳ ἀσυνήθικὴν ἀνειλήφεσαν --. *Propterea veſtem mutarunt, nam in conſulatu Cæſaris, eam quam læto rerum ſtatu gerunt, reſumpſerunt.* Hæc & hujuſmodi ſæpe iterúmque reperies in eodem *l.* commemorata, quæ tranſilio. Quibus addi poteſt & illud Lyrici poetæ *Carm. l.* 1. *Od.* 35. ubi de fortunâ loquens:

Utcunq; mutatâ (inquit) potentes
Veſte domos inimica linquis.

Nè verò ſine ratione ullâ videatur ejuſcemodi veſtium mutatio hâc vel illâc fuiſſe, cauſam non ineptè ſtatuerunt aliqui, quaſi æquum ſit, ut ad præſentis fortunæ conditionem, unuſquiſque non ſolùm animi, ſed & corporis habitum conformet. Hoc retro actorum ſeculorum omnium uſus probat, & ad hoc inſuper natura ipſa quodammodo inclinare videatur.

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum ———. Horat.

Cùm itaque Deus hìc promittat veſtitum populi ſui lugubrem in amictum laudis mutatum iri, eâdem operâ & mutationem

fortunæ eorum in melius futuram pollicetur. Utinàmque sanè sic eveniret, divinâ dispensante providentiâ, ut quicunque in hâc nostrâ etiam Sion luxerunt diu, lugéntque adhuc, justas tandem aliquando causas mutandi hoc modo vestes suas haberent.

Excurs. CLXIII.

Is. 65. v. 4. *Qui habitant in sepulchris, & in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem suillam, & jus profanum in vasis eorum.*

NOn videtur res indigna penitus disquisitione aliquâ, quare aut quâ ratione hìc & aliàs tam acerbâ censurâ suillam carnem ubivis perstringat S. pagina, & tantùm non velut execrandam respuat. Adeo ut nec in cibo, nec in sacrificiis permittat haberi; sed ab omni usu prorsus apud populum suum Judaicum eliminet; cùm tamen alibi aliísque in locis multùm aliter rem se habuisse utroque modo comperiemus.

Ad cibos quod attinet, abunde sufficiat illud Æschyl. 1.

---- Τί γὰρ
Ὄψον γένοιτ' ἂν ἀνδρὶ τοῦδε βέλτιον;
Quod opsonium (inter omnia) hôc præstantius?

ait ille : Suillam carnem ſc. intelligit, vel *à naturâ ipsâ ad epulandum donatam*, ſicuti aſſerit Varro de *Re Ruſticâ l.* 2. *c.* 4. Quod ad ſacrificia deinde vel immolationes faciendas, ſus, Græcè ὗς, inquit idem Varro, à verbo θύω, quod eſt immolare, quippe quia à ſuillo genere *initium primum immolandi pecoris ſumptum fuiſſe videatur.* Illius mactatione ſolennia quæque maximè peragebant, contrahebant nuptias, inibant pacis fædera.

— Jovis ante Aram pateraſq; tenentes
Stabant, & cæsâ jungebant fædera porcâ.
Æn. *l.* 8.

Quæ igitur ratio afferri poteſt cur Deus ſuillas carnes tam vehementer, & quoad omnem uſum repudiavit? — De eſu earundem futilis planè eſt illa quam reddit Porphyrius de *Abſtin. l.* 1. abſtinuiſſe ab iis ideo Phœnices & Judæos, Ὅτι οὐδ᾽ ὅλως ἐν τοῖς τόποις ἐφύετο -- *Quòd omnino in ſuis non naſcerentur regionibus.* Nequaquam ut ſic, ejecti dæmones *Math.* 8. *v.* 32. inveniſſent tam parabile ſimul & idoneum ſibi habitaculum porcorum ibi paſcentium in regione Geraſenorum, in quod tranſirent. Veriſimilitor illa Theodoreti Θεραπευτικ. *Serm.* 7. opinantis factum hoc eſſe obverſâ fronte & contra Ægyptiorum mores ubi nuper habitaſſent, qui porcinis carnibus tanquam Diis ſuis parcebant. Quamquam quàm bene

hoc

hoc conveniat cum Herodoti narratione *l.* 2. *c.* 47. ubi ſuem velut μιαρὸν θηρίον, *ſpurcum animal*, ex illorum opinione tradit; (nec aliter Joſephus contra *Appion. l.* 2.) ipſe viderit. Utrâque magis probabilis, adeoque ex ipsâ naturâ rei petita, ea opinio eſt, quæ cauſam collocat in malevolâ quâdam temperie iſtiuſmodi carnis ad lepram facilè inclinantis ejuſdem comeſtores; præſertim in calidioribus illic locis, quod providens Deus, fontem ipſum morbi, tam noxium removendo cibum, cautè obſtruxit.

Supereſt immolatio, cujus interdictæ ſymbolicam rationem pulchrè exhibet Cl. Alexandrinus in *Pædagog. l.* 3. *c.* 11. Τὴν μετὰ τῶν φαύλων συνδιαίρησιν ἀνθρόπων ὑώδη γνωρίζων ὁ πάνσοφος διὰ Μωσέως παιδαγωγὸς, χωρείων ἀπηγόρευσεν μεταλαμβάνειν, τῷ λαῷ τῷ πρεσβυτέρῳ ἐμφαίνων μὴ δεῖν --- *Vitæ uſum cum improbis planè ſuillum agnoſcens ſapientiſſimus per Moſen pædagogus, ſeniori populo porcis veſci prohibuit, ſignificans non oportere eos qui Deum invocant cum impuris verſari.* Et rurſus, *Strom. l.* 7. Ταύτῃ καὶ μάλιστα Ἰουδαῖοι χωρείου ἀπέχονται, ὡς ἂν τοῦ θηρίου τούτου μιαροῦ ὄντος --- *Eâ ratione Judæi quoque maximè abſtinent à carne ſuillâ, utpote quòd hoc animal ſit maximè ſceleratum & execrandum.*

Sive hâc, ſive illâ, ſive aliâ qualicunque ratione prohibuit Deus Iſraelitas nè porci-

 num

num animal ſibi in ſacris offerrent, certè non ſine ratione prohibuit, quæ ſaltem rectè capientes aliquo modo inſtrueret. Sic enim *cæremonialia* illa ſub lege inſtituta, ut docent *Theologi*, reconditiori inſuper abundant plerúnque ſenſu, & ad morum emendationem tacitè collimant. Tam ſollicitè curæ habuit *Sanctus* ille Iſraelis, ut, (quod cultores ejus cum primis decet) quibuscunque modis ad vitæ munditiem & puritatem populum ſuum erudiret.

Excurſ. CLXIV.

Iſ. 65. v. 11. *Et vos qui dereliquiſtis Dominum, qui obliti eſtis montem ſanctum meum, qui ponitis fortunæ menſam, ut libetis ſuper eam.*

SCitè obſervavit Jo. Salisburienſis *Polychr. l.* 3. *c.* 4. & ante eum Macrobius Saturnal. *l.* 5. *c.* 16. quòd Homerum perlegenti totum à capite uſque ad calcem *Fortunæ* nomen nuſquam occurrat. Scitè quidèm; ſed quàm verè, viderint *Vocabulariſtæ.* Certè, quod ad Sacram paginam attinet, ita eſt omnino, nullibi id, (quod nemini) in probati aut melioris ſenſûs acceptione occurrere: Niſi ſi quis dictum illud Leæ ſuper Zilpâ ancillâ ſuâ pari-

ente

ente huc inflectat, *Gen.* 30. *v.* 11. *Dixitque Lea, feliciter feci,* ἐν τύχῃ —. At dixit hoc Lea nondum ad veri numinis agnitionem traducta, ut rectè annotavit Theodoretus *in loc.* aut aliàs, non tam cæci alicujus Numinis potentiã res humanas procurantis, quàm rei ipsius prosperum modò eventum voluit notare. Interim verò voces quæ modo suo significandi vim fortunæ saltem exprimant, non adeo prorsus allophylæ sunt, quin nonnunquam ibidem reperiantur. Περιπτώματος, *Ruth.* 2. *v.* 3. 2 *Sam.* 1. *v.* 6. Ἀπαντήματος *Eccles.* 9. *v.* 11. συμβεβηκότος, *Act.* 3. *v.* 10. & ultra omnia in hoc genere loca, 1 *Cor.* 15. *v.* 30. *Et quid seminas? Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum fortassis, aut alicujus cæterorum:* εἰ τύχοι, disertè.

Sed quicquid sit de voce vel nomine *Fortunæ*, sive disertè, sive obliquè, & circumlocutionis quâdam adhibitâ formulâ in S. Scripturis reperiendâ, de re ipsâ non admodùm difficilis erit quæstio, modo sobriè & cautè de eâ loquamur. Non quomodò philosophorum veterum quamplures, statuentium Fortunam esse ἀπρονόητον τῦ κόσμȣ διοίκησιν, *Cæcam quandam mundi administrationem*, absq; ullo assistentis divinæ providentiæ moderamine; adeóque eventus omnes humanos *temerario motu nullâque causarum connexione produci*, ut loquitur Boetius *de Consol. l.* 4. Ut sic quidem, verissimum est illud Constantini in

in Orat. suâ Parænetica ad Concilium, apud *Euseb. c. 6.* ubi ἦχον μόνον ὀνόματος ἀνυπόστατον eam vocat, *inanem solius nominis commentitii strepitum.* Nec rursus, quomodo plebeiorum hominum rudis fæx, qui Fortunam semper & ubique, & nunc, & olim, tanquam Deam venerati sunt, inter potentiora eam numina reponentes.

Te facimus Fortuna deam, cæloq; locamus. Juv. Atque hoc ipsum est, adeoque Idololatricus exinde ejusdem cultus, quem sub *mensa* hìc nomine, aliàs sacrificalis *Ara*; simul insinuat Textus, & redarguit.

Fortunam sive *Casum* itaq; breviter definimus certã causarũ fore complexionem, incertè concurrentiũ, unde improvisò exurgit effectus, & nequaquã ab operante ipso destinatus: ita verò ut contineatur totum intra divinæ ambitum providentiæ, semperq; illud Homericum obtineat--Διὸς δὲ ἐτελείετο βουλή. In hoc sensu unus idemq; effectus aliâ ratione poterit Fortunæ ascribi, aliâ rursus supernæ providentiæ, quæ, ut tacitè, ita certò cuncta moderatur: Δαιμονίην τύχην, appellat Hierocles, utrumque in unum scitè conjungens. Nec video sanè juxta hunc sensum, cur S. Augustinus *Retract. l. 1. c. 1.* tam solicitè retractaverit usum vocabuli: sicuti nec quare Tertullianus *De Idol. c. 20.* eliminaverit è communi sermonis usu consuetudinem dicendi *Mehercule* & *Medius Fidius*; Nisi quòd fortè, (ut quis regerat) ini-

iniquitas cæcorum temporum quibus uterque vixit inter profanos Idololatras, tam liberum locutionis modum non tutò admittebat.

Sed quid faciemus jam hominibus nostrorum temporum, qui perverso zelo abrepti ita scrupulosè agunt, ut nec diebus ipsis antiqua & solita permittant nomina, à septem jamdiu planetis imposita, sed *primum*, & *secundum*, & sic deinceps cœperunt nominare. Laudat hoc, fateor, Philastrius *Hæres.* 111. illique diversum loquendi morem inter damnatas quondam hæreses recenset; licèt id omnino conta Just. Martyris & B. Ignatii sententiā, quos constat ex illorum scriptis ita loqui amavisse: Nimirum in his & hujusmodi locutionibus non tam origo vocis consideranda est, quàm usus sermonis cui communiter inservit. Θεόπνευστος planè, (sicut aliqui Patrum judicârunt) Septuaginta illa seniorum versio, non abhorret ab Arcturi, aut Pleiadum, aut Orionis profanis vocabulis, Job 9. & 38. Nec piget Apostolum Paulum Castoris & Pollucis tanquam *tutelarium* præsidum navis in quâ veheretur, meminisse, *Act.* 28. *v.* 11.

Nos dum in minutiis verborum laboramus nimiùm, vim & robur interim Christianæ veritatis penè amisimus. *Salubrem verborum formam*, ubivis teneri oportere, quod hortatur Apostolus 1 *Tim.* 6. *v.* 3. absit ut inficias eam; Sed rursus, nec incommode erit, in rebus saltem levioris momenti, servasse id quod

quod Boetius ubi priùs, in non dissimili prorsus argumento monet, *Paulisper vulgi sermonibus concedendum esse, ne nimiùm ab humanitatis usu recessisse videamur*: aut demum illud Salisburiensis *l.* 8. *c.* 24. *Nec verba, nec sensus Gentilium fugiendos, dummodo vitentur errores.*

Excurs. CLXV.

Jer. 2. v. 24. *Onagra fœmina est assueta deserto, quæ pro desiderio animæ suæ haurit ventum: Nullus avertit eam, omnésque qui quærunt eam non deficient, in mensibus ejus invenient eam.*

ETsi nihil tale ex *Textu*, sat scio, ne si fidiculæ quidem adhibeantur, exprimi potest, quale somniarunt aliqui circa Onagrarum conceptum, ac si ex haustu ventorum causaretur; cùm tamen mentio ibi fiat de earum *partu*, (sic enim intelligo) simulque addatur quomodo ventum avidissimè hauriant, non possum mihi temperare, quin saltem ut aliqua in præfatam sententiam facientia ex profanis Scriptoribus depromam. Ita nunc, (quod semel licebit) magis adducor argumenti dulcedine, quàm ullâ in eodem verisimilitudinis ratione.

Var-

Varro itaque de *Re Rusticâ l. 6. c.* 18. tanquàm rem incredibilem sanè, sed omnino veram narrat, *quòd in Lusitaniâ ad Oceanum, in eâ regione ubi est Ulysippo, monte sacro quadam è vento concipiant certo tempore equæ.* Cui succenturiatus quasi accedit Columella, *l. 6. c.* 27. non tantùm ut rem veram istud commemorans, sed etiam notissimam, & de quâ nemo debeat addubitare; Hoc est quod ἐξανεμοῦσθαι vocat Aristoteles *Hist. Animal. l. 6. c.* 18. idem innuens quod cæteri, licèt non adeo dilucidè proloquatur. Atque his tribus, satis probatæ aliàs fidei Autoribus, (quis negabit?) adjici posset Plinius, *Hist. Nat. l.* 2. *c.* 22. & Solinus *c.* 36. cujus verba vel elegantiæ gratiâ, & quia insuper rem tam perspicuè paucis explicant, non gravabor adscribere. *In proximis Ulyssiponis equæ lascivi-unt mirâ fæcunditate: nam spirante Favonio, vento concipiunt, & sitientes viros, aurarum spiritu maritantur.*

Hìc adeo cùm ver placidum flatusq; tepescit,
Concubitus servans tacitos grex prostat equarum,
Et venerem occultam genitali concipit aurâ.
Sil. *Ital. l.* 3.

Et cur vere potiùs, quàm alio quocunque anni tempore, rationem subdit Mantuanus poeta, *Georg. l.* 3.

Vere magis, (quia vere calor redit ossibus) illæ
Ore omnes versæ in Zephyrum stant——.

Quod

Quod de Onagris vel equis hactenus dixi, idem de tygribus, ovibus, aliísque animantibus quàm plurimis licet intelligas. De tygribus testatur Oppianus κυνηγέτ· *l.* 3.

Ὠκυτέρη τελέθει δὲ θοῶν πανυπείροχα πάντων,
Αὐτῷ γάρ τε θέειν ἰκέλη ζεφύρῳ γενετῆρι.

Nil opus est interprete: Reddit syllabatim penè Claudianus, de *Raptu Proserp.* *l.* 3.

——— *Fremit illa marito*
Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram
Dispersit maculis, nimium exhaustura profundo
Ore virum ———.

De ovibus, & quòd vento leniter spirante fæcundentur, alicubi in *Hist. Animal.* meminit Ælianus: de Gallinis Varro, *ubi suprà*, quarum ova exinde ὑπηνέμια appellat.

Sed satis superque, veror, in re tam dubiâ, neque in Textu, quod præmonui, ullatenus fundatâ, animi tantùm gratiâ expatiatus sum: Illud solum hìc clausulæ loco observandum dabo; Quàm multi inter nos sunt nunc dierum, (non onagros, increpando, dixerim,) qui salvifici vice *Spiritûs*, inani imaginationum suarum vento implentur. Hinc ventum spirant in sermonibus, ventum in cotidianis cœptis, eúmque quàm mirè validum, quo tanquam turbine, Ecclesiæ atque Reipublicæ propugnacula antiqua ferè omnia pessùm dedêre.

Excurs.

Excurs. CLXVI.

Jer. 9. v. 17. *Hæc dicit Dominus exercituum, Animadvertite, & vocate lamentatrices, ut adveniant, & mittite ad præficas, ut properent.*

NEc vita hominum, nec adeo mors ipsa unquam immunis fuit ab inanis gloriæ captatione; Incurrit in utramque partem affectata ostentatio, & quicquid molimur utrobivis, eo tanto fine plerumque facimus, ut fecisse prædicemur. Hinc in funeribus *præficarum* antiquus mos, lugentium sc. mulierum, quæ aliunde conductæ simulatis lachrymis mœstitiæ pompam augerent. Tales hìc deprædicat Textus, & tales longè anteà insinuat sapiens, *Ecclesiast. c. 12. v. 5. Quoniam abit homo in domum seculi sui, & lugentes in plateâ circuibunt.* Et quòd diu post perduravit idem mos inter Judæos, testis est Josephus de Bell. Jud. l. 3. c. 15.

Præficæ ergo, (sic enim interpretes τὰς σοφὰς apud Septuaginta, mulieres nimirum peritas lugendi: σοφιςὰς τῶν θρηνῶν vocat Lucianus in *Dialog.* περὶ πενθ. *artifices lamentationum:* Cui consonè Varro de *lingu. Lat. l. 6. Præficas* à *præficiendo* deducit, quales ob peritiã vel viri, vel fœminæ, præficiebantur erudiendis

ca-

cæteris quomodo lamentarentur:) Sed præficæ ergo, ut cœpi, dicebantur veteribus, docente Nonio, *quæ adhiberi solebant funeri, mercede conducta, ut & flerent, & fortia facta laudarent.*

Ut qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt propè plura dolentibus.——Hor.
——*Pharios aliæ fictâ pietate dolores*
Mygdoniósq; colunt, & non sua funera plorant,
Stat. *Sylv. l.* 5.

Nænias appellabant hujusmodi lamentatiunculas, ad *tibiam* vel *tubam* in mortuorum exequiis decantatas, ut docet Cicero ex 12 Tab. De leg. *l.* 2. Ad earum viz. modos confictos suos planctus scitulè attemperabant; Atque erant porro unius certæ & notæ plerùmque formulæ, quod probat Jul. Scaliger Poetic. *l.* 1. *c.* 55. huic atque alteri æquè (immutatis tantùm nominibus) funeri accommodatæ. Verba ipsamet, & formulam earundem videtur quodammodo exhibuisse Lucretius, *l.* 3.

Et jam non domus accipiet te læta, neq; uxor
Optuma, nec dulces occurrent oscula nati
Præripere, & tacitâ pectus dulcedine tangent:
Non poteris———.

Nec verò solùm inter Romanos viguit valuitque funebris ejusmodi consuetudo, sed etiam apud Græcos, idque seculis longè anteactis. Herodotus eam planè commemorat, *l.* 2. *c.* 85. nisi quòd ad fæminas tantùm ejusdem familiæ, planctum omnem talem restringat.

Xωί-

χαίτα δ' ὄυτις ἐπὶ πρόθυρα τομαῖ--:
Ος, ἃ δὴ νεκύων πένθεσι πιτνεῖ,
Ου δ' ὐπεῖ νεολαῖα γυναικῶν·
Nec ulla ad vestibulum secta coma est,
Quod quidem fieri solet in luctu & funere,
Nec denique turba mulierum strepit.

Euripid. in *Alcest.* 1.

Sed quid opus est ut solicitiùs vel exteros vel antiquos scrutemur mores, cùm propiùs, & sub conspectu quasi, res emineat? Quippe, si quis rite perpenderit, nonnihil Threnetici istius moris, in pomposioribus nostris cotidie exequiis, inter pullatos ibi, (quod solet,) adscititios funeris comites, extare reperiet.

Excurs. CLXVII.

Jer. 10. v. 4. *Argento & auro decoravit illud, (idolum) clavis & malleis compegit, ut non moveatur.*

SAlsè admodum hìc perstringit propheta Idololatrarum ridiculam insaniam, dum colebant stupida & insensata sua Idola, quæ, tantùm aberat ut juvarent alios, quòd nè seipsa tuerentur: quin clavis & malleis necessariò affigebantur parietibus, ne aliter vi aut fraude aliquâ inde abstraherentur. Sic

rurſus *Iſ.* 41. *v.* 7. *Confirmat faber lignarius aurifabrum, malleator eum qui tundit incudem, dicit de ferrumine, bonum eſt, & firmat illud clavis, ut non commoveatur.*

Hunc morem alligandi Idola ſua Ethnicis uſitatum indigitant aliquoties, licet non adeo frequenter, ſcriptores Ethnici. Cùm Tyrum obſidione premeret Alexander Magnus, ut narrat Curtius *l.* 4. *Cives ſoliciti de emigratione Apollinis, aureâ catenâ devinxere ſimulachrum, aræq; Herculis, cujus numini urbem dicaverant, inſeruêre vinculum, quaſi illo Deo Apollinem retenturi.* Hanc eandem Hiſtoriam habet Plutarchus in *vit. Alexandri*, & rurſus obiter attingit, in *Qu. Rom.* ubi aliam inſuper, ſed priori non multùm diſſimilem conſuetudinem ſubnectit, ſponſores ſive fidejuſſores hìc nonnunquam adhibendi. Ὥσπερ οὖν Τύριοι -- δεσμοὺς ἀγάλμασι λέγονται περιβαλεῖν, ἕτεροι δ' αἰτεῖν ἐγγυητὰς ἐπὶ λουτρὸν ἢ καθαρμόν τινα προπέμποντες ——. *Sicut Tyrii vincula injicere ſimulachris dicuntur, cùm ad lavacrum aut luſtrationem alii deducunt, fideijuſſores exigunt.* Ad hunc modum ſuprà dictum etſi non alligabant ſua idola, tamen vinclîs conſtrictos effingebant, Enyalium Spartani, Victoriam involucrem Athenienſes: γνώμῃ δ' τῇ αὐτῇ, inquit Pauſanias in *Laconic.* pari ratione ambo, quò ita, uti opinabantur, fugam eorundem præpedirent. Sed explicatiſſimè omnium morem illum alligandi Deos, ſtoma-

machabundo quasi ore commemorat Arnobius *l.* 6. *Cur eos sub validissimis clavibus, ingentibúsq; sub claustris, sub repagulis, pessulis, aliisque hujusmodi rebus custoditis, conservatis, atque habetis inclusos, ac nè fortè fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro, ædituis mille protegitis, atque accubitoribus mille?*

Ratio tandem si quis desiderat, cur ita solicitè, Idola sua constricta asservabant Ethnici, ea fuit, perversa nempe opinio, (quam & Arnobius, ubi suprà, strictim attingit, & Origines contra Cels. aliquot in locis fusiùs persequitur) tanquam Dii ipsi in visceribus simulachrorum inclusi habitarent. Atq; hinc tam valde meticulosi erant, ne amissis simulachris fictitios suos Deos unà amitterent. Nos vero Christiani Deum & religionem nostram abiturientes hinc jam diu, (quod verendum est,) ipsóque in *limine* consistentes, *Ezech.* 9. *v.* 3. extrudimus potiùs accumulatis indies flagitiosis criminibus, nec ullis curamus modis, ut pœnitentiâ aut precibus nostris discessum illorum impediamus.

Excurs. CLXVIII.

Jer. 16. v. 7. *Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo, & non dabunt eis potum calicis, ad consolandum super patre suo & matre.*

MOrem hic attingit propheta, sive laudabilem, sive secus, id non disputo: sed morem attingit quo solebant Judæi convivari inter se solenniter super demortuis & mox ad bustum efferendis: scilicet, (quod etiam annectit,) ad solamen atque exhilarationem illorum qui proximi ex eadem stirpe mœrori tanto superessent. Eundem rursus morem insinuat Ezechiel, *c.* 24. *v.* 22. *Ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis.* Ulterius pergit filius Sirach *Ecclesiastic.* 30. *v.* 18. (an vero de Judæis loquens necne, sanè nescio,) memorátque consuetudinem celebrandi hoc modo convivia apud ipsa sepulchorum loca, & tantùm non in ora defunctorum ingerendi. *Res bona inclusa,* ait ille, *ad os clausum, sunt velut fercula ciborum ad sepulchrum sita.* Id certus sum, funebrem hujusmodi epulandi ritum, tum in domesticis privatim ædibus, tum foris & in bustis, apud priscos Gentiles multùm valuisse.

Ut

Ut nihil dicam amplius de locorum discrimine, aut ubi parabatur convivium istiusmodi, *Cœnam feralem* nominabant usitatè; *Confestim exlamant vivere hominem — rogum demolirentur, cœnam feralem à tumulo ad mensam referrent.* Apul. in *Florid.*

—— Sed cœnam funeris hæres
Negliget iratus —. Pers. *Sat.* 6. & Catull. *Ep.* 56. Interdum rursus *Silicernium* appellabant. *Silicernium est propriè convivium funebre quod senibus exhibetur.* Non. Marcell. *in verb.* Aliàs denique *Novendiale* Epulum. Ἔννατα Græci vocitabant, quia post octo dies luctui datos, circa jacentis cadaver funerales epulas celebrabant in nono; *Octavo die incendebatur* (defunctus,) *nono sepeliebatur*, Serv. in Æneid. 5. Ad quod alludens Plautus *Aulul. Act.* 2. *sc.* 4.

Cocus ille Nundinalis est, in nonum diem
Solet ire coctum —. Atque in hoc distinguebant, aut saltem distingui possit, ab *Inferiis* ita dictis, quas ad bustum propriè faciebant, inferentes in sepulchra conditorum, quod vel nomen satis indigitat, juxta Varronem de *Ling. Lat. l.* 5. Eísque annuatim posteà, vel quoties libuerit, eorundem *manibus* parentabant, pulte & lenticulâ plerunque, ἃ νομίζουσι Ῥωμαῖοι πένθιμα, ut docet Appianus in *l.* 8. de Bell. Parth. Aliàs aliter;

Inferimus tepido spumantia Cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras, animamq́ue sepulchro

Condimus ——— Æneid. *l.* 3. ubi Æneas Polydoro bustum instaurat.

Sed non lubet longiori sermonis examine, vel in istam vel in illam veterum consuetudinem inquirere; Tantùm despiciamus hinc in transitu quasi, quatenus & quousque concesserunt in utramvis Christianorum aliquot retrorsioris seculi. *Non sacrificamus, non parentamus*, inquit Tertullianus *l. de Spectac. c.* 13. Verum sit: sed tamen *oblationes* eorundem & sacrificia quæ consuêrunt pro defunctis facere, ut idem ipse testatur, *l. de Coron. Mil. c.* 3. aut æquant, aut certè proximè attingunt hujusmodi profanum ritum, & vel inde, (quod verisimillimum est,) ansam seu originem suam traxerunt. Cúmque flores & fruges porro inter cætera Inferiarum munuscula offerrent Ethnici,

(*Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho*
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro,
Purpureosq; jacit flores ——— *Æn.* 3.)

Simile quid ex recepto quasi Christianorum more refert Sulpitius Severus, *Gementium ad defunctorum sepulchra, solum ipsum flore purpureo & suave redolentibus spargentium graminibus. Dialog. c.* 21.

Nos tecta fovebimus ossa
Violis, & fronde frequenti,
Titulumq;, & frigida saxa
Liquido spargemus odore. Prudent. *Cathemer. Hymn. in Exequ. Defunct.*

Mensas

Mensas porro & convivia, ut dixi, adornabant tunc Ethnici, augentes illo modo, quod putabant, exequiarum suarum pompam & solennitatem. Agnoscit hunc morem Augustinus inter Christianos sui temporis valescentem, *De Civ. Dei l. 8. c. 27.* ibique simul excusat, vel id à *melioribus Christianis* haud factum fuisse dicens: aut saltem alio fine, quò *delatas illic ad sepulchra epulas per merita martyrum sanctificarent.* Idem recognoscit antedictus Pater *Confess. l. 6. c.* 2. Monachæ ibi matris suæ effervescentem plus nimio hâc ex parte devotionem commemorans.

Postremò, nos etiam nostri seculi non intermisimus ubivis hujusmodi penitus ritum in utramque partem; Et oneramus tunc mensas copiosis ferculis, & busta collectis undique floribus decoramus. Utrùm verò hæc utralibet decenti moris continuatione, vel contrà, id quod priùs & ab initio suggessi, æstimare volentibus in medio relinquo.

Excurs. CLXIX.

Jer. 22. v. 19. *Sepulturâ asini sepelietur, tractus, & projectus extra portas Jerusalem.*

NOn sine multâ & solenni admodum pompæ ostentatione solebant Judæi bene meritos reges suos sepelire. Confluebat certatim populus, cantabantur lugubres Næniæ, extruebatur magnificè sepulchralis pyra, adhibitâ insuper multifariâ pretiosissimorum aromatum strue, quam super eâ jam extructâ adolebant. Sic factum invenimus in funeratione Asæ regis, 2 *Chron.* 16. *v.* 16. *Posuerunt*q; *eum super lectum suum plenum aromaticis speciebus, paratis unguentario opere, & combusserunt ei ustionem odorum perquàm maximam.* Crematos deinde inferebant sepulchro patrum suorum, regum Judæ & Israelis. *Dormivit*q; *Ezechias cum patribus suis, & sepeliverunt eum in superiore sepulchorum parte inter Davidis posteros.* *c.* 32. *v.* 33. Similiter Josiam, *c.* 35. *v.* 24. Verùm nihil horum omnium in funere Jehojakim servandum fore prædicit Textus, sed *sepelietur*, inquit, *sepulturâ asini*, projectus, nudus, putredini simul & ludibrio expositus.

Ea sc. ubique fuit flagitiosorum principum meritissima merces; Καὶ γὰρ ταῦτα ἐκ

τῶν νόμων τοῖς τυράννοις ἐπιτέτακται -- ait Appianus, *Sic enim in Tyrannos animadversum est semper à Romano populo, ut insepulta corpora in Tyberim projicerentur. De Bell. Civil. l.* 2. Παρὰ πᾶσι τοῖς Ἕλλησι κοινὸς νόμος ἀτάφους ῥίπτεσθαι τοὺς ἱεροσύλους. *Apud universos Græcos communi lege sancitum erat, ut sacrilegi foras abjicerentur inhumati.* D. Sicul. *l.* 16. Conjungit in unum utrosque Plato, tum Tyrannos, tum sacrilegos, ut pari supplicio post mortem pariter obnoxios. *De Leg. l.* 12. Et talis proculdubiò utroque modo fuit Jehojakim iste: *Fecit enim*, sicut legimus, *malum coram Domino, fecitq; juxta omnia quæ patres ejus egissent*, 2 *Reg.* 23. *v.* 37. & sacrilegii, & tyrannidis notâ plerique diffamatissimi. Nec immeritò itaque tali damnabatur sepulturâ, quæ aut nulla haberi possit, aut certè propter loci sordes, vel aliàs apparatûs mendicitatem, *Asinina.*

Biathanatorum sepulchralis loci aliquoties meminit P. Diaconus *l.* 22. ubi nefarii *suimet* parricidæ abjecti jacebant: similis cujusdam qui erat apud Lacædemonios, mentionem facit Æmil. Probus in Pausan. *Puticulorum*, loci communis, extra portas etiam (ut hic) civitatis, meminerunt Festus & Varro, plebeiorum & vilium cadaverum conditur æ attributi.

Hic miseræ plebi stabat commune sepulchrum,

Pantolaba

Pantalabo scurræ, Nomentanoq; nepoti.
Horat. *l.* 1. *Sat.* 8.

Non possum affirmatè dicere, ubi, aut qualiter post mortem situs jacuit hìc Jehojakim: Sed illud pro certo ausim asserere, vili eum aliquo in loco, incuriosè & neglectui habitum jacuisse, juxta merita sua pariter & prophetiæ ipsius tenorem, hìc, & alibi, ut suprà *c.* 16. *v.* 4. ubi desciscenti à Deo toti Israelitarum cœtui similem omnino interitum, sed explicatiùs nonnihil, comminatur idem propheta; *Mortibus ægerrimis morientur*, inquit, *non plangentur, neque sepelientur, pro fimo in superficie terræ erunt-- eritq; cadaver eorum in escam volatilibus cœli, & bestiis terræ.*

Utcunque, esto sanè quòd honoratius aliquod fortè nactus sit sepulchrum, tamen si locum *in majorum monumentis* ex receptâ antecedentium principum consuetudine non obtinuit, (quod Jehojakimi certissimè nequaquam contigit) *ejectus* & ἀπόταφος sive insepultus rectè dici potuit. Απόταφος, inquit Harpocration, ἀντὶ ἀπεστερημένος τῶν προγονικῶν τάφων, *Insepultus ille meritò vocandus est, qui è patrum suorum monumentis defunctus exulat, nec ibi collocatur.*

Excurs.

Excurs. CLXX.

Jer. 31. v. 19. *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.*

TUnsio pectoris, laceratio crinium, scissio vestium, & hujusmodi, assidui sunt dolentium gestus, & per se satis noti; percussio verò femoris hìc memorata, & in mœroris argumentum assumpta, non adeo frequenter in Scripturâ occurrit. Semel tantùm præterea quod memini, *Ezech.* 21. *v.* 12. *Clama & ulula fili hominis — gladio traditi sunt cum populo meo, plaude super femur.* Ideóque non supervacanei omnino operis erit, si per exoticas atque aliunde ductas Instantias ritum aliquem talem firmare conabor.

Agmen ducat Polybius *l.* 15. Νικόστρατος δὲ ἐκποδὼν ἐπηκολούθει τούτῳ, λέγων μὲν οὐδὲν, τύπτων δὲ συνεχῶς τὸν μηρόν. *Nicostratus illum è vestigio sequitur, nihil quidem dicens, at indesmenter femur percutiens.*

Ὤμωξέν τε ἄρ' ἔπειτα, καὶ ὢ πεπλήγετο μηρὼ
Χερσὶ καταπρηνέσσι, ὀλοφυρόμενος δ' ἔπος ηὔδα.

Flevitque postea, & sua percussit femora,
Manibus dejectis, lugens autem locutus est.

Odys. *l.* 13. — *Me*

——*Me intuetur gemens*,
Traxit ex intimo ventre suspirium, hoc vide, dentibus
Frendit, icit femur——.Plaut. in *Truc. Act.* 2. *Sc.* 7.

Πεσόντος δ' Ἀβραδάτου, ἐπαίσατο τὸν μηρὸν--. *Occiso autem Abdarate* (Cyrus) *percussit femur*. Xenoph. Ὡς οὖν κατεῖδε κυκλούμενον, καὶ ταραττόμενον τὸ στράτευμα---μηρόν τε πληξάμενος---.*Ut ergo circumveniri turbarique aciem conspexit* (Fabius Max.)—*tum percusso femore, atque ingenti edito suspirio* --Plutarch. *in vit*.Et similiter in Pompeio, ubi cùm immensam ille in bello potestatem, nimiamque adeo terrâ maríque sibi à populo concessam audisset, Τὰς ὀφρῦς λέγεται συναγαγεῖν, καὶ τὸν μηρὸν πατάξαι---ὡς ἂν βαρυνόμενος, καὶ---. *Frontem dicitur contraxisse ac femur percussisse*—*quasi molestè jam ferens & pertasus imperii suscipiendi.* Λέγεται τοῖς τῶν πεσόντων ἐπιστάντα πτώμασι, καὶ τὸ πλῆθος διαφθαρέντων ὅσον κατανοήσαντα, πλῆξαι τῇ χειρὶ τὸν μηρὸν ἀχθόμενον---. *Cùm cadaveribus astitisset* (*Manuel*) *& multitudinem interfectorum perspexisset, labiis agitatis femur crebrò dicitur percussisse*. Nic. Chopiat. *l*. 3.

Hoc modo, hoc gestu itaque pulsandi femoris utebantur veteres, quoties volebant ictum subitum majoris alicujus doloris intus concepti demonstrare. Sed nec tantùm in doloris causâ utebantur, sed etiam ad cætero-

rum

rum prætereà affectuum, in suo cujusque genere, ardorem seu vehementiam indicandam. Sic olim Rhetores in causis actitandis, prout argumenti ratio postulabat, quod testatur Cicero in Bruto suo: *Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur:* & hunc locum in eum ipsum finem citat Quintilianus *Instit. l.* 8. *c.* 3. τόν τε μηρὸν θαμὰ ἐκπλήττειν, ἑαυτόν τε ὑπεγείρων, καὶ τοὺς ἠκροωμένους. *Femur inter dicendum percussit (Scopelianus) semet excitans, simulque audientes.* Philostrat. *de Sophist. l.* 1.

Sed ut redeam eò unde sum digressus; Ita *femoris*, quod priùs dixi, percussione utebantur veteres ad dolorem animi inprimis testandum. Bene quidem, & vel ex naturæ quasi instinctu cædebant eam corporis præcipuè partem, unde omnimodi mali genus in homines defluxit: proseminatos utpote ex Adami lumbis, qui ut mortalium omnium in mundo nascentium pater fuit, ita simul miseriarum infælix Author extitit.

Excurs. CLXXI.

Ezech. 8. v. 14. *Et introduxit me per ostium portæ domûs Domini — & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Tamuz.*

Quis fuit iste Tamuz, quinam hominum Deorúmve quem adeo lugubriter hìc deflebant mulieres, quásque ideo sic indignabundus perstringit propheta, verbo expedit Theodoretus. Ὁ Θαμοὺς ὁ Ἀδωνίς ἐςι κατὰ τὴν Ἑλλάδα φωνήν· *Thamuz*, inquit ille, *secundum Græcam Linguam, Adonis est.* Et lugubris ejusmodi solennitas in illius memoriā sacrata, Ἀδώνεια nuncupabantur: De quibus Plutarchus in *Nic.* Pausanias in *Corinth. l.* 1. & Ovidius sub personâ Veneris, *Metam. l.* 11.

——Luctûs monumenta manebunt
Semper Adoni mei, repetitaq; mortis imago
Annua plangoris peraget simulamina nostri.

Plura in hanc rem, si cui lubeat adire, clarissimus noster Seldenus in *Syntagm. de Diis Syris, l.* 2. *c.* 10. Sed istud non est negotium suscepti operis. Res sub examen nunc vocanda, *situs* est sive *positio* corporis à flentibus hìc adhibita.

Sedebant, ait Textus: Ita *Nehem.* 1. *v.* 4. *Cùmque audissem verba hujuscemodi, sedi & flevi, & luxi diebus multis.* Psalm. 137. *v.*

1. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, cùm recordaremur te O Sion. Lam. 2. v. 10. Sederunt in terrâ, conticuerunt sanè filiæ Sionis, consperserunt cinere capita sua.* Crebra valde sunt Scripturæ loca huc spectantia; Nec rursus insolitus omnino mos erat hujusmodi apud exteros, quod facilè constabit perscrutanti Gentilium scripta.

----Ἴδε πατρίδα πολυκτέανον
Ὑπὸ στερέῳ πυρὶ, πλαγαῖς τε σιδήρου
Βαθὺν εἰς ὀχετὸν ἄταις ἵζοισαν ἑὰν πόλιν.

——*Vidit patriam priùs divitem*
Valido igni prostratam, & ferri ictibus
Sedentem urbem suam in profundo calamitatis
gurgite. Pind. *Olymp. Od.* 10.

Quod idem Lyrici poetæ, mutato tantùm sermonis idiomate, exhibet Virgilius, Æn. *l.* 11.

Luminaque tot cecidisse virûm, totamque videbis
Consedisse urbem luctu———.

Ex hoc etiam more sessionis lugentibus usitato dicebantur *Præficæ* quondam seu lamentatrices fæminæ assidere mortuorum funeribus.

Afferat huc unguenta mihi, sertisque sepulchrum
Ornabit custos ad mea busta sedens. Propert.

Sic Maria Magdalena, & altera Maria (*lugentes* proculdubiò, quod subaudias necesse est,) *contra sepulchrum* Christi sedisse narrantur, *Math.* 27. *v.* 6.

Sessio nimirum inter reliquas corporis positiones qualescunque luctui erat, utì videtur, con-

convenientissima; Ἐδείπνει δὲ καθήμενος, ἀφ' ἧς ἡμέρας κατὰ Φάρσαλον ἔγνω ἧτταν, καὶ τοῦτο τῷ λοιπῷ προσέθηκε πένθει τὸ μὴ κατακλιθῆναι, πλὴν καθεύδων· *Cœnabat ex eo die ſedens* (Cato,) *quo cladem Pharſalicam intellexiſſet; idque ad cæterum luctum addidit, neque recumbebat, niſi ſomni cauſâ.* Plutarch. in *vit.* Ita Romanus ille, atque ita Gentilium alii, ubi idonea ſatis (ſi fortè) mœſtitiæ cauſa incidiſſet.

Et hercle ſi juſta unquam cauſa oblata eſt tam lugubris exercendæ poſituræ, ad dolorem animi, quod olim ſolebant, teſtatum magis faciendum, nobis nunc imprimis ea incumbit, ut *ſedeamus in pulvere*, triſtes & mœſti, juxta illud *Iſ.* 47. *v.* 1. *Deſcende ac ſede in pulvere, virgo, filia Babylonis, ſede humi*——: quando jam Eccleſia Dei, *ſponſa* Chriſti, inter *ſtrues* quaſi *lapideas* poſita, *Pſalm.* 68. *v.* 14. turpis, & ſqualida, & penè conclamata jacet. Nec verax ſim Augur, precor, adjiciens triſte illud poetæ Epiphonêma, *Æn.* 6.

——*Sedet, æternumq; ſedebit*
Infelix——

Excurſ.

Excurs. CLXXII.

Ezech. 8. v. 16. *Et introduxit me per ostium domûs, & ecce—quasi viginti quinque viros dorsa habentes contra templum Domini, & faciem ad orientem, & adorabant ad ortum solis.*

MOdum quendam cumprimìs Idololatricum, *Orientem* solem sc. adorandi, hìc in Judæis acriter perstringit Dominus: quem tamen (quod certissimum est) à circumvicinis gentibus traxissent, stultum imitatorum genus, & in pejus semper proclive. Cùm enim illi (Ethnici nempe) totum cæli suprà exercitum nimis superstitiosè colerent: tum præcipuè *solem*, tanquam fulgentissimum reliquorum sydus, *locúmque* adeo ubi exoriens cotidiè mundo se conspiciendum præbet; Inde libationes assiduas, preces, & cætera omnia religionis Orientem versùs dirigebant.

Οιδ. Εἶεν· τὸ δ᾽ ἔνθεν ποῖ τελευτῆσαί με χρή;
Χορ. Χοὰς χέασθαι στάντα πρὸς πρώτην ἕω.
Oedip. Esto: Quid verò, intus quomodo me administrare oportet?
Chor. Libationes effunde conversus ad primam auroram. Sophocl. in *Oedip. Colon.*

——*Mox Æneam hominésque reliquit,*

Surgit, & ætherei spectans orientia solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effudit ad æthera voces.
Æn. 8.

—— Hinc altè Phœbi surgentis ad ortus
Ferre manus, totisq; simul procumbere campis.
Vel. Flacc. *Argon. l.* 2.

— Altum taurus attollens caput,
Primos ad ortus positus ——

(mactandus sc.) Senec. *Oedip. Act.* 2. Atque ob hanc igitur causam Templa quoque & Ædes sacrorum celebrationi dedicatas, ad Orientem ferè locabant veteres; quod ut fiat usque, quà fieri potest, monet Vitruvius, *l.* 4. *c.* 5.

Verùm nec hoc, nec illud districtè erat id quod Deus hìc tam graviter Judæis in crimen impegit. Justinus Martyr ad *Orthodox Qu.* 120. rem aliter explicat, Ὡς ὀυδὲ τῇ προφητικῇ, ὀυδέ τε Αποςολικῇ φωνῇ ἐναντιῦσαι --- *Ut neq; Propheticis neq; Apostolicis præceptis adversam:* quicquid in contrarium opinati sint aliqui (refragante licèt Josepho *Antiqu. l.* 4. *c.* 8.) ac si Judæi speciatim in mandatis habuissent, ne ad solem se, orantes, aut sacra quæcunque peragentes, converterent, utpote nondum exorto vero justitiæ *Sole*, ad quem & illi & nos debemus respicere.

Sed illud itaque in causâ erat, ne vertentes se ad ortum solis inter orandum, juxta Gentilium morem, ipsum unà cum Gentilibus solem

ſolem venerari putarentur; ſicut reverà Chriſtianos poſtea ita ſe gerentes, (ansâ hinc arreptâ) feciſſe calumniabantur Ethnici, ut narrat Tertullianus, *Ad Nat. l.* 1. *c.* 13. Alioqui nec illi deinceps, Chriſtianos naſcentis primùm Eccleſiæ intelligo, tam ſolenniter atque ex more direxiſſent eò, tum Templa, tum preces ſuas in Templis Deo commendandas, quod tamen fecerunt, teſtibus Phil. Judæo in l. *de Vit. Contempl. ad Fin.* Juſt. Mart. *ubi ſuprà:* Cl. Alexandr. *Strom. l.* 7. Athanaſ. *Qu. ad Antiochen.* 37. Tertull. *Apolog. c.* 7, &c. quibus addas, ſi placet, *Conſtitut. Apoſt. l.* 2. *c.* 57.

Planè, & ut, quod res eſt, dicam, conſuetudinem talem utrinque ab Apoſtolis ipſis acceperant, niſi nos omnino fallant præfati Sancti Patres. Nimirum, tantâ cum ſolicitudine curârunt uſque religioſi viri de externis precum circumſtantiis, ſive geſtûs, ſive loci reſpectu. Quid cenſebimus de *Formulis* ipſis ſupplicationum? Credibile vix eſt, quaſi in re tam majoris longè momenti, nullam prorſus rradidiſſent. Quin tradidêrunt quidem, *eaſq; in Eccleſiâ omni Catholicâ uniformiter celebrandas*, ſi quid credamus Gennadio, de *Eccleſ. Dogm.* c. 30.

Nil ἀπροσδιόνυσον faciam, ſi clauſulæ loco hìc attexam ſcitum quoddam Gloſſêma ſuprà laudati ſancti Patris Athanaſii in præſenti argumento. Οἱ δὲ πιστοὶ ἀκουέτωσαν, καὶ

μανθανέτωσαν, ὅτι περὶ τούτου χάριν --. *Audiant verò fideles, & discant quòd Sancti Apostoli Christianorum Ecclesias ideo jusserunt Orientem versùs suas facere preces, ut ad Paradisum, unde excîdimus, respicientes, suppliciter à Deo petamus & à Domino nostro, ut in antiquam nos patriam & locum, restituere dignetur.*

Excurs. CLXXIII.

Ezech. 13. v. 18. *Hæc dicit Dominus Deus: væ consuentibus pulvillos sub omni cubito, & qui faciunt cervicalia sub capite cujusque ætatis ad capiendas animas.*

NOn potuit meliùs S. Spiritus, si ita fas sit loqui, subdolas prophetantium mulierũ quarundã artes exprimere, quàm ductâ à *pulvillis* similitudine, quos recumbentium cervicibus pro more substernebant Veteres. Quippe, ut pulvillos subjiciendo molliter curamus corpora recumbentes, ita illæ fallacibus Prophetiis suis audientium animos demulcebant. Pulvillos autem non, ut nos, sedentium lumbis supponebant, sed pro ritu discumbentium, quo tunc utebantur, cervicibus vel humeris applicabant. Frequens & obvia est mentio de istorum usu inter Romanos. *Jacet*

Jacet occupato Galbanatus in lecto,
Cubitis trudit hinc & inde convivas
Effultus ostro, sericisq; plumis.

Mart. *l.* 3. *Ep.* 81.

Subalares alas, vocat Lampridius in *Heliogabal. Nec cubuit in accubitis facilè, nisi iis quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum, subalares culcitras sæpe mutans.*

Προσκεφάλαια, eâdemque ratione quam suprà notavi, nuncupabant Græci.

Ἀλλὰ ἐγκόνει, δειπνεῖν καταχωλύεις πάλαι·
Τὰ δὲ ἄλλα πάντά ἐστιν παρεσκευασμένα
Κλίναι, τράπεζαι, προσκεφάλαια --.

Sed propera, cœnaturis jam dudum in morâ es,
Omnia parata sunt cætera, mensæ, tori ——
Pulvini ——. Aristoph. in *Ran. Act.* 4. *sc.* 1. Αὐτοῖς στρωμναί τε τοῖς μεγέθεσι ὅπως ἐξησκημέναι πολυτελῶς, καὶ τῇ ποικιλίᾳ διαφόρως, ὡς ---. *Lecti quidem ipsorum permagni, tantâ impensâ, & tam egregiâ varietate elaborati fuerunt, ut vocatis ad cœnam hospitibus, quidam inniti cubito cervicalibus, (*ἐπὶ τὰ προσκεφάλαια*) cunctarentur.* Athen. *l.* 4. ὑπαυχένια eadem appellat Lucianus in *Somn.* sive *Gall.* Ἐπειδὴ κατακλίνεσθαι καιρὸς ἦν, πρῶτον ἀράμενοι ἀνέθεσαν τὸν Θεσμόπολιν -- ὑπαυχένια περιβύσαντες αὐτῷ πανταχόθεν -- *Cùm tempus cœnandi afforet, sustulerunt Thesmopolim, & in lecto posuere, densantes undiq; pulvinaria circa humeros.*

Atque hinc igitur & ex hoc more, prout dixi, quo reclinantibus in lectis discubitoriis pulvinaria supponebant, formulam locutionis suæ assumpsit Ezechiel, ut blandiloquas vaticinantium mulierum pellacias signantiùs exprimeret. Ὑπὸ μάλης τὶ πράτ]ειν, sive *clam* & in *occulto* quid facere, habet Calenus apud Dionem *l.* 46. Οὔτε γὰρ ὑπὸ μάλης τὶ αὐτῶν, ὦ Κικέρων, ἐπράχθη, ἀλλ' ἐς ςήλας --. *Nec enim sub axillâ, Cicero, furtim quidquam actum est, sed te ipso teste, in tabulis omnia edita fuere.* Pressiùs multò & ad rem magis Æschines in oratione illâ suâ contra Demosthenem, ubi turpem assentationis notam conatur ei inurere. Τότε καὶ πρῶτον πρέσβεις εἰς προεδρίαν ἔθηκε, καὶ προσκεφάλαια ἔθηκε --. *Tunc & primùm principem legatis locum assignavit, & cervicalia apposuit.*

Non desunt hisce nostris temporibus, nec unquam deerunt, hujusmodi pseudoprophetæ, qui exemplo mulierum istarum in Textu, *pulvillos subsuant* magnatum cervicibus, dum blandiusculis suis concionibus propellunt labentes in flagitiosissima quæque facinora, vel aliàs ultro dilapsos palpi sui adjectione insuper confirmant.

Excurs.

Excurſ. CLXXIV.

Ezech. 32. v. 27. *Qui deſcenderunt ad Infernum cum armis ſuis, & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis.*

NOn abſque ingenti plerúnque ſolennitate, bellicoſorum virorum funera, Ducum præcipuè & præfectorum olim, (quod legere eſt paſſim) celebrabantur. Nota eſt illa inter cæteras quàm plures, Decurſio ſc. militum circa defuncti rogum, de quâ Suetonius in funere Druſi, *l.* 5. *c.* 1. *Et exercitus honorarium ei tumulum excitavit, ad quem deinceps ſtato die milès decurreret.* Et de eadem C. Pedo Albinovanus.

Armatæq; rogum celebrant de more cohortes,
Et pedes exequias reddit, equeſq; duci.
Eleg. ad Liv.

Inde ter armatos Minyis referentibus orbes,
Concuſſi tremuere rogi, ter inhorruit æther
Luctificum clangente tubâ — Val. Flacc. *Arg. l.* 1.

Accedebat tunc inſuper in majoris mœſtitiæ argumentum faſcium vel inſignium retro verſorum geſtatio. *Tribunorum Centurionumq; humeris cineres (Germanici) portabantur, præcedebant incompta ſigna, verſi faſces.* Tacit.

Quo primùm vidi fasces, in funere vidi,
Et vidi versos— Cl. Pedo *ubi suprà,* in Drusi *Fun.*

Optimè omnium & plenissimè utrumque morem conjunctim exhibet Papinius Statius *Theb. l. 6.*

Tunc septem numero turmas, (centenus ubiq;
Surgit eques) versis ducunt insignibus —
Ter curvos egere sinus, illisáq; telis
Tela sonant —.

Sed præter duos istos cæterósve quoscunque ritus funerationi pro more adhibitos, unum porro hìc attingit Textus non ita obvium, quo solebant arma Ductoris unà cum corpore illius sepulchro tumulanda inferre. Diod. Siculus *l.* 18, ubi magnificam valde Alexandri demortui elationem recenset, inter reliqua, τὰ τοῦ μετηλλαχότος ὅπλα — *arma ejus feretro imposita* recenset. Captâ Scyronis insulâ cum Cimonem incessisset cupido ossa Thesei ibi sepulti eruendi, Ἑυρέθη δὲ θήκη μεγάλου σώματος, αἰχμή τε παρακειμένη χαλκῆ, καὶ ξίφος. *Reperti sunt magni corporis loculi, unà adjunctâ aneâ hastâ atque ense.* Plutarch. *Thes.*

— Μία δ' ἐκκλισίας
Ἀνδρῶν ἴλη τὸν ὑπασπίδιον
Κόσμον φερέτω —.

Militum una verò ex castris turma, armorum Ornatum efferat: ait Teucer apud Sophocl.

phocl. in *Flagellif.* Ajacis ibi procurans ſepulturam.

Neq hunc morem tantùm in militaribus armis ſervabant, ſuper cremati tumulo ea accumulantes, ſed & in reliquis cujuſque profeſſionis inſignibus.

Αὐτὰρ ἐπεὶ νεκρός τε κάη καὶ τεύχεα νεκρȣ̃,
τύμβον χεύαντες, καὶ ςήλην ἐρύσαντες,
Πήξαμεν ἀκροτάτῳ τύμβῳ εὐῆρες ἐρετμόν.

Poſtquam cadaver combuſtum eſt, & arma mortui,
Buſto aggeſto, & ſuper cippo erecto,
Fiximus in ſummo ſepulchro fabrefactum remum.

Hom. *Odyſſ. l.* 12.

& de Elpenore navis primario Rectore ſermonem habet. Cujus veſtigiis preſſim, quod aſſolet, inhærens Latinorum poetarum princeps, ubi Miſeni tubicinis præclari exequias enarrat, *Æn.* 6.

At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum
Imponit, ſumma arma viro, remumq; tubamq;.

Facilè ſatis conſtare poteſt ex præmiſſis, quàm non noviter quid aut diverſe à veterum inſtitutis fecerunt memorati hìc in Textu Heroes, qui ad infernum, (*ſepulchri* ſc.) deſcenderunt ſic armati; Id quod, quodammodo & in magine ſaltem, uſque nunc faciunt militaris conditionis viri, ita exculti & adornati in ſepulchralibus ſuis monumentis, ut paſſim videre eſt.

Excurſ.

Excurs. CLXXV.

Ezech. 43. v. 7. *Et non polluent ultrà domus Israel nomen sanctum meum, ipsi & reges eorum fornicatione suâ, & cadaveribus regum suorum, & excelsis suis.*

GRaviter & iniquo animo se ferre hìc insinuat Deus, inconditum quendam morem Israelitarum, quo fætida & olentia regum suorum sepulchreta, juxta sacratissimum ejus *Templum* collocabant nimis procaciter. An verò immundiciem ipsam facti eâ re coarguat tantùm, vel ultrà etiam *Idololatricos* sepultorum ibi mores invisos sibi denotet, nil horum in præsens ad calculos vocabo. Interim non incassùm fore putavi, si arreptâ inde Excursionis ansâ, Gentilium hìc consuetudinem paucis attingam, quâ non modò sepulchra sua juxta Deorum templa solebant locare, sed ipsa porro templa in sepulchra erigere.

Frequens est Pausanias in sepulchralium hujusmodi apud Græcos *Templorum* commemoratione, *Eliac. l.* 2. Protesilai sepulchrum in Eleunte cùm talis adjectione structuræ, narrat Herodotus *l. 9. c.* 111. Ἐν γὰρ Ἐλεοῦντι τῆς Χερσονήσου ἐστὶ Πρωτεσιλέω ταφός τε καὶ τέμενος περὶ αὐτὸν----, *Est in Eleunte Chersonesi*

Pro-

Protesilai sepulchrum, & ei Fanum circumjectum.

Ἐν δ᾽ αὖ Μακέλλοις σηκὸν ἔγχωροι μέγαν
Ὑπὲρ ταφῶν δείμαντες----.

Macellis deniq; templum Indigenæ magnum
Super sepulchrum extruentes——.(Philoctetis nempe) Lycophr. *in Cassand.*

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui———.Æn. l. 4. *Templum* h. e. *sepulchrum*, ut *Non. Marcellus* exponit.

———*Tumulòque sacerdos,*
Et lucus latè sacer additur Anchisæo. l. 8.

Quid apertius? Imo adeo usitatus fuit apud veteres ritus iste consecrandi *Ædes* in loco ubi fiebat sepelitio, ut vel inde certum sit Idololatricum illum errorem, numinis vice mortuos colendi, initium traxisse. Disertè hoc asserit probátque Arnobius, *Adversùs Gent. l.* 6. Eusebius *Præparat. Evang. l.*2. *c.*5. & utroque prior Cl. Alexandrinus *in Admonit. ad Gent.* Νεὼς μὲν εὐφήμως ὀνομαζομένους, τάφους γενομένους εἶναι-. quòd *templa Gentilium nil aliud quàm defunctorum heroum sepulchra fuerant.* Quæ cùm tam magnificè extructa, & sumptu vario ornata cernerent, hominum ea conditoria esse statim obliti sint.

Institerunt (hactenus saltem) in vestigiis Gentilium primoris ævi Christiani, ut sepulchralia itidem monumenta in *Templa* sæpenumerò converterent. Testes esse possint creberrima illius seculi, *Cœmeteria*, *Martyria*,

&

& hujusmodi quæcunq; in memoriam sancto-rum virtute ac meritis antestantium præcipuè, ædificata. *Martyria*, inquit Walfrid. Strabo *Eccles. Rer. c. 6. vocabantur Ecclesiæ, quæ in honorem aliquorum Martyrum fiebant*; et templis adeo originem suam ea dedisse, jam antè viri docti passim observârunt.

Nos quidem non condimus nunc dierum eâ ratione *Templa*, nec reverà, ullâ; Ea jamdudum evanuit pietas: Sed tamen, quod assolet, in eis quoque, sicut & majores nostri, defunctos sæpiusculè tumulamus. Utrùm verò rectè, necne, vel nos, vel illi, ita ut non polluatur loci sanctitas, majoris sit oportet, tum Doctrinæ, tum Authoritatis, (quàm quas ego mihi vindico) qui ausit consuetudinem tam antiquam simul atque receptam in dubium vocare.

Excurs. CLXXVI.

Ezech. 44. v. 20. *Caput autem suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes tondebunt capita sua.*

Quantâ cum superstitione veteres radebant tondebántve sua capita, quotiescunque in luctu aliquo seu mærore gravi constituti, præcipuè super defunctorum obitu, suprà, quantùm ad rem satis videbatur, paucis dis-

disservi. Plura si quis velit in hâc causâ, adeat Plutarchum in *Pelopid.* Senec. *de Benef. l.* 5. *c.* 6. Lucian. *in l.* περὶ Συρ. Θεȣ̃, &c. Quamquam, quod addendnm est, nec omnibus ex æquo hoc in more positum fuit, deformi istiusmodi crinium resectione capita fædare: Quin alii è contrà tunc præcipuè comas promittebant, sicut *Ægyptii*, de quibus Herodotus *l.* 2. *c.* 36. & omnino *Romani*, quod vel *lippis & tonsoribus* notum est, nec eget exemplorum varietate quibus ultrà firmetur. Milites diligebat (Cæsar) usque adeo *ut auditâ clade clade Titurianâ capillum summisserit, nec antè dempserit quàm vindicâsset*: Suet. in *Jul.* c. 67. & rursus in *Calig.* c. 24.

Sed hoc illud non est quod hìc perstringit propheta, fæda sc. capillorum tractatio in utramvis partem, à graviori luctu qualicunque causata. Alium attingit morem, & magis peculiarem, undecunque prognatum, quo solebant Gentilium *Sacerdotes* derasa solenniter habere sua capita in Deorum cultu, quasi aut necessarium fuisset hoc officii genus, aut aliàs ad sanctiorem Numinum venerationem fecisset. *In domibus eorum sacerdotes sedent habentes tunicas scissas, & capita & barbam rasam. Baruch* 6. *v.* 10. Οἱ ἱερεῖς τῶν θεῶν τῇ μὲν ἄλλῃ κομέουσι, ἐν Αἰγύπτῳ δὲ ξυρεῦνται. *Deorum sacerdotes alibi comati sunt, in Ægypto derasi.* Herodot. *l.* 2. *c.* 36. Qualem ex Isiacorum grege unum describit Apuleius *Metam.*

l. 8.

l. 8. Senem calvum, cincinnis semicanis & pendulis capillatum. Juven. *Sat. 6.*

—Præcipuum summumq́; meretur honorem,
Qui grege linigero circundatus, & grege calvo
Plangentis populi currit derisor Anubis.

Atque hoc ergo illud demum est quod tam distinctè inhibet propheta, ne sacerdotes *Domini* Gentilium hâc ex parte profanos ritus imitarentur. Et sanè quomodò derasi inter pontifices *sacrificuli* interdicti istius censuram evadant, nullus intelligo. Multa quidem illi in defensionem, seu excusationem potiùs, talis consuetudinis obtendunt: Præ cæteris *Illustr. Baronius* ad Christi *Ann.* 58. ¶ 50, 51, &c. Sed res in vado hæret usque, nec quidquam impedit quò minùs, ut ridicula, ita etiam profana semper audiat.

Magis ad mentem Textûs *Reformati* nostri, nec abscindendo penitus capillos, nec nimiùm rursus promittendo, quò sic decôri inserviant, nec dignitatem professionis suæ ullatenus devenustent. Sunt tamen qui non tondent modò, sed etiam circumtondent, περιξυροῦντες τοὺς κροτάφους, ut Herodotus de Arabibus *l. 3. c. 8. rotundare* capillitium edocti, & in succinctioris formulæ modum coërcere. Bene esset, si quomodo *rotundant* capita, ita & mores suos *quadrarent*, ad exactam justitiæ normam, syncerámque honesti regulam semet componentes.

Sunt contrà qui promissis turpiter, & in longum

gum crescentibus capillis superbiunt, id quod Apostolus 1 *Cor.* 11. vel in hominibus seculi quibusvis, multò magis in sacerdotibus proculdubiò, censurâ haud indignum judicavit. Criniti hujusmodi sunt cumplures, pauci verè *Nazaritæ*. Medium solumodò illud est, quod ubique primas meritò obtinuit, tum in dictis, tum in factis, usque ad rerum minima, ut ne ad oppositas vel extremas ullibi partes nimietate aliquâ dilabamur.

Excurs. CLXXVII.

Dan. 4. v. 3. *Eâdem horâ sermo completus est super Nebuchodonozor, nam ab hominibus depulsus, herbam ut boves comêdit, & rore corpus ejus intinctum est.*

Mira hìc narratur regis Babylonici mutatio, non longè ab eâ diversa quam *Madaurensis* ille fabulator de seipso tradit, aut quales plurimas in aliis comminiscitur *Pelignus* vates. Sed totus in eo difficultatis cardo vertitur, quo sensu & quatenus præfata narratio intelligatur. Sunt qui in nudo verborum cortice hærentes, veram hìc historiam somnient, & Nebuchodonozorem verè in bovinam effigiem conversum fuisse. Ita Epiphanius

nius. in *vit. Prophet.* Dorotheus in *Synopſ.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech.* 2. ubi perpulchro inſuper adhibito gloſſemate rem totã illuſtrat. Ἐπεθηριώθη (ὁ Νεβουχοδονόσορ), ἐν τῇ ἐρήμῳ διέτριβεν--- Εἶχε τρίχας λεόντων, λέων γὰρ ἦν ἁρπάζων καὶ ὠρυόμενος, χόρτον ὡς βοῦς ἤσθιε, κτῆνος γὰρ ἦν---. *In beſtiam tranſmutatus eſt Nebuchodonozor,* inquit ille, *& in ſolicitudine degebat:—Leoninos habebat ungues, raptor enim ſanctorum fuerat—crines quoque leonum habebat, leo enim rapax erat & rugiens: fœnum tanquam bos comedebat, pecus enim fuit, neſciens quis illi regna contulerat.*

Et quidem non deſunt Narratiunculæ ſecularis quoque proſapiæ huc multùm facientes. Inter cæteras illa de λυκανθρωπίᾳ famigeratiſſima, autore Herodoto *l.* 4. *c.* 105. & poſt eum penè ad verbum Pomp. Melâ *l* 2. in deſcriptione Scythiæ; eouſque commendatione deferentis famæ ubique valeſcens, ut Pauſanias *in Arcad.* fateatur ſe (ſaltem ex parte, & quantùm ad rumorem Lycaonis in lupum verſi) aſſenſum ei præbuiſſe. Hinc paſſim tanquam in re certiſſimâ Poetarum effata.

Addidit exceptas lunæ de nocte pruinas,
Inq; virum ſoliti vultus mutare ferinos
Ambigui proſecta lupi—. Ovid. *Met. l.* 4.

Et de veneficâ quâdam inſigni, Propertius, *l.* 4.

Audax cantatæ leges imponere lunæ,
Et ſua nocturno fallere terga lupo.

Verùm

Verùm hæc & hujuſmodi qualiacunque, ſunt reverà illuſorum duntaxat hominum maleſana commenta. Rectè Athanaſius *Qu. ad Antioch.* 124. qui circulatorum ea annumeravit præſtigiis; Et huic adſtipulatur Auguſtinus *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 18. ubi, paribus quibus ille inductus rationum momentis, contra reciprocam hoc modo corporum in ſe mutuò transmutationem palã decernit, Eſſe talia ſc. phantaſiæ potiùs ludibria, quàm reipsâ naturæ opera, conſtituit uterque.

Quod verò ad Textum propiùs attinet ponentem hìc Nebuchodonozer in boum prorſus grege, cauſa ea afferri poteſt, quippe quia dejectus à priſtinæ majeſtatis faſtigio, & quod veriſimile eſt, vi doloris maximi rationis ſimul ſolitâ exutus poſſeſſione, meritò inter boves & nomen & locum aliquantiſper ſortitus eſt. Non amplius quidquam de converſione iſtâ Nebuchodonozoris, rem geſtã licèt enarrans, ſuppeditat Joſephus *Antiqu. l.* 1. *c.* 12. Is quiſquis ſit qui ultrà quid ſomniabit, ipſe utique ad *boves* (quod aiunt) non dicam, *Aſinos*, ablegari dignus videatur.

Excurs. CLXXVIII.

Dan. 10. v. 13. *Princeps autem regni Persarū restitit mihi viginti & uno diebus; & ecce Michael, unus de principibus primariis, venit in adjutorium meum*——.

NOn malè forsan collegerunt hinc nonnulli interpretum, quòd sicut Angelus custos suus cuique hominum peculiaris attribui videatur, *Act.* 12. v. 15. (de quo plura posthac in alio fortassis opusculo) ita Deus imperiis, regionibus, mundi partibus quibusvis, Angelum rectorem proprium assignivit. Clarus est omnino in re istâ adstruendâ Cl. Alexandrinus *Strom. l.* 6. Κατὰ τε τὰ ἔθνη καὶ πόλεις νενέμηνται τῶν ἀγγέλων αἱ προστασίαι---. *Nam per gentes & civitates*, inquit ille, *sunt distributæ angelorum præfecturæ.* Cui accedit Gr. Nazianzenus *Orat.* 35. Eusebius *Demonstr. Evang. l.* 4. *c.* 7. (quamquam non adeo fundamentum illius probo quo ibi nititur, ex *Deut.* 32. v. 8. *Quando dividebat Altissimus gentes,—constituit terminos populorum juxta numerum angelorum Dei.*) Ἐθνάρχας ἀγγέλους vocat D. Areopagita in *l. de Cal. Hierarch. c.* 15. Et huc denique adjungi potest Synesius *Ep.* 31. Εἰ τινές εἰσι ψυχαὶ πόλεων ὥσπερ οὖν εἰσιν, ἔφοροι θεῖαί τε καὶ δαιμόνιοι-.

νιοι----. *Si ullæ sunt civitatum animæ, ut reverà sunt, præsides, divinæ atque è Geniorum numero*—.

Sed quid Patres aliive Christiani Scriptores in hâc re senserint, non est quidem præsentis negotii inquirere. Ad Ethnicos venio: Ita enim & illi distribuebant hunc mundum in partes seu provincias quasdam, (ubicunque habitaretur,) ut cuique illarum distinctè Deorum aliquem cum imperio singulari *Curatorem* præficerent. Ἐπιχωρίους, πατρῴους, πολιούχους nominabant usitatè: Ἰδιοσόλους, Porphyrius *de Abstin. l.* 2. *Municipes deos*, ut eleganter Minutius Felix. Si cui in animo sit ulteriùs cognoscere, cuinam Deorum, quæ gens, vel urbs, vel regio apud eos tuenda in sortem speciatim cesserat, adeat P. Crinitum tractantem rem istam ex professo *l.* 9. *c.* 3. ut etiam Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 6. *c.* 4. Interim sat erit in gustum, opinor, non nimis curiosulo lectori, si in medium ea proferam quæ doctissimus Afer huc congessit, *Apol. c.* 24. *Unicuique etiam provinciæ & civitati*, ait ille, *suus Deus est, ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Disares, ut Noricis Belenus, ut Africæ cælestis, ut Mauritaniæ Reguli sui*--: Pergit ad loca particularia magis: *Ut Crustuminiensium Beleventinus, Narniensium Viridanus, Asculanorum Ancaria, Volsemiensium Nersia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia*———.

Pro varietate nempe locorum abundabat, utì videtur, *Tutelarium* ubique Numinum diversitas. Atque hinc planè elucescit, quare tam crebras inveniamus apud poetas rixantium Deorum Dearúmque inter se digladiationes super ingruente urbis vel regni alicujus, fatali, si fortè, & ultimâ necessitate.

Mulciber in Trojam, pro Trojâ stabat Apollo,
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Imo magis vel hinc dilucescit aliquantulùm clariùs, quare bonus Angelus hìc in Textu, & rursus *v.* 20. necessum habuerat, ut insolescentium dæmonum circa regem Persiæ machinationes, (contra Hebreæ viz. Reipub. salutem,) cui maximè invigilabat, retunderet ita sedulò supprimeretque. Denique hinc constat unde profluxerit fortassis consuetudo illa inter Christianos, quæ & adhuc perstat, *Tutelares* sibi *Sanctos* in unoquoque regno cooptandi, tanquam præsides ejusdem & propugnatores: Verùm utrùm rectè an secus, nolim interfari.

Excurs.

Excurs. CLXXIX.

Am. 1. v. 3. *Sic ait Jehova, propter tres transgressiones, etiam propter quatuor, non convertam eam.*

QVâ sermonis geminatione hìc utitur propheta, graphicè adumbrans divinæ iræ atrocitatem contra obstinatè nequam peccatores, quales erant Damasci incolæ: eandem adhibet adversùs incolas Gazæ, *v.6.* contra Tyrios *v.9.* Contra Edomitas *v.* 11. contra Ammoritas, *v.* 13. Novi bene satìs consuetum exponendi modum quo hunc & hujusmodi locos interpretari solent, quasi numerum certum vice incerti, idque numerosi valde, proponerent. Rectè quidem: Tamen nullo cum dispendio, opinor, operæ vel olei erit, si locutionis modum in vocibus *Ter* & *Quater* positum, paulùm consideremus.

Multa in hanc rem profert Cæl. Rhodiginus *l.* 12. *c.* 2. dictionis istius causam seu rationem investigans sedulò, & Cardanus *Subtil. l.* 21. Mihi sat erit si de *usu* ejus tantùm frequentiore apud antiquos constiterit; Atque in id abunde suppetet, (nè frustrà longiùs expatier in re passim obviâ disquirentibus) unius Virgilii testimonium, viri, quod Macrobius sæpius inculcat, priscorum Rituum præ cæteris callentissimi, Primùm, ubi separatim hæc verba ponit;

Ter conatus ibi collo dare brachia circùm,
Ter frustrà comprensa manus effugit imago.
Æn. *l.* 6.

Rursus,

——*Quater ipso in limine portæ*
Substitit, atq; utero sonitũ quater arma dedêre.
l. 4. Deinde ubi conjuncta effert.

——*O térque quatérque beati*
Queîs ante ora patrum, Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere—— *l.* 1.

Porro autem *Ter* & *Quater* sic unita in septenarium numerum excrescunt: In eo verò utendo frequens est Scriptura, sive in bonam, sive in sequiorem partem oratio inclinet, *Et erit lux ipsa lunæ sicut lux solis, lux autem solis erit septupla.* Is. 30. *v.* 26.

Ἑβδόμη ἐν πρώτοισι, καὶ ἑβδόμη ἐστὶ τελείη.
Septimus in primis, perfectus septimus extat.
Callimach.

Inde septenarium numerum τελεσφόρον sive perfectivum vocat Philo. Ἐπειδὴ ταύτῃ, (τῇ ἑβδομάδι) τελεσφορεῖται τὰ σύμπαντα----. *quia hâc absolvuntur universa & perficiuntur.* Contrà, & in malam partem: *Dixitque Dominus—quisquis occciderit Cainum, septuplo punietur,* Gen. 4. *v.* 15.

Ἑπτὰ μὲν ἀενάοισι λυεσσαμένη ὑδατάεσσι,
Ἑπτάκι δὲ Βρίμω κουροτρόφον ἐκκαλέσασα.
Quũ septies fluvialibus aquis abluta (venefica)
Septies evocasset Brimonem—. Apol. Rhod. *l.* 3.

Multus est præfatus Philo *ubi suprà*, sicut &

Cl.

Cl. Alexandrinus *Strom. l.* 5. in enucleandâ virtute seu perfectione septenarii numeri juxta Platonica principia: Verbo exhibet S. Augustinus *de Civ. Dei l.* 11. *c.* 31. *Quòd totus impar primus numerus ternarius est, totus par quaternarius, ex quibus duobus septenarius constat, ideo pro universo sæpe ponitur.*

Interim rursus, quod ad lemma ipsum attinet susceptæ hic dissertationis, unde excursum fecimus: *Propter tres transgressiones*, inquit Dominus, *& propter quatuor, non parcam*—; Atat quanta (eheu) & quàm multiplicia fuerunt usque nostra peccata, sempérque sunt, ultra omnem *numerationis* calculum, & incrementi *mensuram*, admissa? Ut verendum sit, nisi properè & quàm primùm intercesserit efficax pœnitentia nostra, non parcat Deus, sed affligat nos magis magísque semper, atque adeo demum penitus excidat.

Excurs. CLXXX.

Mich. 1. v. 2. *Audite populi omnes, attendat terra & plenitudo ejus, & sit Dominus. Deus vobis in testem, Deus de templo Sancto suo.*

SCio sat bene quo pacto hunc locum, idque non inscitè, interpretes exponant, ac si de

Templo illo in Hierosolymis loqueretur propheta, ubi sedem quasi, & habitationem suam Deus specialiori sibi modo deligisset: juxta illud Psalmistæ, *Psalm.* 26. *v.* 8. *Domine, dilexi decôrem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Utcunq;, ut verum sit istud, interim tamen nihil impedit quin & superna illa cælorum loca rectè hìc intelligi possint. Certè enim & ibi quoque habitare dicitur; *Psalm.* 113. v. 4, 5. *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria ejus: Quis sicut Dominus Deus noster qui in cælis habitat*——. Ἀκροτάτῃ κορυφῇ τοῦ σύμπαντος ἐγκαθιδρυμένος οὐρανοῦ——. i. e. *in summo culmine universi cæli domicilium suum situm habens & collocatum.* Aristot. *de Mund. c.* 11. Inde denique in terras æquè ac de Templi aut excelsæ alicujus turris fastigio prospicere narratur. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.* Psalm. 14. *v.* 2.

Sed quid plura? cùm Psalmista sæpius utramque vocem ad eundem sensum magis emphaticè exprimendum conjungat; *Dominus in Templo sancto suo, Dominus, in cælo sedes ejus*, Psalm. 11. *v.* 1. *Prospexit de excelso Sancto suo, Dominus de cælo in terram aspexit*, Psalm. 102. v. 9. Sic *Jer.* 25. *v.* 30. *Dominus de excelso rugiet, de habitaculo sancto suo dabit vocem suam.* Crebrò est reperire etiam apud Exoticos Scriptores, ubi templi vox pro cælo

ad

ad hunc modum usurpetur. *Templum tribus modis dicitur*, ait Varro de *Ling. Lat. l.* 6. *à naturâ, ab auspicio, à similitudine; A naturâ, in cœlo* —.

O magna templa cœlitum
Commixta stellis splendidis. Enn. *in Hecub.*

Et rursus,

Unus erit quem tu tolles in cærula cæli
Templa —. *Annal. l.* 1.
Nam cùm suspicimus magni cœlestia mundi
Templa super, stellisq; micantibus æthera fixum.
Lucret. *l.* 3.
At vigiles mundi, magnum & versatile templum
Sol & luna suo lustrantes lumine --. Ibid.
Qui templa cœli summa sonitu concutit.
Ter. in Eunuch.
——— *Semper alienum Jovem*
Ac templa summi vidua deserui ætheris,
Locumq; cœlo pulsa pellicibus dedi.
Senec. *Herc. Fur. Act.* 1.

In hunc planè modum τεμένη αἰθέρος, alicubi habet Æschylus.

κνέφας δὲ τέμενος αἰθέρος λάβῃ.

Nubes autem templum ætheris accipiat.

Nec enim, quod addendum est, cœlorum illa tantùm superna spatia notabat vox Templi inter antiquos, quin & ad alia quævis loca super vel subter terram designanda eâ utebantur; De aereis suprà De; *Aqueis*, Plaut. in *Mil. Glor.*

Qua

Quæ me in locis Neptuniis, templisq́; turbulentis
Servavit sævis fluctibus. (Dea)

De *infernis*, Varro.

Acherusia templa alta, Orci pallida,
Leti obnubila, obsita tenebris loca.

Sed hæc ἐν παρόδῳ duntaxat. Absolvi pensum satis abunde in superioribus, quatenus T*emplum* & *Cœlum* idemmet nonnunquam valere ex vetere loquendi consuetudine ostendi. Hoc modò adjectum velim, quòd propositæ in fronte Scripturæ nec affigo præfidentèr aliqualem ejusmodi sensum, nec rursus abnuncio.

Excurs. CLXXXI.

Mich. 3. v. 12. *Idcirco causâ vestrâ Sion ut ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa sylvarum.*

VErsiculum hunc disertè, totidémque penè syllabis repetit propheta Jeremias *c.* 26. *v.* 18. Neque id insolenter quidem, (si quis attentè observet,) nec rursus incommodè omnino factum est à divinis Scriptoribus, ut interdum alter ab altero potiora quædam effata mutuò sumant; Quippe reverà nunquam

nunquam id satis dici potest, quod vix aut nunquam à nobis satis discitur, & ita, uti decet, in vitæ ac morum emendationem memoriæ mandatur.

Innuit verò his verbis propheta consuetudinem quandam pervetustam, quâ solebant hostes cùm urbem quampiam vi captam diruissent, aratro insuper ipsa ejus rudera suffodere, hoc nempe significatu, acsi jam locus ille in *novalis* soli usum omnino cessisset, non ampliùs posteà ædificiorum structuræ deputandus. Aratro sc. circumducto signabant primas urbium sedes, & aratro demum inducto earundem excidium quasi obsignabant; Utriusque moris abunde passim suppetunt testimonia.

Prioris;

Interea Æneas urbem designat ararto,
Sortiturq; domos ——. Æneid. *l.* 5. Et rursus,
Fæmina quæ nostris errans in finibus, urbem
Exiguam pretio posuit, cui littus arandum,
Cuiq; loci leges dedimus ————. *l.* 4.

Videtur, inquit Servius, *illud attingere moris antiqui, quo, cùm conderetur nova civitas, tauro & vaccâ -- à magistratu muri designarentur.* Urbs ab *urvando* sc. quod est arare, ut docent Etymologistæ. Posterioris; *Deinde cædibus in exitia gentium serpere, & injicere tectis ignem, aratrum vetustis urbibus inducere.* Senec. *de Clem. l.* 1. *c.*

Imprimeretq; muris hostile aratrum
Exercitus insolens, Horat.

Mania

Mœnia cùm Graio Neptunia pressit aratro
Victor Palladiæ ligneus artis equus. Propert.

Nec porro sic exarabant modò subversarum urbium loca, sed etiam quandoque sale conserebant; Abimelech verò, *cepit* (urbem Sichem) *interfectis habitatoribus ejus, ipsâque destructâ, ita ut salem in eâ dispergeret.* Jud. 10. v. 45. Hoc nempe eâ ratione vel fine, quò supra excidium loci, perpetuæ sterilitatis damnum solo affigerent. *Omnis locus*, ait Plinius, *Hist. l.* 31. *c.* 7. *in quo reperitur sal, sterilis est, nihilq; gignit.*

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infœlix ———. Georg. *l.* 2.

Quamquam alicubi & quibusdam in locis, ut narrat Herodotus *l.* 4. *c.* 183. tantùm abest, ut sal steriliorem efficiat terram, quòd etiam impinguet maximè fœcundétque. Γαράμαντες, ἔθνος μέγα ἰσχυρῶς, οἳ ἐπὶ τὸν ἅλα γῆν ἐπιφορέοντες οὕτω σπείρουσι· *Garamantes, natio perquàm magna, qui impositâ super salem humo, ita serunt.* Non absimile quid de Catanæorum agris in Siciliâ refert *Strabo l.* 6. quos defluentes è vicinâ Ætnâ favillacei cineres lætificant mirè & reddunt fertiliores.

Sed hæc forsan & hujusmodi pro cœli solíque indole diversimodè eveniunt, nec ampliùs sunt scrutanda. Interim, ut verum tandem eloquamur, quot urbium inter nos, (modò pro rigore justitiæ suæ puniendo adverteret

verteret Deus) meruerunt hoc modo aratro proſcindi, & conſpergi deinde ſale? Quàm vel ipſa Sion noſtra, quæ ut ſupra cæteras eminet laxitate mœnium, ædificiorum ſplendore, divitiarum copiâ, ita ultra reliquas flagitiis & omni impietate ſcatet abundantiſſimè.

Væ civitati ſanguinariæ, univerſa plena eſt mendacii atq; injuſtitiæ, non recedet à te rapina. Nahum 3. v. 1.

Excurſ. CLXXXII.

Habak. 1. v. 16. *Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo, quia per hæc pinguis facta eſt ejus portio, & cibus eſt opimus.*

SAna ſatìs & ſolida eſt, fateor, gloſſa hìc Interpretum, nudè exponentium iſta verba de faſtuoſorum hominum veſanâ quodammodò arrogantiâ, eò inſoleſcentium quàndoque, ut quicquid proſperè confecerint, aut fatis ſuis & benignioris Fortunæ afflatui imputent, quod fecit Timoleon, narrante Plutarcho, Αὐτῇ ἱερὸν ἱδρυσάμενος, καὶ αὐτῇ θύσας--- aut rurſus & ſæpiſſime, id tanquam proprio Marte & ſuis ipſorum viribus confectum glorientur. Tales erant, uti videtur,

videtur, hìc Chaldæi, quos minatur se Deus contra rebelles Israelitas adducturum. Et talem planè Ajacem ad vivum effingit Sophocles in *Flagellif.* ubi hortante patre ut velit pugnam inire Deorum auxilio confisus, respondit, ὑψονόμπως καὶ ἀφρόνως, *superbè* ac *stultè*:

Πάτερ, θεοῖς μὲν κἂν ὁ μηδὲν ὢν, ὁμοῦ
Κράτος κατακτήσαιτο, ἐγὼ δὲ καὶ δίχα
Κείνων πέποιθα τοῦτ' ἐπισπάσειν κλέος.
Adjuvantibus Diis, pater, etiam ignavi
Vincere solent: Ego verò vel absque
Auxilio divino. Qualiter Comnenus, notante *Zonarâ T.* 3. locatus jam in solio summæ potestatis, τῷ νομίσματι ξιφήρη ἑαυτὸν ἐχάραξε, μόνον οὐχὶ βοῶν, ὅτι -- *Effigiem suam gladio accinctam nummis curavit insculpi, hoc tantum non vociferans, quod gladius illi, nec quidquam aliud, imperium conciliâsset.*

--- Οὐδέ μ' ὀφέλλει
Ζεὺς τόσον, ὅσσατίον περ ἐμὸν δόρυ --.
Idas, apud Apoll. Rhod. *Arg. l.* 1.

Rectè hæc quidem, & non omnino à sensu loci; verùm altius quid mihi subolet è Textu, & porrò insulsam quandam Idololatriæ speciem in paganis videtur perstringere, qui *sagenam* & *rete*, h. e. arma ipsa bellica Deorum loco verè habebant. *Ab origine rerum*, inquit Justinus l. 43. *pro Diis immortalibus veteres Hastas coluere, ob cujus religionis memoriam, adhuc Deorum simulachris hastæ ad-*

adduntur. De acinace verò ſive haſtâ Perſicâ Lucianus in *Tragœd.* Σκύθαι μὲν Ακινάκῃ θύουσι· *Scythæ nimirum acinaci ſacrificant*. Id ipſum tradit Arnobius, *Adversùs Gent. l. 6.* confirmat Epiphanius in *præfat. ad Hæreſ.* *Adepti veniam, juſſa fecerunt* (Quadi) *eductiſque mucronibus, quos pro numinibus colunt, juravêre ſe permanſuros in fide.* Ammian. Marcellin. *l.* 17.

Ὄμνυσι δ' αἰχμὴν ἣν ἔχει, μᾶλλον θεοῦ
Σέβειν πεποιθὼς, ὀμμάτων θ' ὑπέρτερον.

Jurat per haſtam, magis illam perſuaſus
Colere quàm Deum, vel oculorum utrumlibet.

ait Æſchylus, ubi væcordem inſolentiam Parthenopæi commemorat: nec diſſimile quid de Capanêo deprædicat Statius *Theb. l.* 10.

—— *Ades ô mihi dextera tantùm,*
Tu præſes belli, & inevitabile numen,
Te voco, te ſolam, ſuperûm contemptor, adoro.

Cæterùm quid egerint ſenſeríntve in hâc materiâ barbara Gentilium ubicunque natio, non progrediar longiùs diſquirendo. Magis intererit obſervâſſe, idque non ſine quâdam rei admiratione, quàm proximè accedant, & in eiſdem penè illorum veſtigiis hæreant noſtrorum temporum quamplures, qui vi & ferro omnia gerentes, dum intra naſſam ſuam corradant per fas nefáſve quicquid lubuerit, juſtitiam cauſæ (iniqui prorſus rerum æſtimatores) ſucceſſu inprimis metiuntur.

Excurs. CLXXXIII.

Zech. 19. v. 20. *De illo erit inscriptum tintinnabulis equorum, Sanctitas Jehova.*

NIhil magni aut novi hìc effatur propheta, si de tintinnabulis vel nolis tantùm assidui usûs jumentorum collo appendi solitis, intelligamus. Vulgata res illa est, & ubivis spectanda occurrit. *Tintinnabulatos greges* scitè vocat Sid. Apollinaris *l.* 2. *Ep.* 11.

Muli gravati sarcinis ibant duo,
Ille onere dives, celsâ cervice emminens,
Clarumq; collo jactans tintinnabulum,

Phædr. *Fabul.* 38.

Aliud quid forsan hìc designat propheta, aliud, licèt non re ipsâ, tamen in modo & rei conditione.

Morem igitur indigitat fortassis, quo divites, & nobiles, & primates cujusque ordinis, (non conductitii tantũ Aurigæ sive Rhedarii) bello domíque, solebant equos ejusmodi ornatu insignitos habere. Ita sc. tum erat in more positum, utì videtur, itáque testatur frequens scriptorum veterum Autoritas.

--- Γοργὼ δ' ὡς ὑπ' Αἰγίδος θοὰς
χαλκῆ, μετώποις ἱππικοῖσι πρόσθετος,

πολλοῖσι

Πολλοῖσι σὺν κώδωσιν ἐκτύπει φόβον
— *Gorgoq́ tanquam in clypeo Palladis*
Frontes equorum ferrea præmuniens,
Multis cum tintinabulis sonitum dabat.
Eurip. *in Rhes.* Et rursus.
Ἴδε χρυσόδετον σώματος ἀλκὴν
Κλύε κόμπους κωδωνοκρότους
Παρὰ πορπάκων κελαδοῦντας.
Ecce autem radiantem corporis
Armaturam, audi strepitus tintinnabulorum
A loris resonantium —. Ibid. *Act.* 3.

Ἕκαστος δὲ τούτων, ἐστεφάνωντο κεχρυσωμένῳ στεφάνῳ, καὶ παρ' ἑκατέρων τῶν σιαγόνων εἶχεν ἐξηρτημένον κώδωνα χρυσοῦν, περὶ δὲ --. *Quisq́ horum* (mulorum) *coronâ deauratâ redimitus erat, & utriq́ maxillæ tintinnabula ex auro, & monilia gemmis constipata, collis appensa erant.* D. Sicul. *l.* 18. ubi Alexandri funus condigno verborum circuitu describit. *Me phaleris aureis, & fucatis ephippiis, & purpureis tapetis, & frænis argenteis, & pictilibus baltheis, & tintinnabulis perargutis exornatum -- ducebant.* Apul. Metamorph. sive de *Aur. Asin. l.* 10. Ὁπλισμοῖς τε τοῖς ἐκπρεπέσιν ἠσκάζοντο, καὶ τοὺς ἵππους ἠσκημένους εἶχον, ἄλλοις τε κόσμοις λαμπροτάτοις, ἀλλὰ δὴ -- καὶ περικρεμαμένους ἔχουσι ἠχητικοὺς κώδωνας. *Erant ii,* (Persæ) *viri eximii, & armis insignes, & omnes equis decenter instructis insidebant; qui præter alia ornamenta splendidissima -- & sonoras nolas de collis dependentes*

habebant. Nicet. Chon. *in Comn. l. 6.*

Ad talem aliquem modum pompaticè & triumphaliter procedendi, verisimillimum est hìc prophetam Zachariam respexisse. Quorsum enim aliàs, (ut verbo rem dicam) quorsum, inquam, *Inscriptio* talis, qualem Textus deprædicat, in vilium quorumvis cantheriorum nolis, ubi majestas & gloria Dei publicè demonstranda proponitur?

Excurs. CLXXXIV.

Malach. 2. v. 14. *Et hæc socia tua, & uxor fœderis tui.*

INter varia fœderum genera legentibus passim obvia, non imæ notæ sunt conjugalia illa pacta, quæ inter virum & mulierem legitimè conjunctos intercedunt. Non purè putè humana hæc, aut forensis cujusdam stipulationis, sed divina prorsus censeri debent; *Fœdus coram Domino* hìc appellat Textus, ac si alio quidem locutionis modo, *sacrum* diceret vel religiosum. Ita sc. exotici Scriptores quàm sæpissime. Εκάλουν δὲ τοὺς ἱεροὺς οἱ παλαιοὶ γάμους -- *Veteres*, inquit D. Halicarnassensis, *l.* 2. *sacras* habebant, nec alio quasi nomine *nuptias* indicabant. Ιερῦ γάμυ

γάμυ, passim occurrit vocabulum apud Athenæ. *l.6.*

Ου ζυγίην ιερήν τις επευφήμησεν αοιδὸς
Non conjugium sacrum quisquam laudavit poeta. Musæus in *Heron. & Leandr.*

——— *Quoties socialia sacra parantur*
Nupturæ, toties ——— Ovid. *Ep.* 20.

——— *Vetus est alienum Postume lectum*
Concutere, atq; sacri genium contemnere fulcri.
Juven. *Sat.* 6.

Nec mirum, si pro sacris habuerunt hujusmodi Nuptialia fœdera, quibus insuper peragendis, ritus omnes & cæremoniæ ad sacra spectantes adhibebantur. Primò, *tibiæ*; Cic. ad *Herenn. l.* 4. *Non illæ te nuptiales tibiæ ejus matrimonii commonebant? Nam hìc omnis sanctimonia nuptiarum, uno signo tibiarum intelligitur.* Et tibias præcipuè in sacris usurpari solitas, alibi pro occasione argumenti satis firmavi. Adhæc, Auspicia & divinationes variæ. *Nubit genero socer, nullis Auspiciis, nullis Actoribus, funestis ominibus omnium*, Cic. in *Orat. pro Cluent.*

Ultro ibit nuptum, non manebit Auspices.
Plaut. in *Casin.*

—— *Ritu decies centena dabuntur*
Antiquo, veniet cum signatoribus Auspex.
Juvenal. *Sat.* 4.

Rursus *libationes* & *sacrificia*; Ουκοῦν δὲ ἑορταί τινες νενομοθετητέαι ἔσονται, ἐν αἷς συνά-

συνάξομεν τάς τε νύμφας, καὶ τοὺς νυμφίους, καὶ θυσίαι -- *Igitur festa quædam erunt legibus designanda, in quibus sponsos & sponsas jungamus, quin & sacra -- celebratis nuptiis convenientia.* Plat. *de Rep. l.* 5. Ἔτι δὲ τὴν γυναῖκα νομίζειν ἀπὸ τῆς ἑστίας εἰληφότας μετὰ σπονδῶν ---. *Præterea reputandum est eos cum libationibus fæderibusq; uxorem accepisse.* Iamblich. in *vit. Pythag. c.* 8. Utrunque præfatorum ante rituum, tum *auspicandi*, tum *libandi*, simul conjungit Tacitus, in Messalinæ nuptiis cum Silio *l.* 11. *c.* 9. *Atq; illam audisse Auspicum verba, nubisse, sacrificasse apud Deos.*

Postremò, ad ipsas Aras, tanquam inspectantibus Diis, agebatur res isthæc *Nuptiarum.*

Inde ubi sacrificas cum conjuge venit ad Aras
Æsonides, unáq; adeunt pariterq; precari
Incipiunt, ignem Pollux undamq; jugalem
Prætulit ———. Val. Flacc. *Argon. l.* 8.

Dii verò ad hunc modum Nuptiarum præsides delecti, (quos igitur ab officio suo cui speciatim assignabantur, γαμηλίους θεοὺς vocabant) erant Juno & Venus, teste Plutarcho in *Qu. Rom.* Atque illam, (Junonem) exinde *Jugam* vel *Jugiam* communiter dicebant.

— Ἀντὶ γὰρ Ἥρης
τὴν ζυγίην καλέουσι ---.

—— *Pro Junone autem*
Jugiam

Jugiam eam vocant. Nonn. *Dionys. l.* 47.

Tam solenniter, tantàque cum reverentiâ vel Gentiles ipsi tractabant olim Nuptiarum fœdera. Nec cum minore antiquioris seculi Christiani; Πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι καὶ ταῖς γαμούσαις μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ---. *Decet verò, ut & ducentes uxores, & nubentes, cum Episcopi arbitrio jungantur, ut nuptiæ juxta Domini præceptum sint.* Ignat. Ep. ad Polycarp. Quando tunc insuper faciebant *Oblationes* & *Sacrificia*, ut docet Tertullianus; *Unde sufficiam ad enarrandam fœlicitatem ejus matrimonii, quod conciliat Ecclesia, confirmat oblatio ---?* Ad *Ux. l.* 2. *c.* 9. Et certè *oblationes* aliáve ejusmodi sacratiora munera absque sacerdotalis officii interventu perfici debere, nemo nisi mente viduatus, omnino asseret.

Nos interim quid? Velut commune & profanum aliquod opus, matrimonium aggredimur, sepositis sacris, excluso prorsus sacerdote. Γάμους ἀγάμους, rectè licet dixeris. E triplici maritandi ritu, veteribus Romanis usitato, *usu*, *farre*, & *coemptione*, Serv. in *Georg. l.* 1. unum duntaxat illum *Emptionis* quasi retinuimus: ita proclamantes in foro publicitus nuptiali copulâ sociandos, ac si planè non conjugii res foret, sed distrahenda sub hastâ bona proponerentur.

Atque ita demum priorem istam partem

Excursuum festinante calamo qualitercunque absolvi. Interquiescam hìc parumper, lassámque adeo jam cymbam subducam quasi in *Navale* suum; alteram & secundam denuo, (sicut initio sum pollicitus) eámque per consimilis planè materiæ tractum, quamprimùm, (nisi si quid sequius intervenerit) facturus *Navigationem*.

Omissa



Omissa hæc paucula, si operæ pretium visum fuerit, Contextui inserantur.

PAg. 11. lin. 4.) *in mundo sunt consecuta.* Nec aliter Epiphanius de eiidem insanis Bacchi mysteriis disserens, *Hæres.*80. Διονύσιοί τε ἕτεροι --- οἱ τοὺς ὄφεις ἀνασεμμένοι, εὐάζοντες τὸ οὐὰ, οὐὰ, ἐκείνην τὴν Εὔαν -- *Item Dionysiaci alii -- qui serpentibus coronati, clamantes Euoe, Euoe, illam adhuc Evam à serpente deceptam invocant.* Evam simul cum --.

Pag. 49. l. 8.) *Christi à Deo uncti*, (*angularis* sc. illius verè *Lapidis Act.* 4. *v.* 11.) adventum in carne —

Pag. 58. l. 19.) *rubescimus, pallemus*, & breviter in omnes corporis formas mutamur. Atque hinc —

Pag. 73. *ad fin. Excurs.*

Verùm præter tot & tantâ cum celebritate servatos Natalitios dies quos suprà memoravimus, unus superest Christianis per multa retro secula hucusque celebratissimus: sed tamen à Christianis etiam (alicubi) neglectui jam demum haberi cœptus, *Natalis Christi.* Quo quid absonè magis, vel iniquè factum videri potest, quàm si quem honorem *commemorationis* tribuerunt semper homines,

five principum, five amicorum, five suis denique ipsorum *Natalibus*, eum nunc Christiani Christo, mundi Incolæ, mundi Salvatori præstare non dignentur;

Pag. 116. *post. l.* 5.)
Inter Christianos posteà, & circa exordia nascentis Ecclesiæ, summi etiam illorum sacerdotes, eâ sc. innixi ratione, (ut docet Epiphanius *Hær.* 20. & 78.) quòd Christus *sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*, idémque Rex de semine Davidis, utramque quodammodo dignitatem in secuturos Ecclesiæ suæ Rectores transtulerat, (id quod innuere videatur S. Petrus 1 *Pet.* 2. *v.* 9. alludens ad illud suprà positum ex *Exo.* 29.) utriusque insignia sibi assumpserunt. Sic Jacobum Hierosolymarum primum *Episcopum* laminam seu bracteam auream in capite suo gestare consuevisse narrat, *ubi prius*, idem Epiphanius: & simile quid de Joanne Evangelistâ refert Hieronymus in *Scriptorum Ecclesiast. Catalogo*. Atque hinc tam acriter *Pontifices* Romani de triplicis coronæ ornamento, quam sibi usurparunt, usque contendunt.

Lin. 16.) *D. Halicarn. l.* 2. Στεφανηφόρον ἀρχὴν, ejusmodi potestatem vocat Athenæus *l.* 12. Lucianus de Syris loquens *in l.* Περὶ Συρ. Θεοῦ; Ἱερέες τε αὐτῷσι πολλοὶ -- Ἀρχιερεὺς δὲ ἄλλος ἑκάστου ἔτεος ἐπιγίγνεται, πορφυρέην δὲ μοῦνος οὗτος φορέει, καὶ τιάρῃ χρυσέῃ ἀναδέεται. *Sacerdotes, inquit ille, Sy-*

ris multi eliguntur — summus autem sacerdos alius ac novus unoquoq; anno surrogatur. Solusq; hic purpuream vestem gerit, & tiarâ aureâ redimitur.

Pag. 237. l. 2.) Athen. l. 5. Ejusmodi fuerunt Lacedæmoniorum illa συσσίτια, φιδίτια, & similia. Ex φειδίτια fortassis, inquit Porphyrius *de Abstin. l.* 4. (solâ literæ mutatione) quasi φιλίτια, quòd inchoatæ amicorum benevolentiæ firmiùs stringendæ multùm conducerent.

Errata quædam magis insignia, & quæ sensum adeo lectionis aliquatenus corrumpunt, sic corrigenda.

PAg. 26. *lin.* 19. lege l. 8. c. 121. *p.* 40. *l.* 26. Joseph, c. 50. v. 25. deleatur. p. 53. l. 10. Receptitii. p. 69. l. 18. ῾Αυται. *p.* 78. *l.* 14. ὠσυνονθῆ. *p.* 80. *l.* 11. dele. Athen. *l.* 1. p. 85. *l.* 18. operire, rursúsque in rogo---. *p.* 105. *l.* 18. leg. Octavium quendam---. p. 108. l. 4. τὰς τοιχορύκτας. *p.* 124. *l.* 28. læve. *p.* 186. *l.* 2. pontifice. p. 193. l. 15. Herodot. l. 2. c. 102. *p* 196. *l. ult.* leg. c. 3. v. 16. *p.* 126. *l.* 26. Sanctè. *p.* 201. *l.* 13. dignitatis παράδειγμα seu specimen exhibeat. *p.* 219. *l. ult.* conferatur. p. 227. l. 24. 1 Cor. 12. *p.* 259. *l.* 1. 2 Sam. 8. v. 2. p. 287. l. 21. ὡδέπως. *l.* 26. quibus. *p.* 307: *l.* 24. 1 Chron. 4. *p.* 342. *l.* 14. non indigna prorsus consideratione res se offert. *p.* 331. *l.* 7. leg. v. 33. p. 352. l. 16. Job. *p.* 362. *l.* 21. Symboli vice. *p.* 368. *l.* 14. leg. aversos penates. *p.* 370. *l.* 1. Psalm. 119. *l.* 20. consulcant. *p.* 386. *l.* 1. Prov. 2. *p.* 433. *l.* 18. Procerius. *p.* 457. *l.* 19. apparatus.

Cætera levioris momenti in Accentibus (si fortè) literis, punctis, &c. Ipse lector emendet, vel prætervehat.

Elenchus Scriptorum quorum Testimonia producuntur in hoc opere.

Ca-

Jo.

Elenchus Scriptorum.

FINIS.